8
7-d
18

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
29 I
20

8-8-
8-9-0.18

Google

Digitized by Google

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Tertii

Sectio Prima.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TIGURI,

EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXVIII.

VIRO

Nobiliſſimo, Spectatiſſimo,

Celeberrimo

LUDOVICO BOURGUET.

PHILOSOPHIÆ

Ut et

MATHESEOS

Apud Neocomenſes

PROFESSORI PUBLICO.

Plurimis

In Rempublicam Literariam

Meritis

CLARISSIMO.

Hiſtoriarum & Linguarum

plurimarum

Promo facillimo atque perpetuo.

VIRO
Animi candore, Officiorum promtitudine, omnique elegantioris Doctrinæ laude famigeratiſſimo.

SECTIONEM NONAM
Collectionis Philologicæ
In
HELVETIA
ſuſceptæ

Omni cultu & promti animi teſtificatione dicat atque inſcribit,

Illumque ſimul ad hæc Miſcellanea dehinc ex abundantiſſimo Ανεκδοτων theſauro illuſtranda provocat

J. GEORGIUS ALTMANNUS.

LECTORI ERUDITO
S. D.
JOH. GEORGIUS ALTMANNUS.

AD tertium jam accedimus Collectionis noſtræ Theologico-Philologicæ tomum parandum, cum, Deo benigne annuente, duo præcedentes non tantum lucem viderint, ſed & benigne hactenus a Viris doctis fuerint ſuſcepti, atque præter multorum ſpem Tomus primus jam ſecunda vice prælo fuiſſet ſubjectus. Grates vero debemus Viris honoratiſſimis atque amiciſſimis, qui eruditiſſimis ſuis obſervationibus ita noſtrum juvarunt inſtitutum, ut eorum favore & voluntate hæc Miſcellanea aliquam doctorum gratiam atque favorem ſibi conciliaverint. Illos ideo publice hoc loco oramus, ut & dehinc eruditas ſuas obſervationes in emolumentum rei literariæ nobiſcum velint communicare. Verbo vero in hoc Tomi tertii præfamine monendus eſt lector, nos præter primum noſtrum propoſitum, quod in proœmio Tomi primi decla-

declaravimus, ſcriptum eriſticum inſeruiſſe, quod ne contra fidem datam factum videatur, aliqua hujus rei ratio reddenda videtur. Scripſerat ante annum circiter Vir Juvenis ornatiſſimus, *LUDOVICUS COCHETUS*, S. S. Miniſterii in Academia Lauſannenſi Candidatus, Diſſertationem Theologicam, ſatis amplam, in qua Vir doctus diverſa Syſtemata illorum, qui ſibi nomen Chriſtianorum vindicant, ſynthetice deducta ſe exhibiturum promittebat; ſuſcitavit ſubito illa diſſertatio, ut in plurimis Helvetiæ noſtræ Academiis, ita etiam apud nos moleſtum nobis atque ingratum rumorem. Plurimi enim ſuſpicabantur, talia illam continere, quæ cum doctrina Eccleſiæ Reformatæ minus conveniunt, & ut verum fatear, indigne admodum ferebant plurimi Eccleſiæ noſtræ Miniſtri, talem prodiiſſe diſſertationem, ex qua nonnulli forſan colligere poſſent, doctrinæ Evangelicæ puritatem in Eccleſiis quibusdam Bernenſibus detrimentum capere. Premebat nos etiam, culpari à quibusdam Cl. Ruchatum, diſſertationis Præſidem, qui nil alieni de Ornatiſſimo Auctore ſuſpicatus, nixus ejus ingenio & eruditione, nomen ad præſidium conceſſerat; dolebamus Virum Plurimum Venerandum, pietate, eruditione atque doctrinæ ſanctis ſemel traditæ integritate ubique cognitum atque perſpectum, ad hanc litem poſtulari. His rebus motus Vir Doctiſſimus atque Reverendus *SIMPLICIUS VERINUS*, animadverſiones Criticas ad me miſit, ut illis in Tempe Helvetica aliquis locus concederetur, & cur id feciſſet rationem addebat, *ne forſan apud exteros quædam oriretur ſuſpicio, tam laxos eſſe Theologiæ noſtræ cancel-*

los

los, quales adverſariis noſtris magni nominis Theologi in Germania, Hollandia atque Helvetia, nunquam concedere voluerint. In communi hac apud nos & vicinas Eccleſias concitatione adverſus diſſertationem Præſtantiſſimi *COCHETI*, meum non erat, locum in collectione mea *ANIMADVERSIONIBUS CRITICIS* quaſi nomine publico ſcriptis & ad me transmiſſis denegare, hinc comparuerunt Temp. Helvet. Tom. II. p. 311. & ſeqq. in quibus Rev. & Doctiſs. Auctor amore veritatis abreptus, nimio forſan, ut plerumque in ſcriptis fieri ſolet eriſticis, fervore rem ſuam egit, cauſamque noſtram acerbiori ſtilo defendit; Ego equidem nunquam in illa fui ſententia, Ornatiſs. *COCHETUM* in ſua Diſſertatione id agere voluiſſe, ut ſanctiſſimæ Religionis noſtræ capita cum diſſentientium opinionibus confunderet, vel Socinianorum Arminianorumque aſſerta Doctrinæ noſtræ, quæ ſola ſecundum pietatem eſt, adaptaret. Hoc autem Vir Juvenis & dotibus ingenii & eruditione ornatiſſimus, ea qua pollet humanitate & æquitate, facile haud dubie mihi dabit, quod illam Diſſertationem ſcripſerit in illa ætate, de qua teſte Quinctiliano *& ſpes & favor*, *& audere non dedecet, & ſi quid deſit operi, ætas poſſit ſupplere.* ideo etiam Præſtantiſſimum ac magnæ ſpei Virum ex hac cauſa dehinc non amplius exagitandum eſſe exiſtimem, cum hac in re idem ſubierit fatum, quod plurimis Viris doctiſſimis atque celeberrimis eveniſſe notum eſt, qui in prima ætate animadverſionibus cenſoriis notati, tam accurate ſcribere didicerunt, ut eruditiſſima ac utiliſſima opera poſthac cum orbe literato, meliora edocti, ut pro-

 prio

prio exemplo prudentiores facti, communicaverint; Probavit id jam ex parte in reſponſione ad *Simplicii Verini Animadverſiones*, quas, ut juſtæ defenſioni detur locus, ſectioni nonæ inſeruimus; Placuit etiam Doctiſſimo *Verino*, reſponſionem Ornatiſs. *COCHETI* ad aliquod examen revocare, in quo cum orthodoxorum ſententias elegantiſſime, præſertim circa Syſtema Supralapſariorum docte & mira perſpicuitate expoſuerit, quæ nobis in hanc rem transmiſſa fuere, adjecimus. Scribendi rationem in utroque ſcripto mitigare in plurimis locis potuiſſem, ſi id pace doctiſſimorum virorum fieri potuiſſet. Cum autem Theologorum æque acCriticorum mos ſit adverſarium ſuum atroci ſtilo confodere, nolui ſcriptis & cogitationibus in chartam eo quo ſibi modo propoſuerant conjectis manum inferre violentam, ne quid præter mentem eorum vel ſcopum immutatum dici poſſet, vel ego inter duos litigantes aliquam vel rixæ vel indignationis alapam mihi conſciſcerem. Hæc pauca ſunt quæ in hac præfatione monenda videbantur. Vale benevole lector, & laboribus noſtris fave.

LUDO-

I.

LUDOVICI BURGETI,

NEMAUSENSIS,

DISSERTATIO

De

Vero atque genuino Juris Naturalis ſtudii uſu. *

Argumentum.

I. Reſtauratæ duobus his ultimis Seculis ſcientiæ. II. Speciatim Jurisprudentia. Diſſertationis Summa. III. Jus Naturæ quid? IV. Diſputatio de ejus Origine logomachiam involvit. V. An dentur Ideæ aut notiones innatæ? VI. Juris Naturæ Origo a Voluntate Dei repetenda eſt, ſed non ab arbitraria,

* Tranſmiſit eruditiſſimam hanc atque elegantiſſimis obſervationibus refertam Diſſertationem Cl. Auctor jam ante aliquod tempus, prælo hactenus nunquam ſubjectam, & in qua Philologi æque ac Philoſophi plurima quæ ad rem ſuam faciunt invenient. J. G. A.

VII. Pufendorfii & Leibnitzii ſententiæ conciliantur. Ulpianus notatur. VIII. Juris Nat. præcepta reſpiciunt primo Deum, unde Religio Naturalis. Notantur Grotius, & alii, qui Jus naturæ a Religione naturali ſeparant. IX. Idem continuatur. Veterum Gentilium ſententia de Virtute cum Felicitate conjuncta adfertur. Theognides & Heſiodus vindicantur. X. Præcepta Legis Nat. etiam futuræ vitæ felicitati accommodantur. Summa Religionis Nat. additur. XI. Docetur, quali cognitione & cultu Dei abſolvatur. XII. Sequuntur Officia Hominis erga ſe ipſum. Non ſibi ſoli natus eſt, ſed etiam Societati. XIII. Axioma generale proponitur, ex quo ſingula Juris Naturæ & Civilis officia promanant. XIV. Virtutes præcipuæ ex allato axiomate fluentes recenſentur. Grotius & alii notantur. XV. Polygamiam, Inceſtum & Divortium, Juri Naturæ adverſari, demonſtratur. XVI. XVII. Eadem Demonſtratio de Polygamia in ſpecie continuatur. XVIII. Et objectionibus reſpondetur. XIX. XX. Patriarcharum exempla ſubjiciuntur examini. Diverſa S. Scripturæ loca vindicantur. XXI, XXII. Inceſtum contrariari Legi Nat. adſtruitur. XXIII. Nec minus Divortium. XXIV. Non omnes homines in omnia indiſcriminatim jus habent, nec ſtatus belli eorum ſtatus naturalis eſt.

§. I.

DEi optimi maximi beneficio factum eſt, ut his duobus ultimis Sæculis renovatæ fuerint omnes ſcientiæ & artes. Neque hîc perſtitit ſuma Creatoris erga homines beneficentia. Duo enim hæc Sæcula (*a*) novas nobis peperere Scientias; Geometriam novam, novamque Analyſin, Aſtronomiam novam, novam

vam Mechanicam, Phyſicam novam, novamque inde (*b*) Scientiam nec nomine tenus antiquis cognitam, quam Telluris theoriam dixere recentiores.

(*a*) Preface de l'Hiſtoire du renouvellement de l'Academie des Sciences en 1699. Amſt. 1709. Adi ſi lubet Baconii, Galilæi, Carteſii, Boylii, Neutonii, Leibnizii, Bernoulliorum, Hugenii, Hoſpitalis, Varignoni, Caſſini, Hermanni, Malpighi, Redi, Vallisvieri, & ſexcentorum aliorum ſcripta.

(*b*) Hanc ſcientiam illuſtrarunt, Gonzales de Salas, Stenonus, Grundi, Bocconus, Seila, Burnetus, Woodvvardus, Whiſton, Scheuchzerus et alii quam plurimi. Uno verbo eorum omnium Opera,quæ de Terræ motibus, de illuvionibus, & alluvionibus, de mineralibus, de ſitu atque montium diſpoſitione, de fontium, fluviorum, ventorum, æſtus maris, Inſularumque origine, & id genus alia, tractant, multum ad ejus ſcientiæ perfectionem conferre, demonſtrarunt Neoterici.

§. II.

Jurisprudentiæ etiam nec minus favit Providentia, ſuos etiam habuit reſtauratores *Holoandros, Budæos, Hottomanos, Cujacios, Gothofredos*, aliosque quamplurimos; *Grotium* tandem *Puffendorfiumque*, qui nova facie hancce Scientiarum Reginam exornarunt, eoque nomine aliis extitere majores. Illi fontes Juris Univerſi, maximo humani generis & Reipublicæ Litterariæ bono recludere, nova anniſi ſunt Methodo. Hic utiliſſimo *de Jure Naturæ & Gentium* tractatu; Ille præclaro *de Jure Belli & Pacis* opere. Hos, qui ſapiunt, ſecuti ſunt omnes, inter quos eminet Cl. utriusque Interpres Gallicus D. Barbeyracus, amicus multis beneficiis mihi acceptiſſimus. Hi cum multis aliis ad hoc tenderunt maxime, ut reſerato Jure Naturali, aditum ad Jus Civile enucleandum, illuſtrandumque præberent omnibus. Idem etiam brevi Methodo tentare

tare mihi propoſui. Antequam vero rem aggrediar & utilitatem hujuſce ſtudii demonſtrem, quid ſit Jus Naturæ, unde ortum ducat, quæ præcipiat prohibeatve ac permittat, disquirendum puto, ut ſua ſponte emergere queant hujus ſcientiæ uſus.

§. III.

Jus Naturæ, Lex æterna, immutabilis & conſtans actionum humanarum Regula eſt, ad cujus normam ſeſe componere debent homines. Oportet enim eorum actiones, non Brutorum inſtar phyſico & ſenſibili impulſu, ſed Rationis ac Sapientiæ dictamine, dirigi. Hæc Regula adeo alte hominum menti infixa manet, adeo naturæ humanæ conveniens eſt, ut prorſus interire haud potuerit ejusdem cognitio, quanquam in plerisque a multis fœdiſſime violetur. Nec dubitare quenquam puto, quin vel ſi ab omnium ſtupidiſſimo quæratur, num ſibi omnia indiſcriminatim licere putet, id affimare audeat; verum enim vero hancce veritatem exemplis monumentisque antiquorum me probaturum ſpero, cum de iſtius Legis æternæ præceptis agam.

§. IV.

Nunc disquirendum eſſet, quonam modo ſciamus, aliquam eſſe Regulam invariabilem neque ab hominum arbitrio pendentem; an hujus notio nobiscum nata ſit, ut volunt quidam, an vero illam facultate naturali acquiramus, ut ſtatuunt alii; ſed ne nimis a via aberrare cogar, meminiſſe juvabit, Logomachiam, ni fallor, diſputationem involvere, ut ex quorundam Recentiorum (c.) Philoſophorum diſceptationibus cuique adtendenti patet. Disquiſitionem igitur integram in aliud tempus differens, operæ pretium arbitror, paucis exponere, quid de hac re ſentiendum putem.

(c.) Extant Johan. Sperlingi & Joh. Zeiſoldi, de notitiis nobiſ-

nobiſcum natis, Tractatus integri, quibus primus affirmativam, ſecundus negativam conati ſunt defendere. Celeberrimus Locke *Eſſay de l' Entendement humain.* Amſt. 1707. negativam aſſumit, præſertim Lib. I. Cap. 1. & 2. At B. Scherlok de l' immortalité de l' ame & de la vie à venir, affirmativam. pag. 153. & ſeq. Amſt. 1708.

§. V.

Cum Ideæ aut notiones animæ, rerum ſive ſenſibilium ſive intelligibilium, ſint repræſentationes, nil mirum, ſi omnes omnino ab ortu noſtro, vel in ipſo matris utero nobis haud perceptibiles eſſe queant, actu enim tales minime dicunt, qui notitias nobiſcum natas affirmant. Quod ſi hoc fieri poſſet, D j profecto eſſemus. Quid autem impediret, quomin ıs mens noſtra omnes poſſibiles repræſentationes actu præſentes haberet; quæ tamen temporis progreſſu in animo ſunt evolvendæ, ut in æternum nobis adſit arcta Creaturarum nota. (*d.*) Si quis diceret, Ideas animabus idem eſſe ac fructus arboribus, non a vero forſan abluderet, ſtatimque tota componeretur Controverſia, quandoquidem in idem reciderent utrorumque Sententiæ; primi quaſdam nobiſcum natas eſſe ideas, alias lumine naturali acquiſitas pronuntiant, alii quaſcumque lumine naturali vel mentis facultate formatas putant. Sed ſi eadem de ſpirituum Ideis ac de arborum fructibus dicenda ſunt, tunc lumen illud vel facultatem idem mentibus quod cultura arboribus eſſe appareret. Nec enim ſol, neque ſydera, neque tellus, neque pluviæ, neque ſalia, neque manus agricolæ arborum fructus formant; quanquam aliquid vel ad vitium vel ad perfectionem eorum conferre queant. Fructus illos vero in ipſo ſemine eſſe, ex quo tandem ſeſe evolvunt, ratione & experientia compertum eſt. De mentium notitiis ſimile quid pronuntiandum mihi videtur, cum nec ob-

jecta

jecta ſenſibilia, neque anima, neque aliorum loquela, neque ſigna, neque aliud creatum quidquam eas efficiat. Quæ conſideratio ſummo hujus ſeculi (*e.*) Philoſopho, occaſionem præbuit ad Cauſas occaſionales (ut illas vocat) confugiendi. Exiſtimavit nempe, rerum omnium notiones vel ſenſibiles vel etiam intelligibiles, in ipſa æterna ſapientia videri atque ſpectari. Hujus opinio equidem cum præcedenti conciliari poſſet; ſed hæc alius ſunt loci. Verum ſint Ideæ nobiſcum natæ, ſint natæ lumine naturali, vel a mente noſtra efformatæ, ut placuerat *Lockio*, nihilominus geminas metaphyſicarum moraliumque veritatum habemus demonſtrationes omni exceptione majores. Etenim rerum convenientia cum ipſis notionibus animæ in rerum eſſentia ita firmata eſt, ut nemo ſana mente præditus de iis dubitare poterit unquam.

(*d.*) Platoni ita arriſit hæc de Ideis innatis opinio, ut ei præexiſtentiam, immortalitatemque animarum ſuperſtruxerit. Phedone pag. 57. & 58. idearumque in animo evolutiones reminiſcentiam vocavit Ib. & Menone pag. 415. ſeq Phædro pag. 1223. & 1224 Edit. Wecheli Francofurti 1602. Συμβολα πατρικὸς νοως ἐνεσπειρε ταῖς ψυχαῖς, Symbola mens paterna animabus inſevit. Oracula magica p. 22. Ed. Opſopæi Pariſiis 1599. Videſis Olethonem in hunc locum pag. 45. & 46. Pſellum pag. 93. Porphirius apud Nemeſium ait, τὴν ψυχὴν συνέχειν πάντα τὰ ὄντα καὶ εἶναι τὰ πάντα ψυχὴν συνέχουσαν σώματα διαφόρα. Animam omnia entia continere, & omnia quæ continet anima corpora eſſe diverſa, pag. 80. Ed. Plantin. 1565. Idem confirmat in ſententiis. Sect. XVII. pag. 225. Ed. Cantabrigienſis 1655. Vide etiam quæ de notione Dei habet Jamblicus de myſteriis Ægypt. Sect. I. Cap. 3. pag. 4. Ed. Thom. Gale Oxoniæ 1678. Locum pulchrum ex Architæ fragmento addere viſum eſt. Καὶ ἐνεχάραξε καὶ ἐπενεμήσατο τὸ Θεῖον

αὐτῶ

αὐτῷ (ἀνθρώπῳ) τὸ τῦ παντὸς λόγυ σύϛημα· Ἐν ᾧ ταδε ἔιδεα πάντα τῦ ἐνόντος ἐνδεδωϛαι. Καὶ ταὶ σημασιαὶ τε καὶ ῥημάτων. Et illi (homini) inſculpſit & impreſſit Numen & univerſæ rationis Syſtema, in quo omnes exiſtentium ſpecies diſperguntur nec non ſignificationes rerum ac verborum. Ex Architæ libro de Sapientia inter Pythag. fragm. pag. 77. Edit. Thomæ Gale, Cantabrig. 1670. in 8. (e.) P. Malebranche.

§. VI.

Juris Naturæ origo a voluntate Dei, quæ Ideas mentis Divinæ ſapientiâ æterna duce in actum produxit, repetenda eſt. Ejusdem nimirum æternitatis neceſſitatisque moralis ſeu Sapientiæ eſt ac rerum omnium exiſtentia, cunctarum qualitates ſeu Phyſicis ſeu moralibus ſuperſtructæ ſint Regulis. Nimis ergo aberrant, qui Jus naturale a quadam arbitraria Dei voluntate ortum duxiſſe ajunt, quaſi vero juſti atque injuſti Idea, non in ipſius hominis rationis capacis natura exiſteret. Hoc fundamentum eſt illius Regulæ, cujus beneficio impelluntur homines ad bene beateque vivendum in Oeconomia præſenti, quæ neceſſariam relationem ad aliam vitam vel felicitate vel infelicitate plenam continet. Hæc ſunt Principia, quibus innititur de præmiis ac pœnis vitæ futuræ veritas. Sunt enim tranſactæ vitæ conſecutiones neceſſariæ, quæ in ipſa natura fundantur, ut exemplum ſuppeditant in Phyſicis Bombices aliaque quam plurima Inſectorum genera. Sapientiſſime hæc omnia a ſummo rerum conditore ita fuere comparata, ut ſingulorum ſocietatisque univerſæ, præſentis cum futuri Sæculi conjungeretur utilitas, & res omnes modo procederent intelligibili & invariabili per cauſas & effectus ſuos, ſalvâ hominum libertate, quorum culpa mala quæcunque ſunt in mundo orta; ut quam facile probatum darem, niſi hæc alius eſſent loci.

§. VII.

§. VII.

His probè perſpectis facile conciliari (*f.*) poſſunt Cl. *Puffendorfii* & *Leibnitzii* ſententiæ. Primus jus naturale tanquam Divinam Inſtitutionem agnoſcit; at non arbitrariam prorſus, ſed naturæ humanæ convenientem. Secundus Originem Juris Naturalis ab Ideis mentis Divinæ repetit, quæ omnia poſſibilia complectitur & naturam ait juſti atque injuſti in ipſa Idearum convenientia fundari. Quamobrem Logomachiam in tantorum virorum diſputatione ineſſe patet. Hæc autem Cl. Barbeyracus in eruditiſſimo ſcripto Gallico, quod typis mandavit, multa cum perſpicuitate, ut ſolet, explicat. Ex prædictis etiam probatur (*g.*) Ulpianum Phyſicas regulas cum moralibus perperam confudiſſe, ipſi namque *Jus naturale non humani generis proprium, ſed omnium animalium quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc* ait *deſcendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus, hinc liberorum procuratio, hinc educatio, videmus etenim cætera quoque animalia feras etiam iſtius juris peritia cenſeri.* Male admodum, non enim maris atque fœminæ conjunctio, quæ ſolo Phyſico motu & ſenſibili fit impulſu, ſed ſtatus moralis permanens, officia continens varia, moralibus rationibus firmata, matrimonium conſtituit, cujus haud capacia ſunt animalia; Prolis vero educatio, quæ apud quorundam animalium genera locum habet, non fit ratione aliquâ ipſis inſitâ ſed ſenſibili impulſu, ſapientiâ Divinâ ita diſponente. Eodem modo peragitur plerorumque coitus (*h.*) ſtatis temporibus, quibus præteritis nec copulam inter ſe, nec prolem agnoſcunt. (*i.*) Fabuloſa ſunt quæ narrantur de Camelo & equo, qui inceſtus notionem habuiſſe perhibentur. Ego quidem columbam & felem matres aggredientes vidi, & ſi cum eis non potuerint copulari, rationes Phyſicæ impedimento fuere, non inceſtûs timor.

(*f.*) Puf-

(*f.*) Puffend. de Jure Nat & Gent. Lib. I. Cap. I. § IV. pag. 4. Vid. Not. 4. Dom. Barbeyraci in hunc locum. Item §. VII. pag. 6. Lib. II. Cap. III. pag. 155. & Leg. Lib. III. Cap. IV. §. IV. pag. 322. ubi Hobbeſium carpit. Edit. I. Gallicæ Amſt. 1706. Leibnizii Theodicea gall. edita part. II. § 182. pag 348. & 349. & paſſim toto opere Amſt 1712. 8.

(*g.*) Lib I. DD. Titii I. de Juſtitia & Jure Lib. I. §. 3. & Juſt. Lib. I. Tit. II. de Jur. Nat. Gent. & Civili Lib. I.

(*h.*) Ariſt. Hiſtor. Animal. Lib. IV.

(*i.*) Idem Lib. 9. Ed. Venet. in fol. per Joh. de Colonia ſociumque ejus Joh. Matth. de Gheretzen 1476.

§. VIII.

Cum ex iis, quæ hucusque dicta ſunt, Jus naturale ſolis hominibus competere, appareat, reſtat, ut ejusdem præcepta enucleare tentemus. Quin actiones hominum ad finem moralem, hæc tria reſpicientem objecta, Deum ipſum, hominem, & alios ſibi ſimiles, referantur, nemo eſt qui dubitare poſſit, hinc neceſſitatem omnium officiorum oriri omnes vident. Prima igitur Deum reſpicientia Religionem Naturalem conſtituunt, quæ duobus articulis potiſſimum abſolvitur. Primus, vera Entis ſupremi notio eſt, omnia ejusdem attributa lumine naturali cognita continens, & erga illum gratitudo, quæ cultum internum & externum ipſi debitum includit: ſecundus horum practica demonſtratio eſt, quæ fit præceptis Legis æternæ obtemperando, officiaque quæ alteram hancce Religionis Naturalis partem efficiunt perſolvendo. Quidquid dicant alii, Religio Naturalis hæc officia omnia mihi continere videtur, nec Grotium, Puffendorfium, Weberum, aliosque approbare poſſum, qui Jus Naturæ a Religione naturali ita ſeparant, quaſi vero hæc, illud ut partem ejus practicam minimè contineret. Tantâ enim evidentiâ nititur hæc

opinio, ut ei aliud cogitantes Viros illos celeberrimos adſtipulari videamus. (*k.*) *Religio autem quanquam per ſe ad conciliandam Dei gratiam valet, habet tamen & ſuos in ſocietate humana* effectus maximos. *Deoque obtemperandum eſt,* ait Grotius. (*l.*) *Et ut actiones noſtras ad ejus voluntatem componamus*, ſuadet Puffendorfius, qui etiam affirmat, eam (Rel. Nat.) revera eſſe ultimum & firmiſſimum ſocietatis humanæ vinculum, atque, quæ Religione remotâ orirentur incommoda, enumerat.

(*k.*) Grotius de Jure belli ac pacis Lib. 2. Cap. 20. §. 44. Not. 3. & 45. Not. 3. Ed. Amſt. 1702.

(*l.*) Puffend. de Officio hominis & civis Lib. 2. Cap. 4. §. 1. & 9 pag. 45. & 54. Ed. Francofurti Weberi 1705.

§. IX.

Qui fieri poteſt, ut ad conciliandam Dei gratiam valeat Religio ſola notione Dei & cultu conſtans, niſi & præceptorum Legis æternæ accedat obſervatio? Parvi admodum vel nullius momenti eſſent ejusdem in Societate humana effectus, neque eſſet ultimum ac firmiſſimum humanæ Societatis vinculum, ſi carerent homines pœnarum & præmiorum vitæ futuræ notitiâ atque morali demonſtratione. Hoc vidit ſæpe laudatus Dom. *Barbeyracus* (*m.*) & fundamentum iſtud agnoviſſe etiam antiquos Gentiles, longa contra *Baelium* annotatione probavit; varia quoque ad hanc rem congeſſit in eruditiſſima ad Puffendorfium (*n.*) præfatione; Ignoſcat vero mihi (*o.*) ſi ab ejus & Cl. Clerici ſententia ſtare haud poſſum. Theognidem taxant, quaſi ex mente avariſſimi hominis loqueretur, ex illius tamen carminibus, omnia ipſi vi (*p.*) abrepta fuiſſe & tunc patria (*q.*) exulantem Elegiam compoſuiſſe, patet. Unde nihil mirum ſi aliquando acrius de paupertate (*r.*) conqueratur. Virtutem tamen divitiis anteponendam (*s.*) Cyrni propoſuit, parcimoniam commendat & eodem fere ſenſu Aguris (*t.*) medio-

mediocritatem optat. (*u.*) Heſiodi vero ſententia de virtute cum divitiis atque felicitate conjuncta, quam improbant Viri eruditiſſimi, minimè inepta mihi videtur. Miror equidem, Veterum opinionem huicce ſimillimam, cujus extant veſtigia in Geneſi, Jobo, Lege Moſaica, atque Prophetis, ipſis in mentem haud veniſſe. Is erat tunc temporis rerum ſtatus, ut quam maximè omnibus probaretur hæc de virtute cum felicitate conjuncta ſententia, quoniam Illuſtrium Virorum (*x.*) Abrahami, Iſaci, Jacobi, Joſephi, Jobi, aliorumque quam plurimorum exemplo confirmabatur. Multa ad hujus quæſtionis illuſtrationem in medium afferre poſſem, quæ conſultò prætereunda putavi.

(*m.*) Vid. Not. 4. ad §. 3. Lib. II. Cap. IV. de Jur. Nat. & Gent. Puffend. Gall. Ed. pag. 203. & ſeq.

(*n.*) P. XXXII. §. 11. & ſeq.

(*o.*) Ibid. præf. pag. 30. Clericus in v. 284. oper. & dier. Heſiod. pag. 236. & 238. Idem in Parrhaſ. Tom. I. pag. 45. Vide Theognidis v. 920. & ſeq. & 697. &c. paſſim alibi de Divitiis.

(*p.*) Id. v. 346. & ſeq (*q.*) Id. v. 1210.

(*r.*) Id. v. 351. 354. & 385. 391. Ib. de paupertate conqueritur. d. v. 173. & ſeq. ubi conſilium de fugienda paupertate extat. 621. 649. & 650.

(*s.*) v. 145. 150. & 197. 204 & 225. ad 229. v. 605. 606. 693. 708. & ſeq ibid. de divitiarum virtute comparatione agit & 751. juſtè opes acquirendas Cyrni proponit.

(*t.*) v. 1151. & 1112. Ed. Vignonis in fol. 1584.

(*u.*) Heſiod. oper. & dier 270. & ſeq Ed. Clerici.

(*x.*) Vid. Gen. Cap 13 : 2, 5, 6. Cap. 21 : 22, 24, 35. 26 : 12, 13, 14, 28. 27 : 28, 29. 28 : 20. 30 : 23. 39 : 2, 3, 5. Levit. 26 : 2-14 Deut. 11 : 13-15. 22-25. 28 : 1-14. Job. 4 : 7. 8. 5 : 34. 8 : 3. & ſeq. 15 : 18.

ad finem uſque. 20: 4. ad finem. Cap. 24. Job quidem exempla in contrarium adfert, attamen ex ſociorum verbis, non magno numero tunc temporis ea fuiſſe, maximè colligendum eſt. Imò totam Oeconomiam Moſaicam ad Evangelium uſque promiſſionibus temporalibus, divitiarum rerumque affluentiæ &c. innixam, norunt omnes, ut nemini mirum eſſe debeat iisdem temporibus Gentiles ipſomet præjudicio laboraſſe. Vide etiam duos ultimos Callimachi verſus. Hymno in Jovem, ubi Scholiaſtes Heſiodi locum de quo agitur citat.

§. X.

Pœnas & præmia vitæ futuræ, quæ conſtituit Deus, ut robur adderent Legibus ſuis, conſecutione naturali ab obſervatione vel violatione earum manant eodem modo, ac ſi quis vini potu neſciente ſe fieret ebrius, rationeque careret a Phyſico potationis effectu. Idem injuſtis accidit, quanquam Legem effectumque violationis neſciant. Hûc reſpiciunt verba Jeſu Chriſti, cum dicit, eos qui voluntatem Domini ignorantes transgrediuntur, minori pœnâ afficiendos quam qui eam norunt & negligunt. Hanc naturalis pœnarum & præmiorum exiſtentiam, etiam poſt mortem, ratione demonſtrari poſſe puto, quidquid contra ſtatuat *Puffendorff.* Neque pœnæ illæ a voluntate Dei merè arbitrariâ, ſed a voluntate libera quidem at omnia cum ſumma ſapientia rerumque convenientia ordinante pendent. Hinc nulla datur felicitas, ubi deeſt moralis cognitionis capacitas, & hæc ratio eſt præceptorum jurisque naturæ, quæ non tantum præſentis vitæ felicitati ſed & futuræ accommodantur. Rationis autem abuſum cum videret Deus optimus maximus, remedium dedit hominibus, Legem & Evangelium. Providentiâ & bonitate ſuâ commotus Legum latores & Juris peritos, qui plus minusve Juris Naturæ dictamina ſecuti ſunt, veritatis ejus vindices apud Gentiles extare voluit, ne totum genus humanum

num

num prorſus interiret. Concludamus tandem, Religionem naturalem, potentiæ, ſapientiæ & bonitatis Entis ſupremi genuina notione & Legis æternæ præceptorum obſervatione abſolvi.

§. XI.

Nunc cognitione remota, quam a Revelatione ſcripta acceperunt, diſquirendum eſt, quæ ſit illa veri Dei notio, & qualis cultus ille, quorum harmonia Religio Naturalis componitur. Hæc ex Characteribus divinæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis, qui in mundo apparent colligitur. Impoſſibile enim eſt quin a quodam Principio æterno ortum ducant omnia. *Epicurei* atomos ab æterno in infinito inani ſeſe moventes rerum omnium principia dixere. *Spinoſiſtæ* unicam corporeamque ſubſtantiam, cujus res omnes ſunt Phænomena, ſtatuunt. Omnia autem ſecundum utrorumque ſententiam absque fine aut ſapientiâ, ſed ſolo quodam cœco atque neceſſario motu exiſtunt. Quâ opinione nihil abſurdius vel cogitari poteſt. Horum verò inſaniam attingere, funditusque profligare, nunc non vacat, alias forſam quadam diſſertatione, quæ fermè abſoluta penes me eſt, novâ methodô id præſtari poterit. Communis eaque hominum omnium veriſſima opinio eſt, quod ex aſtrorum curſu, regulatæ plantarum animaliumque oeconomiæ & aliorum Univerſi Phænomenon horumque invicem harmoniæ contemplatione, neceſſario Deum eſſe æternum, omnipotentem, ſapientiſſimum, optimum, & omnium conditorem moderatoremque, concludatur. Hancce notitiam excipit cultus, qui admiratione gratitudine & confidentia in Deum abſolvitur. Ad cultum huncce internum nihil externi luminis naturali adjungendum videtur, præter laudes ſupremi numinis mutuis hominum ſermonibus ubique dicendas. Hoc agnoviſſe veteres gentiles ex eorum ſcriptis patet, at quando Cæremoniarum, præſertim (y.) animalium

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſacrificiorum rationem reddere voluerunt, mirum in modum eos ſe torquere & longe a veritate abire videmus. Harum rerum origines, nihil mirum, eos minimè aſſequi potuiſſe, quum à Jure poſitivo Dei non à Jure naturali pendeant. Supra dictis contraria Jure naturali prohibentur, iniquæ opiniones de Deo, Blaſphemium, Perjurium, Superſtitio & his ſimilia, quæ cultum internum corrumpunt vel eum prorſus deſtruere videntur.

(y.) Vide Porphyrium de abſtinentia Lib. 2 §. 9. & ſeq. pag. 57. Ed. Cantab. 1655; Jamblicus de Myſteriis Ægyptior. Sect. 5 præſertim Cap. 5 p. 121. & ſeq.

§. XII.

Sequuntur hominis officia erga ſeipſum, quæ hoc generali præcepto contineri queunt. *Homo dignitati deſtinationique ſuæ omnia agat conſentanea.* Cum igitur ad hanc Regulam ſe componere debeat, & natura ejus ita comparata ſit, ut bona corporis & animæ ſint invicem copulata, ita ut nemo vix unius commoda quærat, quin etiam alterius aliquid interſit. Videndum eſt, ne dum corporis commoditatibus ſtudet homo, anima, quæ potior ejus pars eſt, detrimentum accipiat. Quæ vero ad animam referuntur, quandoque cum aliquo corporis incommodo & in quibusdam caſibus cum totius corporis interitu quæri poſſunt ac debent. Idcirco magna cum moderatione & æquitate bona corporis, veſtimenta, victum, ſanitatem, vitam quoque vel acquirere vel tueri diſcant homines, neve cum aliorum detrimento id fiat, niſi in extremæ neceſſitatis caſu, proſpiciendum eſt. Hinc ſequitur, hominem non ſoli ſibi natum cumque ipſe ſuam quærit utilitatem etiam ſocietatis utilitati conſulendum eſſe ſibi ſentiat. Conjuncta enim ſunt utriusque bona & utilitates. Nec inde exiſtimandum eſt, utilitatis tantum gratiâ homines in ſocietatem

coa-

coaluiſſe, quanquam hæc cum illa naturaliter conjuncta ſit. Ad ſocietatem aptæ ſunt omnes Creaturæ intelligentiâ præditæ, ad commercium mutuum natæ & formatæ, ut felicitate communi promiſcuè fruantur. Et hæc locum haberent, tametſi homines ejusmodi utilitatem minimè perciperent, cujus indigentia, inopia, debilitate rerumque neceſſitate laborent omnes. Ex hoc apparet, primam hominum ſocietatem civilem ab ipſa nâtura ortum duxiſſe, nulla quorundam malitiæ ratione habita, ut quidam putarunt. Aliud enim eſt Civilis ſocietas, aliud Regulæ variæ, quæ temporum progreſſu ad communem utilitatem fuere compoſitæ. Ut ergo ſibi ſocietatique conſulat homo, artium ſcientiarumque utilium notitiam ſibi comparet neceſſe eſt, & ſimul maximâ utatur cura, ne occupationes ſuſcipiat quibus animæ ruina paretur.

§. XIII.

Hactenùs hominem non ſolitarium animal ſed ſocietati aptiſſimum vidimus, hinc fit, ut de officiis ipſius commode minimè tractare poſſimus, quin aliorum rationem habeamus, ita enim inter ſe connectuntur multorum obligationes, ut vix quæ ſingulorum ſunt attingere queamus, quin de multis idem dixiſſe videamur. Hæc cogitans, Geometrarum more, neceſſarium putavi, Propoſitionem vel Axioma generale præmittere, quo mediante, corollariorum inſtar omnes omninò Juris Naturalis & Civilis quæſtiones ſponte ſuâ promanare quirent; ſequentia tamen prænotanda ſunt. Trifariam contemplari poſſunt hominum officia: Hominem conſiderando, quatenus ſolus cum conjuge à ſummo rerum productore conditus eſt, vel quatenus in mundum accedimus omnes, vel denique tanquam ſi omnes ſimul creati fuiſſent, hominum perfecta æquitate gaudentes. *Nam* inquit Hierocles (z) *unusquisque noſtrum undique multis*

 veluti

veluti circulis circumſcriptus eſt, quorum alii minores, alii majores ſunt, alii continentur juxta diverſos ac inæquales ad ſe invicem habitus. Primus etenim & proximus circulus eſt, quem unusquisque circa mentem ſuam veluti centrum deſcriptum conſtituit, in quo & corpus noſtrum & ad uſum ejus pertinentia inſunt, & minimus ipſumque prope centrum attingens hic circulus eſt. Ab hoc ſecundus remotior centro & primum inter ſe concludens Parentes, Uxorem, & Liberos comprehendit. Tertius Avunculos, Materteras, Avos, Avias, Nepotes ex fratribus & conſobrinos habet. Poſt illum eſt, qui reliquos cognatos continet, deinde popularium, mox tribulium, poſtea militum circuli ſequuntur. Ab illis urbis vicinorum circulus & alius Gentilium ambiunt. Extremus autem eſt, maximus omnes ambitu ſuo eos concludens, totius hominum generis eſt. At quocumque demum, primô, mediô vel extremô circulorum exordium ducatur perinde eſt, cum tamen de officiis omnium dicendum ſit, ad *Puffendorſii Donati*, aliorumque exemplum a communi hominum æqualitate utpote tractationi accomodatiſſima inchoandum eſſe arbitror. Hoc ergo axioma eſto: *quæcunque ad humanæ ſocietatis, totiusque generis humani commodum & perfectionem conferunt, jure naturali præcipiuntur, omniaque quæ ad ejus interitum tendunt, eodem jure vetantur.*

(z) Pag. 238. edit. Pearſoni Lond. 1655.

§. XIV.

Ex hac generali propoſitione, cujus evidentiam nemo negabit, neceſſariò ſequitur, quomodocumque inſpiciamus homines, ſive in ſtatu naturali, ſive in ſtatu civili, ſub Monarchico & Ariſtocratico vel Democratico regimine viventes, ſequentes eis jure naturali præcipi virtutes: Bonitas, Lenitas, Clementia, Liberalitas, Gratitudo, ad humanitatis officia obeunda quam aptiſſimæ, Veracitas, Fidelitas, Moderatio, Temperantia, Juſtitia, Innocentia & Pudicitia, ad mutuum humanæ civiliſque ſocietatis commercium vitam-

tamque felicem agendam perquam neceſſariæ. His vero contraria vitia eodem jure vetita: Mendacium, Malitia, Dolus, Fraus, Perfidia, Avaritia, Invidia, Superbia, Contumelia, Ira, Crudelitas, Cædes, Rapina, Furtum, Ebrietas, Scortatio, Polygamia, Inceſtus, Adulterium, Divortium, Pædicatio, cum brutis concubitus, quæ ſi ab omnibus patrarentur, totius humani generis procul dubio oriretur interitus. De Polygamia, Inceſtu & Divortio dubitarunt Viri Doctiſſimi, cum primis autem Celeberrimus Grotius. (*a.*) *Illud* inquit *libens agnoſco, nihil nobis in Evangelio præcipi, quod non habeat naturalem honeſtatem, ſed non ulterius nos obligari legibus Chriſti, quam ad ea quæ Jus Naturæ per ſe obligat, cur concedam non video. Et qui aliter ſentiunt, mirum quam ſudent ut probent, quæ Evangelio vetantur ipſo Jure Naturæ eſſe vetita, ut Concubinatum, Divortium, Matrimonium cum pluribus fœminis; ſunt quidem hæc ejusmodi ut iis abſtinere honeſtius eſſe dictet ipſa ratio, at non talia ut abſque Lege Divina in illis nefas appareat.* (*b.*) *Et alibi, de Conjugiis eorum qui ſanguine aut affinitate junguntur. Satis gravis eſt quæſtio & non raro magnis cum motibus agitata; Nam cauſas certas ac naturales, cur talia conjugia ita ut legibus aut moribus vitentur illicita ſint, aſſignare qui voluerit, experiendo diſcet quam ſit difficile imò præſtari non poſſit.*

(*a.*) Grotius de Jure belli ac pacis. Lib. 1. Cap. 2. §. 6. n. 2. pag. 27.

(*b.*) Id. Lib. 2. Cap. 5. §. 12. n. 1. pag. 244.

§. XV.

Præceptorum Evangelicorum naturam nunc quærere neceſſarium non judico. Vitia illa de quibus agitur, a generali propoſitione ſupra poſita promanare aio. Grotiumque & qui cum eo ſentiunt perperam exiſtimare, ea lege poſitiva non jure naturæ vetita, oſtendam. In promiſſionibus, malitia, fallacia; in ſermonibus mendacium; in conventionibus, contra-

ctibus & pactionibus fraudes; inter pares ſuperbia, iræ, verbera, cædes; inque legitimo rerum dominio furtum, rapinæ & id genus alia, ſua ſponte jura naturæ ſocietatisque humanæ vincula evertere, nemo non videt. Quid ergo in cauſa eſt, cur contrarium de Polygamia, Inceſtu, & Divortio plerique hominum credant? Hujus ſententiæ duæ ſunt rationes. Singulare ſophiſma, cui adulatorii nomen imponere mihi liceat, ad exemplum ignavi (c.) Sophismatis veterum. Anne ad Logicæ perfectionem veritatisque indagationem conferret, apta nomina Sophismatibus excogitare, CC. DD. *Clerico* & *de Crouzaz* aliisque Philoſophis examinandum relinquo. Adulatorium ergo Sophiſma & Patriarcharum Exemplum, gentilibus, Judæis & plerisque Chriſtianorum occaſionem de hac quæſtione dubitandi præbuere, ſed ſi vitia iſta hominis dignitati ſocietatique humanæ contraria demonſtravero, tunc parum firma ſophiſmatis illius corruent fundamenta. Etiam Patriarcharum imperium nullius ponderis eſſe & parum aptè adhiberi evincam, ſicque viam ad inceſtus divortiique examen aperiam.

(c.) Vide Cic. de fato col. 417. & 11. & col. 418. A. Tom 4. Operum Cicer. Edit. Gothofredi apud Chovet. 1606.

§. XVI.

Miror equidem, viros Litteratiſſimos fugiſſe duorum generum vitia dari, quorum alia magis, alia minus directe in Jus Naturæ peccant. Prioris generis omnia ea ſunt de quibus locutus ſum, poſterioris verò illa de quibus nunc dicendum eſt. Et primum de *Polygamia*, quæ Concubinatum involvit dicam. Hancce trifariam divido, in promiſcuum fœminarum uſum, in multorum virorum cum uxore unica conjunctionem & matrimonium cum pluribus fœminis.

De

De vago Concubitu & de Mulieris unicæ cum plurimis viris conjunctione plerique auctorum & ipſe *Lyſerus* (*d.*) quondam magnus Polygamiæ propugnator, non dubitant quin jure naturali ſint illiciti. De tertia Polygamiæ ſpecie adhuc ambigitur. Videamus num huicce diſputationi lucem aliquam impertiri queamus.

(*d.*) Vide Baile Nouvell. de la Rep. des Lettr. An. 1685, pag. 342. ubi Compend, *Lyſeri* ſcripti cui titulus: Polygamia Triumphatrix.

§. XVII.

Hominis dignitas & excellentia in eo conſiſtit, quod objecta omnia quæ illum undique circumdant non Brutorum inſtar ſenſibili perceptione tantum, ſed notione intelligibili cognoſcit, cujus adminiculo rerum convenientiam & ſcopum finemque objectorum ſuarumque actionum invicem ſi lubet diſcernit. Nulla autem daretur humana ſocietas, niſi in ea ineſſent variæ hominum relationes vel ſtatus morales, qui deſtinationi ipſorum conducerent. Illinc familiarum regulatarum origo atque aptiſſima conſtitutio, ex quibus generis humani conſervationem promanare nemo quod ſciam inficias ibit. Cæterum obſervandum eſt, in actionibus corporum quæ in ſolo Mechanico motu conſiſtunt, nullam ineſſe turpitudinem. Tribus de cauſis Polygamia legi naturæ adverſari mihi videtur. 1. Quia hominem ad libidinem excitat & ad ferinam vitam creaturæ intelligenti & rationabili minimè convenientem deprimit. 2. Liberorum educationem pleriſque hominum impoſſibilem reddit. 3. Familiarum verò unionem funditùs diruit. Quæ omnia ſi cum animo præjudiciorum experte conſiderentur, eluceſcet quam maximè propoſiti Axiomatis veritas. Ad hoc faciunt omnium Polygamiæ propugnatorum exempla, cum eos libidinis ſolum, nullam

lam verò liberorum rationem unquam habuiſſe conſtet. Hujus rei Muhamed fanaticus Arabum Propheta lucentiſſimus teſtis eſt. Cum videret Agirta, Polygamiam ſtare haud poſſe, niſi regulis quibusdam coarctaretur & divortii beneficio gauderet, uxores legitimas vel conditione liberas, vel ſervas, non ut vulgo creditur tantas quantas alere poſſent, (*e.*) ſed quatuor ad ſummum ſuis conceſſit, ſibi verò plurimum fœminarum uſum (*f.*) a Deo permitti pronuntiavit. Quam difficile res familiæ ob fœminarum diſſenſiones procederent, cum ſubodoraſſet, auctoritatem eas verberandi, divortio dimittendi Arabibus permiſit, at de libero tum ſtatu, educationeque altum apud eum eſt ſilentium. Si uxorum numerus ad opum quantitatem menſuraretur, ubi reliquum aliquid ſupereſſet, quod ad liberorum educationem conferre quiret? Nemo enim eſt, niſi dives admodum, qui vel binas, vel quatuor ſimul uxores cum earum prole, ſi adſit, alere aliaque utrisque neceſſaria ſuppeditare poſſit. Quantas in familiis controverſias, verbera, adulteria, cædes, infanticidia & id genus alia quæ horrorem incutiunt, multarum fœminarum uſu, (*g.*) apud Turcas, Perſas & Indos oriantur, ex hiſtoriis patet. Ponamus tandem, cunctis nationibus plures uxores ducere Legibus vel uſu permitti, undenam quisque tantas accipiet quantas volet, niſi Spadonum ingens exiſtat numerus, cum experientia compertum ſit, pari numero mares ac fœminas ubique naſci. De ſervis fœminis pecunia adſcitis quid dicam? nonne vel bellum continuum vel pauperum multitudinem vel liberos inopia dividendi coactionem vel denique latrones, ut ſunt Arabes & Tartari, aut ea omnia ſimul neceſſario ſupponere videntur? Quis non ex hoc nihil Polygamiæ licentiâ atrocius in generis humani perniciem vel excogitari poſſe, putaret? Furtum jure naturæ ideo prohibitum, quod ſi

omni-

omnibus liceret, totius ſocietatis humanæ oriretur interitus: rationem verò, cur Polygamia, quæ idem aliâ viâ præſtaret, eodem jure licita, non video.

(*e.*) Surata Mulierum IV. Alcorani Arab.

(*f.*) XXXIII. Surata Agminum. Id. Surata IV. Mulierum.

(*g.*) Vid. Chardin Voyage en Perſe &c. Tom. VI. Cap. 12-14. H. Ricaut Etat de l'Empire Ottoman Lib. 2. Cap. 21. pag. 362. & ſeq. aliasque ejusmodi itinerum Relationes.

§. XVIII.

At regeret aliquis, hominem ita a natura comparatum eſſe, ut anni ſpatio plures generare poſſit liberos, quam facultatem cum unica uxore haud exercere queat, hincque multarum fœminarum uſum ipſi cum (*h.*) Lyſero neceſſarium concludet. Verum bonus ille Lyſerus veritatem minimè aſſecutus eſt, nam etſi vera eſſent quæ putaverat, neque binæ, tres, quatuor, denæ, viginti, vel centum denique homini prouti alius alio robuſtior & ad venerem pronior exiſteret, ſufficerent fœminæ. Hinc liquet, hominum vel fœminarum ad venerem proclivitatem naturæ rationabili minimè conſentaneam eſſe. Cunctis ferè animalibus ſtata tempora conſtituit Deus, ut ſupra innuimus, quibus ad propagationem copularentur, hominibus autem rationem, non Phyſicas regulas dedit, ut liberorum procreationi, prouti rei neceſſitas & ratio id poſceret, operam darent. Quod ſi homo in ſtatu innocentiæ permanſiſſet, omnia ſumma cum harmonia procederent; tempus enim absque labore & moleſtia expectare potuiſſet, donec unusquisque liberorum ad definitam ætatis partem creviſſet. Hujuſce regulæ Phyſicum præbent exemplum varia animalium præſertim avium genera, ut Columbæ, Ciconiæ, aliaque quamplurima. At proh dolor! Rationis abuſu factum eſt, ut excellentiſſimum generationis opus in peſſimi affectus abiret tyrannidem, qua nullam

lam majorem potentioremque inter homines dari ſciunt omnes. Peſſime ergò eruditione & ſcientia abutuntur omnes ii qui de hocce hominis progignendi officio loquuntur, ut fecerat Lyſerus, quaſi de quodam bruto animali ageretur, neque ex intimis Phyſicæ penetralibus. Nunc omnia expendere operæ pretium non arbitror; obſervaſſe ſufficiat, ſi partes illæ quæ generationi inſerviunt, ad delectationem ſolum datæ fuiſſent, nullam ferè regulam aut variabilem admodum, ut de oſculo obſervandum eſt, admiſiſſet earum uſus. Etſi præter generationem nihil vel parum de liberorum educatione foret cogitandum, atque genus humanum gallinarum vel pecorum inſtar ſe haberet, multis tunc fœminis uti cuique liceret. Aberrarunt igitur omnes omninò, & Hebræi quoque qui de hac re tractarunt, quaſi verò ad generis humani propagationem conſervationemque nihil aliud deſideretur præter utriusque ſexus copulationem, conſiderationem autem rerùm omnium, quibus ad longum tempus indigent liberi, ſicco tranſierunt pede.

(*b.*) Vid. locum citat. Bælii pag. 342.

§. XIX.

Expoſitis iis quæ in primum argumentum dicenda videbantur, nunc paucis aliud argumentum è Patriarcharum exemplo petitum tangam. Rem utique in ſacris literis tractatam altius repetendam operæ pretium puto. Hominem cum fœmina unica in rerum principio Deum condidiſſe teſtatur (*i.*) Hiſtoria ſacra, cui Gentilium dicta ſive ſcriptis contenta ſive traditione conſervata adſtipulantur. Nec inepte Hebræorum magiſtri cum Brutis concubitus, Pæderaſtiæ, inceſtusque interdictionem ex verbis in matrimonium Adæ prolatis affirmarunt. Nihil vero aliud impedivit, quominus Polygamiam, divortiumque iisdem verbis condemnari videretur, præter Patriarcharum exemplum, Legiſ-

Legiſque Moſaicæ indulgentiam: Verba enim iſta, *& hærebit vir* cum uxore ſua, non cum uxoribus, *eruntque in carnem unam,* multitudinem uxorum illicitam putant, primumque inſtitutum illud ad Lamekum usque tam a Cainitis quam à Sethanis obſervatum, innuit ſcripturæ ſilentium. Primus itaque hominum qui digamus extitit is fuit Lamechus Enocho ſancto Patriarchæ, ni fallor, coævus & è Caini proſapia oriundus. Ab ipſo cœpit Polygamiæ uſus apud omnes propagari, ita ut cauſa præcipua fuerit illius horrendæ orbis Cataſtrophes, cujus adhuc ſuperſunt (*k.*) Hiſtorica (*l.*) naturaliaque monumenta omni exceptione majora. Quis autem poſt diluvium uſum generi humano adeo infauſtum renovaverit ignoramus. Ex hiſtoria (*m.*) Moſaica apud Meſopotamiæ incolas & Chananæos temporibus Abrahæ ac deinceps cum pluribus fœminis matrimonia viguiſſe percipimus. Et hoc in cauſſa fuit, ut incaute & velut per accidens huicce uſui ſe accomodaverit Abraham & Jacob. Ex eorum hiſtoria id cuique Lectori attento patet; Annum enim ætatis ſuæ octuageſimum quintum attigerat unica ſterilique uxore contentus, neque de alia ſuperinducenda vel ipſe, vel Sara de ipſi alia tradenda cogitaverant, donec accidiſſet prolis promiſſio quam a Deo acceperant, nulloſque poſt natum Iſmaelem alios ab Agare ſerva ſuſcepit liberos, plures verò poſt Saræ obitum a Cethura habuit, ne quis ejus frigiditatem objiciat. Jacobus parum diſſimili ratione fit Polygamus. Cum is ad Labanum acceſſiſſet, Rachelis amore captus de hac ſola fuerat ſollicitus, & niſi a ſocero deceptus fuiſſet nunquam de aliis uxoribus ducendis nec per ſomnium cogitaſſet. Matrimonia ergo Abrahæ & Jacobi multum a Lamechi, Eſaui aliorumque Polygamorum matrimoniis differunt invicem. David more regio ad circumvicinarum Gentium exemplum plures ſibi adſciverat uxo-

res quidem, at non ad Salomonis inſaniam usque; majori tamen Patriarcharum culpa, quin id fecerit utique contra expreſſum (*n.*) legis præceptum, minimè ambigendum eſt. Nugantur Hebræorum Magiſtri, dum ex verbis Nathanis Prophetæ matrimonium cum pluribus fœminis licitum demonſtrari putant. Verba illa Dei non quaſi Polygamiam approbantis ſunt, cum eam in lege vetitam, præſertim Regibus pronuntiaſſet, ſed more Hebraico quo omnia ad eum referuntur, ut ab omnibus Commentatoribus obſervatum eſt. (*o.*) Quod locum illum Legis attinet, in quo de Jure Primogenituræ inter duarum uxorum Liberos tractatur, cum de mulieribus ſucceſſivè ſumtis, vel quarum una fuiſſet repudiata, intelligi queat, nihil hinc ad Polygamiam propugnandam elici poſſet. Ponamus tamen, de Digami filiis agi hoc in loco, nonne eadem reſpondere poſſumus quæ (*p.*) Dominus Phariſæis de Divortii uſu ajebat: quanquam ex ejusdem Sacratiſſimi Salvatoris verbis illud primitivæ Matrimonii inſtitutioni adverſari appareat. Antequam huicce Articulo finem imponam, meminiſſe juvabit, ſophiſma illud adulatorium quod ſupra indicavi impedire, quominus homines polygamiam jure naturæ illicitam pariter atque furtum & homicidium minime agnoſcere queat. Nemo autem eſt qui cum de furto vel homicidio loqui audiat, non illico hæc vitia contra naturam peccare aiat, quia uniuscujusque intereſt, ne occidatur, aut furto bonorum ſummâ curâ & ſollicitudine partorum privetur. Quum autem de Polygamia, inceſtu & divortio fiunt ſermones, ſtatim ſponte ſua ſophismatis vim, paſſionem noſtrum omnium adulando, prodire videmus, obſtareque, ne idem de iſtius modi vitiis absque hæſitatione affirmemus. Hinc diſcamus quàm inſulsè dicat (*q.*) Lyſerus, Deum quidem unam tantùm fœminam pro Adamo condidiſſe, attamen monoga-

nogamiam indè non probari, quandoquidem bina uniuscujusq; ſpeciei animalia fuere creata, non tamen ut conſtante regula copularent ſe invicem unus cum una. Perperam hic bonus ille author homines rationis capaces cum brutis confudit, neque vidit ſumma ſapientia factum eſſe; nimirùm rationis expertes regulis moralibus adſtringi haud potuiſſe, ne etiam deficerent animalium genera, cum plurima hominibus, animantibus quoque aliis, in alimentum cedere debuerunt.

(*i.*) Gen. cap. 1: 27. & cap. 2: 22. Græcor. fab. de Pandora prima fœminar. vid. apud Heſiod. Theogon v. 513. ubi Jovis fictam nominat, & v. 571. Vulcanum eam è terra formaſſe aſſerit. Operamque ad eandem adornandam locarunt alii Gentilium Dii v. ſeq. vid. eundem in oper. & dier. v. 60. &c. Apollodorus Lib. 1. & 2. Hygin. fab. 142. Mendoza ſecundum Sinens. Tradit. primam fœminam Pauſonam nominat. Relat. della China pag. 36. ed. Rom. 1586. At Sinarum Annales *Niu-Kua* Fohi ſororem nominant eamque Reginam ſtatuunt. Noſtram vero Evam eſſe, me aliquando probaturum ſpero, ſi Deus vitam vireſque porro conſervare dignetur.

(*k.*) Ogygis Deucalioniſque Diluviorum, plurimi Græc. & Roman. Auctores paſſim meminere. Chaldæi ſuum habent *Silutrum*, Chinenſes *Yao*. Suum etiam habent diluvium, quotquot Americam incolunt populi, ſuum habent Brachmanes. Vid. Epiſt. Marchal. Mem. de Trevoux pag. 402. 1701.

(*l.*) Arbores, herbæ, inſecta, Animalium denique tum marinorum tum terreſtrium Oſſa, Piſces, Conchilia, & id genus alia ubique terrarum reperiunda, reliquiæ ſunt illius Cataſtrophes auro contra pretioſiores, quæ in Principum, Rerumpubl. & Philoſophorum quorundam Pynacothecis aſſervantur.

(*m.*) Gen. cap. 22: 20-24. 26: 34. & 29: 27, 28.

(*n.*) Deut. cap. 17: 17. 2. Sam. 12: 8.
(*o.*) Deut. cap. 21: 15.
(*p.*) Matth. cap. 19: 3. & ſeq. Marc. 10: 2. Luc. 16:18.
(*q.*) Uti ſupra pag. 346.

§. XX.

Porro multos ſciſcitari mihi videre videor, num plures accipiendo uxores peccaverint Patriarchæ, quibus affirmando reſpondere non vereor; minus enim arrident, quæ (*r.*) auctores quosdam ad hanc rem dicentes comperi, ad ſtirpis ſanctæ multiplicationem diſpenſatione vel inſpiratione id factum aiunt; neutrum verum; infirmitate & ignorantia id eveniſſe (quanquam per accidens gentis electæ multiplicationi ſervierit) Deumque vitium illud aliaque ignota peccata eis condonaſſe, ex hiſtoria ſacra colligendum eſt. Factum illud neque vituperando neque laudando narravit, inſpirationem, vel diſpenſationem, ne verbulo quidem indicavit S. Hiſtoricus. Hinc palam fit, quantum poſſit exemplum, quo cum adulatorio ſophismate abutentes Rabbini ſocordiam propriam promere non verentur. Exiſtimant nempe hæreſim Sadducæorum opinionem eam eſſe, qua ſimul binas haberi jure uxores negabant ex lege illa: (*s.*) *Uxorem ſorori ſuæ non accipies in ejus afflictionem*; ibi enim *ſorori ſuæ* eſt loco alteri, ut verbum ipſum fert. Et Peſiſchtæ autor (*t.*) apud Seldenum huicce opinioni non rationes ſed exempla opponit, quæ more quidem binas ſimul uxores ducere uſitatum, at jure naturæ licitum, minime demonſtrare queunt: de hocce Polygamiæ articulo Muhammede ineptius locuti ſunt Rabbini, ut ex utrorumque operum collatione patet.

(*r.*) Fortalitium Fidei Lib. 4. de Bello Saraceno. fol. 283. Lugduni 1525. Dionyſius Carth. in Dialogo cum Saraceno pag. 483. & 484. In opere cui titulus D. Carth. contr.

contr. Alcoran & Sect. Machometic. Libri quinque. Coloniæ 1533. Vives de Verit. Fidei Chriſt. pag. 624. & 625. Ed. Baſil. 1544.

(*s.*) Levit. 18 : 18.

(*t.*) Seld. de Jure Nat. & Gent. juxta Hebræor. diſcip. Lib. 5. Cap. 6. pag. 585. Ed. Lipſ. 1695.

§. XXI.

Inceſtus viri connubium eſt cum fœmina quibusdam conſanguinitatis gradibus ipſi conjuncta. Quod jure naturæ vetita ſint hæc connubia, exceptis forſan aſcendentium deſcendentiumque gradibus, omnes dubitant, rationesque quibus id ſit illicitum nemo quod ſciam liquido attigit Quas meditando ipſe inveni, nunc proponam, ut non ſolum aſcendentium deſcendentiumque ſed ut transverſalium graduum quosdam jure naturæ vetitos demonſtrem. Hujus Legis naturæ præcepti fundamentum à dignitate hominis repetendum eſſe arbitror, quem, in quocumque demum ſtatu ſupponatur, nunquam amittet. Moralis vero dignitas vel minui vel augeri poteſt, hæc ab actionibus hominum, illa à natura ipſa humana pendet. Quin rationes morales ab actionibus hominum oriantur, nemo unquam dubitavit, præter materialiſtarum catervam, quæ omnia mechanicis brutisque motibus fieri autumat Ita tamen moralitas illa cum hominum natura connectitur, ut nec hominis idea absque ea vel concipi queat. Prima omnium actionum, quæ humanæ ſocietati originem dedit, matrimonium fuit; quod ſtatim inter conjugatos relationem ſtatumque moralem produxit, ex quo tandem paternitatis filiationisque invicem & inter liberos fraternitatis ortæ ſunt relationes. Et unius eorum matrimonio, alia inter ejusdem liberos & alium fratrem nova oritur relatio, quæ tandem ob collateralium graduum diſtantiam gradatim minuitur,

 donec

donec prorſus intercidat. Iſtius modi ſtatus nulli inter bruta dantur, præter alicujus paternitatis ſpeciem, quam poſt ſtatum alimentationis tempus interire videmus. Apud homines autem, ni brutorum inſtar vitam agere velle videantur, ad mortem usque, ut pote non ſoli Actioni Phyſicæ ſed & morali dignitati innixi, permanere debent integri. Hinc fit ut homini excellentiori natura prædito jure naturæ inceſtuoſos concubitus prohibeantur, animalibus minimè. Rationes neſcio quas *certas ac naturales* hic deſiderare videbatur (*u.*) H. Grotius, quæ iſtius modi obſtarent connubiis; At non viderat Vir Celeberrimus, nulla (exceptis maſculorum brutorumque Copulationibus) hujuſce nec inter Parentum & liberorum concubitus naturalia impedimenta dari. Ipſe etiam hæc ſubodorans, rationes morales proponit, ſcilicet liberorum erga parentes reverentiam, quæ matrimonia illa non irrita nec illicita reddere videtur. Cauſſa in fallor unica eſt, ne confunderentur omnes familiarum relationes, vel connubiis vel facilitate atque licentia libidinis, ad quam omnes fermè propenſiores exiſtunt homines, illincque totius humanæ ſocietatis oriretur interitus. Quantis familiæ perturbationibus eſſent obnoxiæ, & quam horrendum in modum ſe haberet earum ſtatus, imo ad longum tempus haud ſtabiles permanere quirent. Si Pater cum filia, filius cum matre, frater cum ſorore invicem copularentur, præſertim ſi Polygamiæ divortiique adderetur licentia. Neque liberorum Adæ objiciantur matrimonia. Tunc temporis periculum nullum erat, quippe fratrum ſororumque connubia poſt ſe nulla iſtius modi incommoda habebant. Nulla tunc præter fraternitatis erat relatio, quæ humani generis propagationi prævalere minimè debuerat. At incommoda, quæ minutatim recenſere haud neceſſarium putavi, ita cum omni facilitate creantur, ut ſi (*x.*) Orientalibus credimus, nec iis carere potuerit Adami familia

milia, ſecundum enim eorum ſententiam ob ſororis gemellæ Caini amorem orta eſt Abeli cædes; Fratrum vero ſororumque connubia illo tempore poſteriora, præter jus naturæ, nulla tunc neceſſitate id poſtulante extitere. Hujusce negativi juris naturæ præcepti apparebit veritas, ſi cum furto vel homicidio conferatur. Adamo cum ſolus eſſet non prohibebantur hæc vitia; ſtatim tamen poſt hominum multiplicationem vetita eſſe cœperunt.

(*u.*) De Jure Belli ac Pacis Lib. 2. cap. 5. Parag. 12. Not. 1.

(*x.*) Vide Said Ibn Batrick. Tom. 1. pag. 14& 17. ubi Caini & Habelis Hiſtoriæ reperiuntur.

§. XXII.

Parentum cum liberis matrimonia abſolutæ neceſſitati nunquam fuere adſtricta. Errore tantum inceſtus filiarum Loth acciderat; qui earum peccatum ſi non omnino tollit, ſaltem illud maxime minuere videtur. Exiſtimaverunt nempe, omnes terræ incolas cum Sodoma aliisque urbibus periiſſe, hincque ſibi à ſummo rerum conditore neceſſitatem impoſitam cum patre concumbere, ut generis humani impediretur interitus. Exempla ſi quæ ſint, ut apud Perſas, nihil ad rem faciunt; rationibus non exemplis demonſtrantur veritates morales. Rara tamen fuiſſe ejusmodi connubia mihi perſuadere patior, ob varia naturalia impedimenta quæ in omnibus familiis ſæpè erant obvia, ut longa parentum brevisque liberorum vita, ut de aliis incommodis taceam, quæ ab omnibus ſumma cum facilitate concipi queunt. Liberorum ratio etiam hic deſideratur, niſi enim eorum haberetur conſideratio, non ad humani generis propagationem, ſocietatisque conſtitutionem conſervationemque, ſed libidinis explendæ gratia fierent iſtius modi connubia. Meditetur tandem unusquisque, quid de prole fieret, ſi hæc locum haberent in

variis caſibus, quos inter homines quotidie naſci videmus. Perſonæ ergo cognatæ jure naturæ vetitæ meo quidem judicio ſequentes ſunt. Mater & Avia, filia & neptis, collateralesque à Patre, ſoror & ſororis filia, ab avo denique amita & matertera. Amitina vero & conſobrina aliæque ab eis majori diſtantia diſſitæ ſunt licitæ. Longam vetitarum fœminarum ſeriem enumerare haud neceſſarium exiſtimavi, idem enim de proavia, pronepte, ſororis nepte, amita & matertera magnis, & ſic deinceps arbitrandum eſt. Eadem de affinitate conjunctis me dixiſſe putent æqui lectores, neque leviratus legem quæ Judæ temporibus in uſu erat mihi objiciant. Lex hæc a Moſe fuerat ſancta, ne confunderentur Iſraelitarum tribus, & ut ad Meſſiam usque terræ Cananeæ diviſionis monumentum maneret intactum; Hæcque ratio tanti fuit ponderis, ut inceſtus culpam auferret, quod & in connubiis filiorum Adæ cum ſororibus alia ratione primitus acciderat. Hinc apparet, ad inceſtum fugiendum jure naturæ omnes obligari qui non in iis circumſtantiis exiſtunt, quibus exceptionis privilegio gaudere queant. Exceptiones autem, quæ in hocce de inceſtu præcepto dantur, ad juris naturæ præceptorum rationes, quas ſupra innuebam demonſtrandas, ſtatimque omnes controverſias a variis in hanc rem ſuſceptas componendas, quam aptiſſimæ mihi videntur, ut huicce articulo aliquid ultra addendum ſupervacaneum judicem.

§. XXIII.

De *Divortio* varie à variis uſitato paucis agam. Quin matrimonii naturæ adverſetur nemo ambiget, qui familiarum liberorumque rationem habere voluerit, neque longa argumentorum ſerie indiget hujus rei probatio, cum in variis apud quosdam populos ad hanc licentiam limitationibus appareat, quod ſi eam omnino tollere non potuerunt, ad hoc tamen

tamen eorum leges collimaſſe, ut quantum fieri poſſet eam difficilem redderent, ne in vagos concubitus, degenerarent matrimonia, hincque totius ſocietatis oriatur interitus. Unica de cauſa, *ob fornicationem* ſcilicet, divortium legitimum pronuntiavit Dominus, quod & juri naturali quam optimè quadrare nemo non videt. Cui ſententiæ annuere videntur legis Moſaicæ verba, quibus eodem ſenſu Judaica adſtipulabatur ſchola Sammajana, in hac re Hillelianâ ſapientior. Quæ vero de exemplorum vi quoad inceſtum & Polygamiam ſuperiori innuebam paragrapho, heic quoque locum habere velim. Si populorum mores & uſus aliquid per ſe ad probandum conferrent, quot monſtra (omnibus conſentientibus) veritatis loco nobis quirent obtrudi, neque Chriſtianorum plerorumque uſum excipiò; nam, ut ampla disquiſitione litteratiſſimus *Seldenus* (*y.*) vel a Judæorum Paganorumve licentia, vel ab ipſis Domini verbis perperam intellectis, obtinuiſſe apud eos divortia demonſtravit. Quam inconcinnè autoribus præſertim parum caſtigatis Judæorum gentiliumque moribus id obtigiſſe judicent æqui lectores. Nec enim veteres Græciæ Latiique populi in hocce de divortio argumento, recentioribus utriusque Indiæ incolis fuere ſapientiores; quod cum omni facilitate ex hiſtorica demonſtrare poſſem collatione. Sint ergo uxores loquaces, rixoſæ, contumaces, aliisque laborent vitiis, non idcirco ſunt dimittendæ, æquo potius animo vitia hæc ferenda ſunt, manſuetudineque lenienda, ne majora ob divortium oriantur incommoda. At ſi uxor mariti vitæ ferro aut veneno inſidiatur, tunc demum ceſſat conjugis relatio, ipſamque vel ejicere vel ut hoſtem jure naturæ interimere ſuique juris vindex exiſtere poteſt; Et hæc obſervatio nos ad conſiderationem earum rerum invitat, quæ jure naturæ hominibus permittuntur.

(*y*) Uxor Hebraica Cap. 27. Lib. I. ad finem usque totius operis.

§. XXIV.

Sunt qui putant, omnes homines in omnia indiſcriminatim jus habere; Itaque ſtatus belli ſit eorum ſtatus naturalis. Si verò hæc hypotheſis unquam inter morales locum habuiſſet, iis profectò idem accidiſſet, quod de Cadmæis e dentibus Draconis ſponte natis militibus fabulantur antiqui. Demonſtrare debuerant qui huicce opinioni adſtipulantur, quâ de ratione tandem quidam naturæ ſuæ obliti ſe conjungere potuerint ad componendam ſocietatem quam vocant civilem, ne prorſus interirent omnes. Quomodo autem rerum experientia edocti rationis dictamine quiverint uti, cum hoc ſtatu ſuppoſito nullum inveniatur tempus idoneum ut id aliquando fieret, maxime dum bellum belluarum inſtar invicem gererent, neque poſſibile appareat quosdam de jure ſuo aliquid aliis ceſſiſſe boni communis gratia, niſi ſtatim rationis uſum ſupponamus qui ſuum effectum ab ipſo hominum exordio ſortiretur. Hincque & belli ſimul atque pacis ſtatus ſit hominibus naturalis, quod contradictionem involvit, impoſſibilitatemque hujus hypotheſeos demonſtrat. Si vero cum ſapientioribus æqualitatis ſtatum inter homines ſupponamus, quaſi omnes ſimul vel nati vel creati fuiſſent, rationisque eos capaces fingamus, ut revera ſunt, tunc abſque labore, quid eis jure naturæ præcipiatur, prohibeaturque & permittatur, inveniemus. De Prioribus hactenus; nunc de tertio pauca dicere viſum eſt. Æqualitas illa efficit ut nihil præter humanitatis officia ſibi debeant invicem totius generis humani membra, dato tamen legitimo rerum dominio, quod primo occupanti illo in ſtatu competit. Quod viderat Philoſophus gentilis, cujus verba ad adulterum apponere operæ pretium putavi. (z.) *Nonne ſunt natura communes mulieres? Aſſentior vel idem dico (inquit Philoſophus) nam & porcellus communis eſt eorum qui ſunt invita-*

ti;

ti, ſed cum in partes diſſectus & diſtributus fuerit, tu, ſi tibi videtur, aſcende & partem ejus qui tibi aſſidet rape, furare clanculum aut immiſſa manu abligurito. Quod ſi de carne nihil poteris avellere, pinguedine imbue digitos & delinge. O egregium compotorem & convivam ſocraticum! Age theatrum nonne commune eſt civium? Cum igitur conſederit ne adeſto ubi viſum fuerit & eorum aliquem ejicito; Sic etiam mulieres naturâ ſunt communes. Ubi autem Legislator tanquam convivator eas diviſerit, non & tu tuam partem quæres? An potius alienam rapies & abliguries? At homo literatus ſum & Archedemum ſector. Ergò tu Archedemi ſectator & adulter eſto & perfidus & loco hominis lupus aut ſimius. Quid enim intereſt. Quam bellè hæc cum illa primorum hominum bellum gerentium caterva conveniant omnes vident! Dato inquam legitimo rerum dominio eis ob mutuam aliorum officiorum indigentiam jure naturæ permittitur, ut tractatus, pacta, conventiones, ſocietates & id genus alia inſtituant, ita tamen, ut non infringantur præcepta naturæ rationalis, neque quisquam ſibi aliorum detrimento proſpiciat, niſi circumſtantiis neceſſitateque extrema cogentibus quarum varii proſtant caſus apud authores, præſertim cum de vitæ conſervatione agitur.

(z) Arrianus in Epictetum Lib. 2. Cap. 4. p. 177. & 178. Edit. Cantabrig. 1655.

* * * * * * * * *

Viro

II.

HISTORIA
Vitæ, Operum & Obitus
Viri Clar.

Jac. Chriſtoph. ISELII,

SS. Theol. in Acad. Baſil. Prof. Publ.

* * *

Viro plurimum Reverendo atque
Celeberrimo

JOH. GEORGIO ALTMANNO,

Linguæ Græcæ & Ethices Prof. Ord. & h. t.

Academiæ Bernenſis Rectori,

JACOBUS CHRISTOPHORUS BECKIUS S. M. C.
S. P. D.

Petis a me, Vir Cel. mihique amiciſſime, ut brevem tibi de *Jac. Chriſtophori ISELII* noſtri, Theologi, & Polyhiſtoris incomparabilis, τȣ̃ νῦν ἐν ἁγίοις, Vita atque ſcriptis narrationem conſcribam, quam in lucem edere, atque eruditis legendam proponere poſſis. Exiſtimas, Te non amicitiæ, quæ tibi a compluribus annis mecum intercedit, jure tantum iſtud a me poſtulare; ſed & eo, quod illuſtres atque eruditi viri, quibus nota fuit *Iſelii* virtus atque doctrina, iſtius modi narrationem avide exſpectent. Sed quid ſi tibi dicam id, quod vere dicere poſſum; non eſſe a me exſpectandum quidquam, quod vel *Iſelio* ſit dignum, vel viris illis clariſſimis placere queat? Sufficietne reſpondiſſe, officium iſtud & *Iſelio* & amicis ejus deberi a me, quum beato

to viro non propinqua modo neceſſitudine conjunctus fuerim, ſed etiam inde ab annis XII. perpetuo fere ab ejus ore pependerim, indeque iſtud, quidquid eſt, progreſſuum in Litterarum ſtudio, quod exiguum tamen eſt, fecerim? Procul dubio exiſtimabis, & iſtud eſſe commemorandum, cur me potius, quam quemvis alium, tibi hac de re appellandum cenſueris; tempus XX. menſium poſtremorum vitæ Iſelianæ, quod in ejus ædibus exegi; quod quidem certe tempus haud exiguum fructum mihi cum in aliis omnibus, tum præcipue in cognoſcenda ejus familiari conſuetudine atque ſtudiorum ratione attuliſſe videatur. Sed nemo ſibi perſuadebit, iſthæc ita eſſe comparata, ut veniam mihi impetrare poſſint, ſi hoc ſcribendi genus nec tuæ, nec aliorum hominum doctorum ſatisfaciat exſpectationi, quam ſentio eo majorem eſſe, quomagis videor ex *Iſelio* meo proficere debuiſſe.

Opportune tamen accidit, quod brevem tantum poſtulas narrationem. Nimirum longiorem conficiendam ei relinquis, qui Laudationis publicæ *Iſelio* heic debitæ laborem in ſe ſuſcipiet. Ea enim Laudatio, cum a Viro docto juxta & facundo, ut ſperamus, tempore conſueto habita & typis commiſſa fuerit, nihil quod ulterius requiratur, relinquet. Qua propter faciam id, quod in hac temporis, mihi à te conceſſi, exiguitate poſſum; non quod iſtud Schediaſma, effuſum verius a me, quam ſtudioſe conſcriptum, cuiquam placiturum ſperem; ſed ut quantum apud me valeat & *Iſelii* memoria, & tibi gratificandi ſtudium, publico monumento teſtatum fiat.

Natus eſt ὁ πάνυ pridie Eid. Jun. A. C. MDCLXXXI. Parente utroque honeſtiſſimo. Pater *Joh. Lucas Iſelius*, ex familia erat, quæ jam ab annis CCCC. huic noſtræ civitati complures viros dederat partim eruditione claros, partim ad præcipuas Reip. dignitates merito

to ſuo, nec ſine inſigni Patriæ commodo, provectos. Conjunxerat ille in prima juventute Mercaturæ, cui deditus erat, ſtudio Litteras, quarum in ipſo amor perpetuus fuit,quamvis per vitæ genus, quod ingreſſus erat, non liceret ipſi multum in iis operæ ponere. Hanc ob cauſſam filium iſtum, cum mature admodum ſummam diſcendi cupiditatem, ingeniumque non mediocre in ſe eſſe oſtenderet, haud invitus Muſis conſecravit. Sæpe audivi Matrem *Iſelii*, fœminam virtute pariter atque annis venerabilem, ex *Birria* familia, quæ ante paucos annos ſupremum diem obiit, commemorantem, vix tertium exceſſiſſe annum, cum jam nec parentes nec præceptores propemodum hanc diſcendi cupiditatem explere poſſent. Itaque cumprimum vires corpuſculi ferrent, Gymnaſium iſtius Civitatis adire paſſi ſunt potius, quam juſſerunt. In eo ſub variis præceptoribus ita paucis annis in elegantiorum Litterarum ſtudio profecit, ut nemo non præavideret, inſigne aliquod Orbis eruditi lumen aliquando futurum. Auxit hanc ſpem, immo jam explere cœpit, cum anno M DC XCVI. *Carmen Heroicum* IV. paginarum in 4. edidiſſet, in Gallos ea tempeſtate Rhenum tranſeuntes, (*a*.) quod admirationi fuit cunctis, qui Poëſeos vim atque elegantiam ſentire poterant. Annum enim XV. *Iſelius* nondum erat egreſſus. Iisdem temporibus alio etiam modo feliciſſimos in Linguis progreſſus publice oſtendit, cum *Samuel Battierius*, Med. Doct. cum Cl. Competitoribus de Cathedra Linguæ Græcæ certaret, quam nunc cummaxime ornat, edito, pro more, *Specimine Philologico*. Is enim *Iſelium* noſtrum *Reſpondentis* loco ſibi adjunxit, neque ex ea re ullam pœnitentiæ cauſſam habuit. Nam ita dextre ſe geſſit *Iſelius*, ut non modo argumenta adverſariorum, quæ latine pro-

(*a*.) Accidit iſtud a. d. XIII. Cal. Jun. ejus, quem poſui, anni.

proponebantur, ex tempore in Græcum ſermonem converſa repetere, ſed & brevi reſponſione eludere valeret, cum ſumma Exc. Præſidis ſui voluptate.

Adpropinquabat illud tempus, quo Magiſterii Philoſophici gradus noſtro conferendus erat. Itaque Examinibus conſuetis cum applauſu defunctus, diatriben edidit atque publice propugnavit (*a.*) *de Hiſtoricis Latinis melioris ævi*, quæ 32. paginas in 4. continet, atque non contemnendæ eruditionis ſpecimen videtur. In iſtius diatribæ calce alteram promiſit *de Poëtis Latinis melioris ævi*, quam conſcribere quidem cœpit, ſed non perfecit, gravioribus ſcilicet ſtudiis impeditus. Quo magis miror V. C. *I. I. Scheuchzerum* in Novis Litt. Helv. A. 1701. inter editas eam referre.

Ceterum Præceptoribus uſus erat *Iſelius*, in Legendis Græcis latinisque auctoribus, *Joh. Jac. Battierio*, tum Rhetorices, poſtea Juris Profeſſore: in Philoſophicis autem & Mathematicis *Jacobo Bernoullio V. C.* Poſt hæc, cum Linguam Gallicam plenius perdiſcere vellet, quam ut Magiſtrorum præceptis, quæ domi didicerat, contentus eſſet, Genevam profectus, menſes circiter VI. ibi exegit A. 1698. eruditis omnibus gratiſſimus. Amicitiam ibi cum multis contraxit, quam poſtea ad extremum vitæ tempus conſervavit. Habitavit in ædibus Rev. *Mauritii*, ad D. Gervaſium Paſtoris, qui eum, ut filium, dilexit. Cupiditate dein ductus, reliquias illas Antiquitatum Rom. quas Gallia Meridionalis magno numero oſtentat, inſpiciendi, menſe Auguſto Lugdunum abiit, indeque Maſſiliam, Nemauſum, Montem Peſſulanum, Aquas Sextias, Avenionem, Arauſionem, aliaque loca

(*a.*) Moris enim tum erat aviti, ut nemo Philoſophiæ ſive Artium Lib. Magiſter prius ſalutaretur, quam Diſſertationem edidiſſet atque publice defendiſſet; qui mos aliquandiu intermiſſus, non ita pridem poſtliminio reductus eſt.

loca; quibus perluſtratis, menſe Novembri anni ejuſdem, quo profectus fuerat, domum rediit.

Confecto ex animi ſententia itinere totum ſeſe ſacrarum litterarum ſtudio tradidit, non abjectis tamen iis diſciplinis, quæ elegantiores appellari ſolent. Hæc enim *Iſelii* ſemper deliciæ fuerunt, quibus etiam Theologica tractans, quidquid horarum ſubſecivarum fuit, conſecrabat. Sed Theologiæ tamen præcipuum ipſius hoc tempore ſtudium fuit. Huic usque eo ſe dedit, ut A. 1701. Diſſertationem publice proponeret, in ſententiam *Jacobi Benigni Boſſueti*, Meldenſis Epiſcopi, de Babylone, Beſtiisque & Meretrice Apocalyptica 4. pagg. 80. eoque facto, cum examina conſueta jam præceſſiſſent, inter V. D. Miniſtros referretur. Audiverat autem præcipue Theologiam docentem *Samuelem Werenfelſium* SS. Th. D. & Prof. cujus poſtea Collega factus eſt, & quem in ſummo ſemper honore habuit.

Ab hoc tempore magis magisque inclareſcere cœpit. Cumque ad Linguarum Occidentalium cognitionem, ex quibus jam tum Italicam quoque atque Hiſpanicam tenebat, adjicere etiam Orientalium notitiam cuperet, maximam partem ſuæ diligentiæ huc convertit. Uſus erat jam antea in Hebraicis inſtitutione Viri doctiſſimi, *Frid. Battierii*, qui tum ad D. AlbanumPaſtor erat. Et fructum quidem tulit iſtius laboris uberrimum. Nam præter Syriacas S. Codicum Verſiones, etiam Chaldaicas V. T. Interpretationes, quas *Targumim* vocant, nec non plerorumque Rabbinorum Commentarios tam diligenter tractabat, ut ſi pergere vel potuiſſet vel voluiſſet, facile ad ſupremum aliquem hujus Litteraturæ gradum perventurus videretur. Arabica attigit tantum, non penitus pertractavit. Alius ſcilicet deſtinatus erat campus, in quo decurreret *Iſelius*. Marburgenſis Cattorum Academia, quæ nulli Germanicarum celebrita-

te

te atque frequentia eſt inferior, non paſſa eſt, eum in ſtudiis iſtis, quo cœperat pede, pergere. Cum enim Sereniſſimus Princeps, Landgravius Haſſiæ, Virum doctum quæreret, qui *Eloquentiæ* atque *Hiſtoriarum* Cathedram ornaret, eamque ob rem *Joh. Laurentius Crollius* Baſileam ſcriberet, oblatus eſt *Iſelius*, qui ea tempeſtate hic, præ multis aliis, utrique iſti provinciæ cum laude adminiſtrandæ idoneus erat. Itaque vix nominatus Principi erat noſter, vixque ille miſſas ad ſe Diſſertationes Iſelianas inſpexerat, cum mandaret ſuis, ut ſolennibus ad eum litteris publico nomine datis, juvenem arceſſerent; quod & factum eſt. Litteræ *Vocationis* datæ ſunt pridie Eid. Junias 1704. quo ipſo die noſter ante 23. annos natus erat. Non invitus ſane conditionem tam honorificam accepit. Sed cum eodem anno Baſilienſis iſta Academia *Joh. Jacobum Buxtorffium* amiſiſſet, qui poſt avum atque patrem, Viros Celeberrimos, & de SS. Litterarum ſtudio optime meritos, *Linguam Sanctam* publice docuerat, omneſque haud obſcure ſucceſſorem deſtinarent (*a.*) *Johannem Buxtorffium*, qui tum V. D. Præconem in Agro Raurico agebat, ex *Joh. Jacobi* fratre genitus, voluit tamen *Iſelius* patriam relicturus ſuæ in hoc genere eruditionis exſtare monumentum. Multi ſunt anni, ex quo apud nos conſtitutum eſt, ut Cathedrarum Candidati edita atque publice propugnata Diſſertatione oſtenderent, quantos in ea diſciplina, cujus docendæ munus ambiunt, progreſſus fecerint. Egit iſtud cum Buxtorffio *Iſelius*, non quod illi præferri aut cuperet aut ſperaret, ſed ut intelligerent omnes, Linguas Orientales & a ſe doceri commode poſſe, ſi opus eſſet. Elaboravit igitur, ſive potius ex dudum parata copia delegit *Specimen obſervationum*

(*a.*) Iſte revera ſucceſſor *Joh. Jac. Buxtorffii* exſtitit, provinciamque ſuam ad A. 1732. non ſine applauſu adminiſtravit. Nam eo anno, d. 20. Junii mortuus eſt.

num atque Conjecturarum, ad Orientalem Philologiam & Criticen pertinentium, ac maximam partem ex vetuſtis V. T. Verſionibus depromtarum. 4. pagg. 40. Nec diu moratus, Marburgum ſeſe contulit.

Quæris, quomodo exceptus ibi ſit? Verbo dicam; præſens primum apud Marburgenſes, deinde etiam Principem ſalutandi occaſionem nactus, talem ſeſe demonſtravit, qualem neque hic neque illi ſperare auſi ſunt. Itaque inde ab adventu ſuo usque ad Februarium A. 1707. in præcipuis ejus Academiæ ornamentis habitus eſt. Neque tamen, ut mos eſt plerorumque eruditorum in Germania, ſcriptis magnopere nomen parare ſtuduit, legendi quam ſcribendi cupidior: Sed ſcholas tam publicas quam privatas ſumma cum ſtudioſorum hominum, nobilium pariter ignobiliumque, frequentia diligenter habuit. Edidit tamen nonnulla, quæ heic commemoranda veniunt; Orationem ſcilicet *geminam Panegyricam*, alteram celebrando Ser. *Caroli Landgravii Natali quinquageſimo*, qui in Eid. Sextil. A. 1705. incidit; alteram *Laudandæ* poſt obitum Ser. Principi *Ludov. Doroth. Sophiæ*, ex Reg. & Elect. ſtirpe Marchionum Brandeb. Ser. Haſſorum Principis Hæredit. Conjugi a. d. V. Cal. Febr. 1706. dictam. Utraque Oratio, poſterior imprimis ab ipſomet *Iſelio* pronuntiata, cum prior ab ipſo quidem ſcripta, ſed a generoſo juvene *Malsburgio* habita eſſet, ita placuit Auditoribus primum, dein Lectoribus, ut omnes judicarent, facundiorem Eloquentiæ Profeſſorem nulli Academiæ ſperandum eſſe. Sequenti anno Diſſertationem publici juris fecit, *de Magorum in Perſia, poſt Cambyſen, dominatione.* Sed cum hanc ederet Diatriben, Baſilea jam Marburgo tantum decus raptura, quod utique ipſi potiſſimum debebat, quodque ſibi jam tum vindicaverat, cum *Iſelio* diſcedenti Ampliſs. Civitatis ordo peculiari S.C. confirmavit ultro, rationem abſentis primo quoque tem-

tempore habitum iri ; eum *Hiſtoriarum Profeſſorem* conſtituerat. Factum id eſt a. d. 12. Cal. Octobris 1706. quo anno *Joh. Jac. Hoffmannus*, vir ob eruditionem & ſcripta clarus, obierat. Subſtitit tamen *Iſelius* Marburgi ad Februarium usque inſequentis anni. Nam tum demum in patriam rediit.

Cum in itinere eſſet, Patrem amiſit, quem ſumma ſemper pietate coluerat, atque cummaxime poſt triennii abſentiam amplecti atque colloqui geſtiebat. Auſpicatus dein Profeſſionem Hiſtoriarum, ea, qua apud Cattos uſus erat, diligentia & docere & diſcere, id eſt, omne genus ſcriptorum Hiſtoricorum pervolvere, ſtuduit, eoque pervenit labore atque induſtria, ut pauca eſſent vel in veteri vel in recentiori rerum geſtarum Hiſtoria, vel in ea etiam, quæ *Medii Ævi* appellatur, quæ non accuratiſſime teneret, & ex immenſo memoriæ theſauro, quâ incredibilem in modum valebat, expromere quavis occaſione data poſſet. Et mirum profecto eſt, tantum efficere potuiſſe per valetudinem, quam iis jam temporibus vigiliis atque labore haud mediocriter attriverat. Neque etiam credendum, nihil aliud egiſſe, quam ut otioſus Litterarum ſtudiis incumberet. Non patiebantur hoc eruditi, quibus procul etiam agentibus *Iſelianum* nomen innotuerat ; ſed litteris frequenter datis, tacito ejus alloquio frui cupiebant. Non patiebantur Elegantiorum Litterarum, atque in his potiſſimum Hiſtoriæ cognoſcendæ ſtudioſi, qui ad audiendum Iſelium confluebant. Scribit ipſe Vir B. in litteris A. 1708. ad Amicum quendam datis, quotidie ſex horis ſeu publice ſeu privatim ſe docere, complures deinde horas iis dare, qui ſe conveniant. Etiam ſcriptum non unum illis annis edidit ; multas Diſputationes publice habitas præſidio ſuo moderatus eſt. Sed quæ Diatribæ Diſcipulorum Iſelianorum induſtria maximam partem ſunt conſcriptæ, quarum

 mul-

multæ ſunt, eas non commemorabo, quamvis & in his τοῦ μακαρίτου labor aliquis & nonnunquam multus, neceſſario acceſſerit. Ipſemet concinnavit A. 1709. *Diſſertationis, qua Æternitas Mundi Argumentis Hiſtoricis confutatur*, partem I. *Artium novitatem demonſtrare incipientem*, 4. pagg. 22. Vix hæc in lucem prodierat, cum moritur *Paullus Reboletius*, V. D. in Eccleſia hujus Urbis Gallica Adminiſter, quo nullus unquam hominum carior *Iſelio*, Parentibus exceptis, fuiſſe videtur. (*a.*) Quid hic ageret? aut quo modo dolorem levaret? Putabat omnino, recte ſe facturum, ſi *Laudationem* amici *funebrem* in frequentiſſima Panegyri latine & diceret, & typis exire pateretur. Secuta paullo poſt eſt *Declaratio antiqui Lapidis Tergeſtini, cum non uno in Antiquitatem Rom. excurſu.* 4. pagg. 62. Reſpondentis officium, (nam iſtud hoc loco minime omittendum eſt) agebat *Joh. Daniel Schoepflinus*, Diſcipulus tum Iſelii, nunc Hiſtoriarum atque Eloquentiæ in Academia Argentoratenſi Profeſſor Celeberrimus: adjeceratque de ſuo XIV. *Quæſtiones Hiſtoricas*, quæ jam tum ſummam de eo ſpem præbebant. Fuit is deinde per omnem vitam Iſelio cariſſimus.

Propemodum oblitus eram id, quod *Iſelio* accidit perhonorificum, neque tamen in multorum notitiam pervenit. Fuit inde ab initio ſæculi iſtius in Helvetia Legatus Philippi Regis Hiſpaniarum, *Berettius Landinus*, Iſelio noſtro ita familiaris, ut cum vel ad eum ſcriberet, vel ab eo litteras acciperet, quod frequentiſſime fiebat, quoad ille in Helvetia agebat, immo etiam A. 1719. quo ille Vir apud Batavos Legatus ejusdem Regis erat; non in faſtigio dignitatis conſtitutus, ſed ex æqualibus Iſelii eſſe videretur. Is ab illo, qui Venetorum in Helvetia res curabat, rogatus fuit, ut ſibi indicare vellet in his oris Virum do-

(*a.*) Natus hic erat *à Privas en Vivarais* a. d. 9. Cal. Mart. 1655. Obiit Baſileæ idib. April. 1710.

doctum, quem crederet ſine rubore a ſe commendari poſſe *Studii Patavini Curatoribus*, *Profeſſioni Linguæ Latinæ atque Græcæ* præficiendum. Quid cenſes Berettium feciſſe? Iſelio confeſtim ſcribit, ut vel ipſe in ſe reciperet hanc provinciam Academicam, quod propoſitis multis rationibus ſuadere conatus eſt; vel alium ex Baſilienſibus nominaret illi oneri parem. Sed non poterat ὁ μακαρίτης adduci, ut relicta Patria, relicta Matre cariſſima atque ceteris agnatis, commoda illa, quibus jam tum fruebatur, Academiæ peregrinæ poſt haberet. Fuerunt & alia, quæ ei obſtare videbantur. Modeſtia vero tanta fuit, ut ſeſe illi ſpartæ parem non eſſe ſuſpicaretur, cui certe par erat, ſi quisquam alius. Neque enim poterat tum indicare alium, quem crederet hac Patavina Cathedra ſe aptiorem eſſe.

Eodem tempore ſummus iſtius Civitatis Magiſtratus, petente Academiæ Senatu, novum Brabeuterium ædificari atque exornari juſſerat. Iſtud quum perfectum eſſet, nemo videbatur aptior ei dedicando, quam *Iſelius* noſter, cujus facundia cummaxime celebrabatur. Qua propter primus in ſuperiore hujus novi Brabeuterii cathedra conſtitutus, ita gratias egit Magiſtratui, ita extulit iſtam munificentiam Ampliſs. Patriæ Patrum, qua novum Academicis Actibus ſplendorem addere voluerunt, ut & *Iſelium* calicis inaurati præmio, & Orationem dignam judicarent, quæ in publicam lucem exiret. Sed ad majora *Iſelium* DEI O. M. providentia vocabat.

Scilicet a. d. XI. Cal. Mai. Anni 1711. vivere deſiit *Joh. Rodolphus Wetſtenius, J. R. F.* S. Theologiæ D. & N. T. in hac Academia Profeſſor longe celeberrimus. Et duo tum erant Viri, quorum uterque dignus credebatur fore J. R. Wetſtenio ſucceſſor, *Jac. Chriſt. Iſelius*, atque *Joh. Lud. Frey*. Itaque & uterque pro more eo Academiæ, quo nemo ad Cathedram

 publi-

publicam admittitur. niſi Doctoris in ſua quisque Facultate titulo ornatus, eum titulum ſibi poſt edita inſignia eruditionis Theologicæ documenta, conferri voluit; id quod frequenti Panegyri peractum eſt ab *Hieronymo Burcardo*, S. Theol. D. & Prof. atque Eccleſiarum Antiſtite. (*a.*) Præbuit iſta res occaſionem duabus Diſſertationibus *de Canone N. T.* quarum altera *Iſelius Henr. Dodwelli* ſententiam confutat, altera *Pontificios* refellit in iis, in quibus circa hoc argumentum à nobis diſſentiunt. Cum ad ſuffragia ventum eſſet, nec Patres Academiæ facile decernere poſſent, utrum ex duobus Viris eruditione, pietate, gravitate conſpicuis Profeſſorem legerent, factum eſt, ut *Iſelio* quidem *Cathedra* Theologica ordinaria committeretur; pl. Ven. *Freigius* vero non ſucceſſor tantum *Iſelio* in *Hiſtoriarum* Cathedra, ſed & Collega, Titulo *Profeſſoris Theologi Extraordinarii* ornatus, daretur? cum quo ille deinde Collega per omnem vitam conjunctiſſime vixit.

In hoc igitur officio conſtitutus Iſelius, quod ei ſanctiſſimum ſemper eſt viſum, nihil antiquius habuit, quam uti omnem Muneris ſui partem, quoad poſſet, expleret. Itaque ad docendum publice privatimque converſus, cum nullum genus diligentiæ in ſe deſiderari pateretur, ea interim colligere ſtuduit, ex quibus *J. R. Wetſtenii* Laudatio funebris concinnaretur; quam & deinde anno ipſo vertente publice recitavit, atque in lucem edidit, non mediocrem ipſe laudem Anteceſſoris, immo etiam Præceptoris quondam ſui, laudatione conſecutus. Etiam compluribus Diſputationibus publicis præfuit. Nonnullas ipſe conſcripſit, in his duas *de Canone N. T.* alteram

(*a.*) Obiit etiam hic Vir paucis poſt *Iſelium* diebus, ſcilicet Nonis Maji. Succeſſor in Paſtoratu atque Antiſtitio demum hodie conſtitutus eſt *Joh. Rodolphus Merianus*.

ram A. 1712. alteram anno inſequuto, ſuperioribus addidit, varias Canonis iſtius recenſiones a priſcis Eccleſiæ Doctoribus propoſitas excutiens. Neque tamen id argumentum penitus ad finem perduxit. Exiſtimo impeditum eſſe in hoc labore iis negotiis, quæ iis Codicibus Manuſcriptis maximæ molis ad Concilium Conſtantienſe atque Baſilienſe imprimis pertinentibus, non excutiendis tantum, ſed & conficiendis inde per amanuenſes, atque conferendis exemplis pro *Jacobo Infantio*, Viro præclaræ eruditionis, qui Hiſtoriam Conſtantienſis Concilii, paullo ante editam, inde locupletare, Baſilienſis vero noviter componere cupiebat, ſuſceperat. Quis non videt, quantus iſte fuerit labor ? Et tamen libenter eum in ſe ſuſcepit *Iſelius*, cum a Cl. Infantio litteris Berolini a. d. IV. Eid. April. 1714. datis, ut hoc faceret, rogaretur. Sed & idem opus ſuſcepit poſtea quoque, anno ſcilicet Sæculi XVII. cum Illuſtriſſimus *Dagueſſæus*, Cancellarius Regni Galliarum, atque Sigillorum Cuſtos id peteret. Petebat autem ideo potiſſimum, quod iſta Concilii Baſilienſis Acta, ex Autographis deſcripta, uſui eſſe poterant in controverſiis illis, quæ tum magno animorum motu in Galliis agitabantur. Quapropter & hodieque Actorum Concilii Baſilienſis exemplum, *Iſelii* cura confectum, in Bibliotheca Regia Pariſiis repoſitum exſtat.

Aggreſſus interim erat *Iſelius* argumentum, quod non indignum ſane erat iſta ejus eruditione atque diligentia. Poſt tot doctorum virorum in Anglia pariter atque aliis Chriſtiani Orbis regionibus ſtudia, quorum alii *Epiſcopalem*, ut vocamus, *Hierarchiam* defenſum, alii oppugnatum ibant ; ipſe quoque conatus eſt iſtas Controverſias Eccleſiæ Anglicanæ illuſtrare. Itaque A. 1716. primam edidit de iis Diſſertationem, eamque ſatis amplam. Continet enim paginas 112. in quarta, quam vocant, forma. Operam

 heic

heic dedit, ut omni genere argumentorum demonſtraret, non recte *Epiſcopos* atque *Presbyteros* vulgo diſtingui, ſed utroque nomine rem eandem primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus eſſe ſignificatam. Verum & hoc argumentum ad finem perducere non potuit. Nam eodem anno, venia ab Academiæ Proceribus impetrata, iter ſuſcepit in Galliam, Batavos deinde etiam atque Anglos aditurus, per Germaniamque domum rediturus. Volebat hoc modo id facere, quod juvenis feciſſet procul dubio, niſi ita mature ad Cattos atque inde in Patriam vocatus eſſet. Profectus igitur in Galliam, Pariſiis primum ſubſtitit, ibique frequens fuit apud eruditos, quorum ſumma eſt in ea Urbe copia. Non ignotus fuerat his antea, quamvis eum non vidiſſent; ſed fama jam ante complures annos omnibus fuit commendatus. Nec eruditi modo, ſed Magnates etiam libenter eum ad alloquium admittebant, & ultro atque ſumma cum humanitate rogabant, ut ſæpius ſeſe conveniret. Quod ſane fecit *Iſelius* diligenter, neque unquam ab iis, niſi gratior atque honoratior diſceſſit. Inter eos, qui præcipue Iſelium amabant, fuit Idem, quem antea commemoravimus, Illuſtriſſimus *Dagueſſæus*, Vir non dignitate tantum magnificus, ſed inſigni humanitate pariter, atque in bonas Litteras & Litteratos amore, conſpicuus. Quæ res, accedente alia quadam, quam hic exprimere non opus eſt cauſſa, *Iſelium* diutius, quam putaverat vel ipſe, vel itineris ſocii, Viri Doctiſſimi, in quibus honoris cauſſa nominare viſum eſt *Samuelem Scheurerum*, qui nunc Sacroſanctam Theologiam in Lyceo Bernenſi docet, Vir & ſcriptis & eruditione clariſſimus, exiſtimaverant. Itaque illi, & hic imprimis Celeberrimus *Scheurerus*, pergentes ad ulteriora, Batavos, Anglos atque Germanos ſalutaverunt. Profectus etiam cum Iſelio fuerat *Emanuel Ribinerus*, Vir Doctiſſimus, cujus exſtat Diſſer-

Diſſertatio erudita de Tyro, Præſide Iſelio defenſa. Is nunc Paſtor eſt Eccleſiæ, quæ ad D. Albanum convenire ſolet. Iſelius, qui ſibi certo propoſuerat, primo ſtatim vere in eadem loca proficiſci, vocatus ab Academia patria eſt ad Rectoris Munus ſuſcipiendum. Moleſte enim hæc ferebat, eum tamdiu apud Exteros commorari, quo ipſa tantopere opus habebat. Nec tamen voluit alio decreto revocare invitum, quam hoc, quod illi honorificentiſſimum videbatur. Itaque rediit tandem paullo ante Solſtitium æſtivum, quo tempore apud nos Magnificus Academiæ Rector ſucceſſori lampada tradere ſolet.

Quid hoc in Magiſtratu geſſerit, heic non commemorabo. Alia item plurima omittam, quæ & ante & poſt egregie ſuſcepit, itaque feliciter peregit, Patriæ, Eccleſiæ, Academiæ utiliſſima. Celebrabit ea is, qui ſuo ſemper Funebrem Laudationem *Iſelii* conſcribet, recitabit atque edet. Quod ſi ſenſerim, deſiderari a viris bonis atque eruditis, quibus ille vel coram, vel per litteras, vel fama denique innotuit, uberiorem de omnibus commentationem; operam dabo in poſterum, ut quidquid ad Hiſtoriam Vitæ *Iſelianæ* pertinet, ſumma fide atque diligentia, ex ſchedis ejus, quæ in Bibliotheca τȣ̃ μακαρίτȣ aſſervantur, colligam. Sed hoc non eſt opus paucorum dierum, quos tu mihi, Vir Celeberrime, ad hoc ſchediaſma, quod cummaxime legis, conſcribendum conceſſiſti; neque intra paucas pagellas finiri poterit.

Sed addamus breviter, quæ reliqua ſunt. Quum *Iſelius* Pariſiis omnium animos ſibi conciliaſſet, non morum tantum elegantia, ſed & eruditione, factum eſt, ut *Academia Regia Inſcriptionum atque Litterarum Elegantiorum* eum in numerum ſociorum acciperet. Amiſerat enim a. d. X. Cal. Decemb. 1716. Virum Celeberrimum, *Giſbertum Cuperum*, Conſulem Daventrienſem. Huic qui ſuccederet digniſſimus vide-

debatur *J. C. Iſelius*; idque eo magis, quod ab initio propemodum ſæculi iſtius frequenter ad eum Virum litteras dederat, mutuasque acceperat. Quo loco iſtud haud quaquam eſt prætermittendum, quod cum per aliquod tempus inter ſe ſumma quidem argumentorum vi, ſed amice tamen diſputaſſent *Cuperus* atque *Iſelius*, de ſpeculis illis, quibus veterum nonnulli tradiderunt, Archimedem in obſidioneSyracuſarum naves Rom. incendiſſe, illo veritatem rei defendente, hoc negante; cumque *Iſelius* & ſuas & *Cuperi* litteras Illuſtriſſimo *Dagueſſæo* miſiſſet, quem ſciebat iſtarum rerum & ſtudioſum & juſtiſſimum eſſe æſtimatorem, per hunc deinde res ad Academicos pervenit. Iſti cum in Conventu prælegi ſibi eas litteras curaſſent, non dubitarunt Iſelium pro Cupero Socium adſciſcere. Factum igitur eſt hac de re decretum a. d. XIV. Cal. Febr. A. 1718. idque Illuſtriſ. *Dagueſſæus* ad *Iſelium* mittendum ab Academia accepit, humaniſſimis ſuis Litteris ultro additis. Ita *Iſelius* eundem adeptus eſt locum, quem tum duo tantum obtinebant Viri toto orbe celebratiſſimi, *Cardinalis Gualthierius*, & *Domnus Anſelmus Bandurius* Benedictinus atque Magni Ducis Florentiæ Bibliothecarius. (*a.*) In hac ille dignitate conſtitutus nonnullas compoſuit Diatribas, quæ in Academia recitarentur, quarum etiam argumentum Commentariis illius inſertum eſt. Sic invenies Tom. V. pag. 277. (*b.*) Diſſertationem *Iſelii* noſtri, qua anquiritur, quo modo legendæ atque explicandæ ſint Litteræ CER. PER. quæ in tribus Nummis *Sidoniorum* occurrunt.

Quum *Iſelius* præter iſtos labores litterarios publice etiam ſæpius concionaretur, idque nonnunquam Gallice, plerumque tamen Germanice; rogatus a multis

(*a.*) Iſti tres erant illi, quos Galli appellant *Aſſociés Honoraires Etrangers.*

(*b.*) Editionis Pariſinæ in 4to.

multis edidit A. 1719. faſciculum Orationum Sacrarum, quæ ſive rem ſive elocutionem ſpectes, inſignem atque divino zelo inflammatam eloquentiam demonſtrant. Sequenti anno cum Collegis operam dedit, ut Gymnaſium noſtrum rectius, quam antea fuerat, conſtitueretur; & quoniam viſum erat *Seb. Caſtellionis Dialogos Sacros*, Librum juventuti utiliſſimum, pro ea ſchola edere, *Iſelio* iſta cura demandata eſt. Is igitur Præfationem atque notas ei Libro addidit, in quibus diverſæ editiones ab ipſo Caſtellione curatæ diligenter conferuntur. Paullo poſt rogatu Bibliopolæ ſuſceptum eſt illud opus, quod omnibus Hiſtoriarum ſtudioſis gratiſſimum accidit. Nimirum *Iſelius*, cum aliis Viris eruditis iſtius Academiæ, augere atque in pleriſque partibus emendare conſtituit *Lexicon* illud *Hiſtorico-Geographicum*, quod jam antea vernacule apud Saxones prodierat. Quid in ea re præſtiterit, illi ſciunt, qui eo Libro frequenter utuntur, neque neſciunt, quantum eruditionis, quantum ſtudii, quantum vigiliarum ad iſtius generis inſtitutum requiratur. Quod ſi qui ſunt, quibus multa prætermiſſa videantur, quæ vel emendari vel addi poterant; illi cogitent, neque *Iſelium*, neque ejus in hoc labore ſocios, promiſiſſe Lexicon omnibus partibus abſolutum. Quis enim tale quid effecturum ſe ſperet tam brevi tempore, inter tot alia, quæ agenda neceſſario erant, niſi ultro inſanire velit? Qua propter legant Præfationes illi operi ab *Iſelio* præfixas, ut quid promiſſum ſit, quidque præſtitum intelligant.

Poſt hoc tempus nihil edidit *Iſelius*, præter *Depulſionem Calumniarum in Diario Gallico, cui titulus: Bibliotheque Raiſonnée &c.* Vol. XI. Part. I. Artic. 8. ſibi *impactarum*. 4. pagg. 38. Iſtius libelli argumentum notum eſt, ideoque non enarrabo. Poſſem tamen addere eas quoque *Iſelii* lucubrationes, quas multis eruditis Viris miſit, Diariis aut Diſſertationum Faſciculis inferen-

ſerendas. Sed earum Indicem alio tempore tecum communicabo. Etiam illa, quæ ad litterarum commercia pertinent, in aliud tempus differo. Facile interim credes, ſi affirmavero, non in vulgo tantum Litterarum, ſed in iis etiam, qui præcipua Orbis lumina aut fuiſſe aut eſſe exiſtimantur, vix unum reperiri, qui non ad Iſelium Litteras dederit, vicisſimque acceperit. Quin Magnates quoque non exiſtimabant, ſuæ dignitati quidquam decedere, ſi Iſelium litteris alloquerentur, & modo ex hiſtoria aliquid, modo ex Antiquitate, quærerent. Nec defuerunt, qui de Religione cum eo agerent. Inde natæ ſunt tot Diſſertationes Epiſtolicæ, quæ in Schedis Iſelianis latent. Inde excreverunt tot Volumina Epiſtolarum ab eo & ad eum exaratarum, quæ præcipuum Bibliothecæ, quam egregiam habuit, ornamentum conſtituunt. Poteram etiam illud commemorare, quod multum operæ poſuerit in recenſendo atque augendo *Urſtiſii Chronico Baſilienſi.* Et profecto, niſi contentio duorum Typographorum, quorum uterque ſuum eſſe jus *Urſtiſium* recudendi dictitabat, interceſſiſſet, haberemus nunc eum Librum, *Iſelii* cura locupletatum. Neque enim quisquam huic rei aptior erat. Nunc jacet quidem ille labor; ſed ita jacet, ut Beati Viri Schedæ ad Chronicon iſtud pertinentes ex voluntate Auctoris in Bibliotheca Academica ſerventur, donec aliquis exoriatur, qui quod *Iſelius* cœpit, ad umbilicum perducere queat.

Venio igitur ad ultima Viri, in quibus tamen prolixus non ero. Neque enim dolor meus id finit, qui, quo magis de iis cogito, eo magis animum meum premit. Eheu! cur non poſſum ejus diei oblivisci, quo die *Iſelius* meus ex Conventu Procerum Academicorum domum veſperi rediens, vehementiſſimum febris inſultum queſtus eſt? Erat is dies a. d. IV. Cal. Aprilis. Febris illa, de qua conquerebatur, non erat novus

novus ipſi vel incognitus morbus; ſed propemodum XXVIII. ſunt anni, ex quo eum vexare cœpit. Magnopere imprimis aucta eſt peſtifera mali vis poſt reditum *Iſelii* ex itinere Pariſino, & deinde exantlatos immenſos prope labores in conferendis Codicibus Manuſcriptis Concilii Baſilienſis, atque emendandis exemplis, quæ inde per complures ſtudioſos juvenes conficiebantur. Sed, ſi verum fateri volumus, valetudinem ſuam ipſe jam in prima ætate nimiis ſtudiis atque vigiliis debilitaverat. Et quamvis temperantiæ ſtudioſiſſimus per omnem vitam fuerat, non utebatur tamen ea victus ratione, quæ corpuſculi vires vel augere vel ſaltem conſervare poſſet. Quid mirum, ſi procedente ætate imbecillitas aucta eſt, & ita quidem, ut inde ab A. 1718. vix ſemel ſciamus duobus tribusve menſibus continuis morbo vacaſſe, atque penitus à lecto abſuiſſe? Morbi genus, quo perpetuo fere conflictabatur, & tandem quoque exſtinctus eſt, febris catarrhalis appellari ſolita Medicorum filiis. Ea variis ſymptomatibus plerunque diſtinguebatur, nec ultra diem octavum vel nonum durare ſolebat; tali tamen relicta infirmitate corporis, quæ multorum dierum quiete vix tolleretur. Qua propter noſtrum a gravioribus ſtudiis, imprimis vero ab omni ſcriptione, penitus abſtrahebat. Legebat tamen ſemper in lecto decumbens; dictabat nonnumquam ad amicos Litteras, ut ne ægrotus quidem erudita cum abſentibus colloquia intermitteret. Sed & cum hora docendi appropinquaret, ſive publicæ id exigerent officii partes, ſive privatæ, ſurgebat utcumque, atque ad eam reptabat ædium ſuarum partem, quam habendis Scholis deſtinaverat. (*a.*) Adeo diligens erat in iis, quæ Muneris ratio poſcebat. Quod ſi paullum modo melius haberet, ad Conventus etiam ſive Academicos

(*a.*) Cum enim domo exire non poterat, etiam publicas Prælectiones domi habere ſolebat.

cos ſive Eccleſiaſticos, qui apud nos ſatis frequentes habentur, abibat, poſthabitis etiam ſuorum precibus, qui eum domi retinere conabantur. Mihi quidem certe ſæpenumero roganti, ut ſibi in his laboribus parceret, utque id quod neceſſe haberet, paullo plus quietis corpori animoque ſuo indulgere vellet: mori ſe malle affirmavit, quam ut ullas officii ſui partes omitteret.

Et præſtitit ſane Eccleſiæ Academiæque officium ad extremum usque ſpiritum. Nam, ut dicere incepi, ex Conventu Academico rediens ea oppreſſus eſt febri, quæ eum ex vivis ſuſtulit. Scilicet hæc cum vomitibus crebris, atque omnis appetitus ceſſatione, ita vires exhauſerat, ut ſtatim appareret, non diutius victurum. Nam & ille, qui in omnibus morbis ſemper adfuerat, animi vigor exciderat, & ſermo difficulter procedebat. Quo factum eſt, ut pauca per eos dies loqueretur. Facile judicabunt omnes, nihil neglectum eſſe in hoc rerum ſtatu, quod ad morbi vim depellendam pertineret. Præter Medicum ordinarium arceſſitus etiam alter, qui absque controverſia ex præſtantiſſimis hujus Urbis eſt, ipſique *Iſelio* imprimis carus atque amicus erat, nullum genus diligentiæ prætermiſit. Sed Deo O. M. ad ſe perducere viſum eſt ſervum ſuum. Cum enim non ceſſaret febris, viresque corporis celeriter abſumeret, factum eſt, ut XIV. dies morbi, qui in ipſas Eidas April. iſtius, quem nunc agimus, anni incidebat, ultimus eſſet *Iſelio*. Ita ille quidem ad beatas ſedes diſceſſit; nos vero in hac miſeriarum valle reliquit, mœrore atque luctu propemodum confectos.

Habes Vir Cel. quæ inpræſentiarum de *Iſelii* noſtri vita & ſcriptis impertire potui: quæ ſi non ſatis eleganter expoſita videbantur, vera tamen omnia deprehendes. Vale, & me, quod facis, amare perſevera. Datum Baſileæ, ipſis Edib. Sextil. M DCC XXXVII.

JO-

III.

JOH. CONRADI FUESLINI

COMMENTATIO

Philologico - Critica,

qua

Verba Epiſtolæ ad Romanos

Cap. V. vers. 13.

Qua par eſt, Modeſtia

Examinantur & Explicantur.

Argumentum totius Diſſertationis.

§. I. Chriſtianorum eſt, verbum Dei inveſtigare. Res in S. Scriptura propoſitæ ſunt vel claræ & perſpicuæ, vel intellectu difficiles & multo labore retegendæ. §. II. Inde à temporibus beatæ reformationis viri docti in S. Scriptura explicanda magnam operam collocarunt, attamen multa inexplicata reliquerunt. §. III. Non S. Scripturæ ſed nobis vitio tribuendum eſt, quod in ea multa non intelligamus. §. IV. Artes & ſcientiæ, imprimis hiſtoria, Philoſophia & linguarum antiquitatumque cognitio S. Scripturæ interpretem multum adjuvant. §. V. Scopus totius diſſertationis. §. VI. Ejusque occaſio. §. VII. Difficultates, quæ in communi hujus loci explicatione occurrunt. §. VIII. Diverſæ de mente Paulli ſententiæ. Significatio vocis ἄχρι, quam hoc loco obtinet. §. IX. Ea variis & ſacrorum & profanorum ſcriptorum exemplis confirmatur. §. X. Mea interpre-

pretatio verborum Paulli, quæ ex ſcopo Apoſtoli, antecedentibus & conſequentibus probatur. §. XI. Clariſſimus Limborchius modeſte notatur. §. XII. De qua lege Apoſtolo ſermo ſit, inquiritur. Quod lex naturalis ſit, tribus potiſſimum argumentis contra Hobbeſium probatur. §. XIII. Apoſtolus non de lege naturali, ſed de lege particulari Adamo à Deo data loquitur, quod ex ejus ſcopo probatur. §. XIV. Defectus legis naturalis & occaſio, qua Lex Moſaica data ſit. Explicatio verborum Epiſtolæ ad Rom. c. V. v. 20. Finis legum publicarum. §. XV. Exempla eorum, qui virtutem ſecundum legem naturalem coluerunt. Juſtinus Trogi Pompeji Epitomator explicatus. §. XVI. Natura quidem, quid bonum ſit, revelat, at vires conferre non poteſt id præſtandi. Rationes, cur eas conferre non poſſit. Has vires gratia divina adipiſcimur. §. XVII. Lex Dei à quibusdam immerito ſeveritatis accuſatur. Nos in id incumbere debemus, ut naturam pravam ratione ſublevemus.

§. I.

Nobis Chriſtianis neceſſitas impoſita eſt inveſtigandi verbum Dei, ſecundum præceptum Authoris & Principis noſtri, ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Hoc qui non facit, nomine Chriſtiani indignus eſt, quandoquidem Chriſtus non tales amat diſcipulos, qui inertiæ dediti doctrinam cœleſtem pari levitate attingunt, qua Muhamedi aut alius horribilioris doctoris præcepta imbibiſſent, ſi in his terris nati atque educati fuiſſent, ubi talia monſtra aluntur. Verum enim vero res, quæ nobis in S. Scriptura proponuntur, ſunt duplicis generis, nam ſunt vel veritates adeo claræ & perſpicuæ, ut illas quivis intelligere poſſit, qui eas intuetur, modo ei ſanum ſit ſinciput. Vel ſunt veritates paullulum abſconditæ & retruſæ, ut non cuivis

vis appareant, ſed multo labore & longa meditatione velint retegi. Hæ non uno impetu emergunt, ſed veluti ſol autumni tempore per denſiſſimas nebulas lente prorumpit, ſic illæ caligine diſcuſſa ſenſim ſenſimque lucem ſuam emittunt.

§. II.

Ex eo tempore, quo ſeneſcenti Eccleſiæ priſtina laus atque honos reſtituta ſunt, præclariſſima viguerunt ingenia, quæ omnem operam, curam atque diligentiam in eo collocarunt, ut S. Scripturam ſuis commentariis illuſtrarent, dictaque nullum lumen habentia è tenebris eruerent. Attamen, quanta quanta fuerit illorum diligentia, non omnia explanarunt, ſed poſteris multa reliquerunt, quibus ingenium, eruditionem, omnem denique induſtriam ſuam experiri poſſent.

§. III.

Ne quis in malam partem ſumat, quæ dixi, præſtantiſſima ingenia S. Scripturæ loca nullum lumen habentia è tenebris eruiſſe. Non adeo mei oblitus ſum, ut non noverim, quæ S. Scripturæ dos ſit, ut oculos illuſtret & aviis infallibilis dux ſit. Cum ea à Deo profecta ſit, ὅς φῶς ἐςι καὶ πατὴρ τῶν φώτων, omnino luce deſtituta eſſe non poteſt. Etſi quando nobis illa carere videtur, non ejus eſt culpa ſed noſtra. Quemadmodum non ſoli vitio vertitur, ſi cæcus jocundam ejus lucem non videt, ita non S. Scripturæ, ſed noſtræ cæcitati tribuendum eſt, ſi in clara luce non videmus. Nos natura in maxima caligine rerumque divinarum ignoratione verſamur, & niſi divino lumine illuſtremur, prorſus inepti ſumus ad lucem oculis noſtris videndam. Imo vero multis accidit, ut ipſis cœleſtis lux officiat, ſicuti naturalis lux eos lædit, quorum oculi acribus quibusdam & nocivis humoribus madent. Ad has tenebras diſcutiendas divina gratia

gratia nobis varia remedia ſuppeditavit, quibus uti debemus, niſi inſtituto Dei adverſari velimus.

§. IV.

Certiſſimum atque præſentiſſimum remedium in artibus atque ſcientiis poſitum eſt, ſi piis animis & depoſitis pravis cupiditatibus nos ad eas applicemus. Qui ſine illarum ope divina oracula interpretari vult, idem agit, ac ſi cum ratione inſaniat. Hiſtoriæ, Philoſophiæ, antiquarum conſuetudinum & linguarum cognitio S. Scripturæ interpretem tantopere adjuvant, ut nemo talis haberi poſſit, niſi in his ſtudiis verſatus fuerit. Quot in Prophetarum oraculis occurrunt & dicta & facta, quæ non explicari poſſunt, niſi ex veterum monarchiarum hiſtoriis? Quot in Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis occurrunt res obſcuræ, quibus ex Judæorum Græcorumque conſuetudinibus continuo nova lux affulget? Quot denique voces & loquendi formulæ è philoſophorum ſcholis in vulgus emanarunt, quas deinde Apoſtoli, quia uſu viguerunt, & ab omnibus facile intelligebantur, in ſua ſcripta tranſtulerunt? At illas hodie nemo intelliget, niſi eos fontes ſtudioſe aperuerit, è quibus iſtorum philoſophorum præcepta hauriuntur.

§. V.

Doctiſſimus atque de Hiſtoria Philoſophica meritiſſimus Vir *JACOBUS BRUKERUS*, Auguſtanus, elegantiſſima diſſertatione in verba Epiſtolæ ad Epheſios cap. II. v. 2. quæ *Tempe Helveticis* (*a.*) inſerta eſt, clariſſimum edidit exemplum, quantum præſidii veteris philoſophiæ ſtudium ad N. Teſtamenti explanationem conferat. Ego vero inpræſentiarum docebo, quam ſolicitus interpres eſſe debeat in ea ſignificatione inveſtiganda, quam vox quævis eo, quo poſita eſt, habet loco; quamque miſere in errores & fal-

(*a.*) Tom. II. Sect. 1. pag. 58.

ſas opiniones trudamur, ſi vel minimam particulam non eo, quo par eſt, ſenſu interpretemur.

§. VI.

Verba divi Paulli, (*a.*) quæ mihi explicanda ſumſi, hæc ſunt : ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ. ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. quæ interpretes hactenus omnes hoc fere modo latine reddiderunt : *Uſque ad legem peccatum erat in mundo ; peccatum autem non imputatur, ubi non eſt lex.* Per legem vero intelligunt legem à Moiſe in monte Sinai latam. Quotiens Paulli Epiſtolas relegens ad hæc verba perveni, ſenſus mihi obſcurus videbatur, ſemper igitur commentatores conſului, ſed quod ſæpiſſime nobis uſu venit, in illorum explicationibus acquievi, non cogitans, in verſione literali errorem latere. Cum vero paucis ante diebus in lectionem libri incidiſſem, qui ſub *DEMOCRITI REDIVIVI* titulo circumfertur, in quove hiſtoria de miſerabili triſtique primorum hominum caſu in allegoriam transformatur, & peccatum, quod Theologi originale vocant, fabulis atque commentis otioſorum hominum adnumeratur, egoque hocce caput Epiſtolæ ad Romanos, quo de vitioſa lue, quæ infelici traduce ad nos propagata eſt, accurate agitur, cum hiſtoria Moſis diligentiſſime contuliſſem, & Apoſtoli mentem omni cura atque ſolicitudine inveſtigaſſem, aliquantum temporis ad hæc verba tanquam ad ſaxum adhæſi, nexum enim eorum, cum illis, quæ verſu præcedenti dicta erant, non reperiebam. Nempe Apoſtolus dixerat: *Unius hominis culpa factum eſſe, ut peccatum veniſſet in mundum & per peccatum mors ; imo vero ut pallida mors omnes homines ad nigra tartara raperet.* Hiſce ſtatim adjungit : *namque peccatum usque ad legem in mundo viguit, ubi vero nulla eſt lex, peccatum non imputatur.*

§. VII.

Quocunque me vertebam, nexum horum verbo-

(*a*) Rom. cap. V. v. 13.

rum inveſtigaturus, eum invenire non potui. Peccatum, cogitabam, viguit quidem in mundo & tyrannidem quandam exercuit jam ante legem, nam primorum hominum peccatum ita in eorum poſteros derivatum atque propagatum eſt, ut ipſi quoque lubentes peccaverint & ſeſe in mortem præcipitaverint. Ita ſtatuit Apoſtolus, ita claris verbis docet. At cur hiſce adjungit, *ubi vero nulla eſt lex, peccatum non imputatur;* hoc modo homines, qui ante legem Moiſis vixerunt, imputatione peccati iterum liberare videtur, cum tamen de omnibus hominibus affirmaviſſet, eos peccaviſſe & hanc ob cauſam morte periiſſe. Hæc mihi animo pervolventi alius ſubortus eſt ſcrupulus. Si imputatio peccati, ita porro mecum cogitabam, eo demum tempore fieri incipit, quo lex per Moiſen data eſt, cur homines, qui ante eam vixerunt, tanquam lege damnati ad mortis ſupplicium rapiebantur? Inſontes igitur & præter quam meruerunt, pœnas dederunt. Sic facile eſt, nos in graviſſimos errores trudi, ſi veras rerum cauſas ignoramus, nam parum abfuit, quin verba Apoſtoli contradictionibus volvi crediſſem.

§. VIII.

Fateor, me diu in hac cauſa tanquam in vado hæſiſſe. Quo plures commentarios evolvi, eo magis incertus ad priſtina dubia relapſus ſum, omnes enim pari modo laborare &, uti ſeſe ex hac difficultate emergant, neſcire obſervavi. Verba Paulli uno errore decepti in eundem fere modum latine exponebant, ſenſum eorum ſinguli ad præconceptas opiniones detorquebant. Tandem fortuito caſu in erroris cauſam incidi. Communis illa verborum expoſitio mihi ſuſpecta fiebat, cumque Lexica conſuluiſſem, vocem *ἄχϱι* non ſolum *usque*, ſeu terminum *ad quem*, uti aiunt, ſed etiam *quamdiu*, *ex quo tempore* ſeu terminum *à quo* ſignificare reperi. Simul mihi in mentem

venit

venit verborum Lucæ in ſuo Evangelio cap. IV. dicentis: *συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ*, quo loco ultima hæc verba *ἄχρι καιροῦ* manifeſte ſignificant, *ab eo tempore*, nempe *Diabolus peracta omni tentatione ſtatim ab eo tempore Chriſtum reliquit*; nec non verborum Paulli, (*a.*) Elymæ præſentiſſimam pœnam annuntiantis: *καὶ νῦν ἰδοὺ χεὶρ τοῦ κυρίου ἐπί σε, καὶ ἔσῃ τυφλὸς μὴ βλέπων τὸν ἥλιον ἄχρι καιροῦ*, *Ecce manus Domini petit te, cæcusque eris, ita ut ſolem ex hoc tempore non videas.*

§. IX.

Quia autem vereor, ne quis mihi has interpretationes in dubium vocet, rem altius repetam. Particulæ *ἄχρι καὶ μέχρι* extremum ſpatium & temporis & loci ſignificant, ut notat Doctiſſimus Beza ad hæc verba: (*b.*) *ἤλθομεν πρὸς αὐτοὺς εἰς τὴν Τρωάδα ἄχρις ἡμερῶν πέντε*, *venimus ad eos Troada intra dies quinque.* Hæ itaque particulæ, quod diffiteri nolo, proprie terminum *ad quem* denotant. Uſus vero obtinuit, ut ipſis, quemadmodum latinæ voculæ *usque* variæ præpoſitiones jungerentur, à quibus novas continuo ſignificationes accepere. Ut clare pateat, latinos ſuum *usque* etiam de termino *à quo* adhibuiſſe, exempla proferam probatiſſimorum ſcriptorum; ita enim *TERENTIUS* ait, Eunuch. Act, III. ſc. 2. v. 18.

Ex Aethiopia usque hæc eſt.

Et Adelph. a. V. s. 9. 5.

Ego iſtos vobis usque a pueris curavi ambos ſedulo.

VIRGILIUS vero Georg. Lib. IV. 292.

Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in arva,
Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

Et Aeneidos Libr. VII. 288.

Et lætum Aeneam claſſemque ex Aethere longo

(*a.*) Actor. cap. XIII: 11. (*b.*) Actor. cap. XX: 6.

Dardaniam Siculo proſpexit ab uſque Pachyno.
JUVENALIS denique Sat. XIII. 157.
Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus urbis
Uſque à Lucifero, donec lux occidat, audit.

Græci vero cum in ſermone ſuo plures admiſerint ellipſes, illud ἄχρι vel μέχρι abſque præpoſitione ponere ſoliti ſunt, quare factum eſt, ut multa loca Græcorum Scriptorum ab interpretibus incommode explicata ſint, quia non attenderunt, qua ratione hæ ellipſes ſuppleri deberent. Exempli cauſa, ſi verba Paulli: μὴ βλέψεις τὸν ἥλιον ἄχρι καιρȣ̃, exponere vellem, μὴ βλέψεις τὸν ἥλιον ἄχρι πρὸς ὥραν τȣ̃ καιρȣ̃ τȣ́τȣ, repugnaret ſenſus, contra is planus & facilis intellectu eſt, ſi dixero: μὴ βλέψεις τὸν ἥλιον ἄχρι ἀπὸ τȣ̃ καιρȣ̃ τȣ́τȣ. Exempla vero, quod ἄχρι & ſynonymum ejus μέχρι nonnunquam reddenda ſint per voces *quamdiu*, *tantiſper dum*, ex *LUCIANO* & *ATHENÆO* exempla ſuppeditat de græcis literis meritiſſimus vir *Guilielmus BUDÆUS* in commentariis linguæ græcæ, pag. 1231. Qualia ſunt ἄχρις ἐν παισὶν ἦν, *quamdiu in ephebis fuerat.* & ἄχρις ἑώρων τȣ̃ ἡλίȣ φῶς, *tantiſper dum ſolis lucem videbam.* Quid quod longus uſus hebræorum *gnad* à communi ſignificatione recedere, & eam aſſumere coëgit, quam latinorum *uſque* & græcorum ἄχρι vindicavimus. Ita enim Elihu unus ex amicis Jobi ait: (*a.*) *vegnadekäm ätbonan*, quod ſeptuaginta reddiderunt: καὶ ἄχρι ὑμῶν συνήσω, hoc eſt: *Aſt quamdiu vobis auſcultavi.*

§. X.

His rebus inductus veterem verſionem relinquere & Paulli verba hoc modo latine reddere inſtitui: *Mors pervaſit omnes homines, quatenus omnes peccaverunt, nam quamdiu lex fuit, peccatum erat.* Cumque novam hanc verſionem, cum iis, quæ in præcedentibus Apoſtolus dixerat, diligenter contuliſſem, mihi viſus ſum mentem ejus divinando quaſi aſſecutus eſſe. Poſtquam

(*a.*) Job. c. 32: 12.

quam enim dixiſſet: omnes homines eſſe peccatores & hanc ob cauſam morti obnoxios, ipſe ordo & nexus rerum ab ipſo poſtulaſſe videbatur, ut doceret, qua ratione omnes homines peccatores facti eſſent & mortis pœnam promeruiſſent, nempe quia legem Dei violaverint, nam ex illo tempore, quo lex data ſit, peccatum late lateque in omnes homines dominari. In hac ſententia me facile confirmarunt verba, quæ ſtatim conſequebantur. *Peccatum non ducitur, ſi non eſt lex.* Apoſtolus enim videbatur dicere voluiſſe: *Unius hominis inobedientia peccatum veniſſe in mundum & per peccatum mortem; mortem autem pervaſiſſe ad omnes homines, quia omnes peccaviſſent. Nam ex eo tempore, quo lex data ſit, peccatum eſſe in mundo, alioquin id homini non potuiſſe imputari nec mortis cauſam eſſe.*

§. XI.

Hæc poſtquam ita reſtituiſſem & ad genuinum ſenſum reduxiſſem, ſponte ruebat Clariſſimi *LIMBORCHII* ſententia, qui ad hæc Divi Paulli verba commentatus eſt. (*a.*) *Intelligitur peccatum quod lata lege non erat in mundo, ſed ante legem, & ſi in præcedentibus Apoſtolus dicit, mortem perveniſſe in omnes, quatenus omnes peccarunt, voce omnes non intelliguntur omnes omnino homines, ſed illi omnes, qui inter Adamum & legem vixerunt.* Vir doctiſſimus in graviſſimo errore verſatur, exiſtimans Divum Apoſtolum legem Moiſis intelligere, hominesque qui ante eam vixerint, mortis reos judicare, non propterea, quod primi parentes luem contractam in eos propagaverint, ſed quod ipſi legem naturæ violaverint.

§. XII.

Hanc ob cauſam præter voluntatem meam impellor ad inquirendum, de qua lege ſermo ſit. Non dubito fore pleroſque, qui, licet in ceteris Limborchii

(*a.*) *LIMBORCHII Comment. in Epiſt. ad Rom.* p. 318.

chii ſententiam non probent, cum eo tamen intelligant

(*a.*) *Compoſitum jus faſque animi ſanctosque receſſus mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto*,

ſeu legem naturalem, cujus vim Paullus cordibus noſtris inſcriptam eſſe affirmat, cap. 2. Epiſt. ad Romanos dicens; τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν εἶναι ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Horum ſententiam ego ipſe ſequerer, niſi me graviſſima ratio impediret. Hoc enim lubentiſſime fateor, me ab eorum opinione quam maxime abhorrere, qui nobis a natura legem nullam datam eſſe credunt, ſed jus omne a conſuetudine & utilitate deducunt, quod παράδοξον, *HOBBESIUS* ab orco revocavit. Quodſi enim mecum conſidero, eſſe Deum, qui ſanctus ſit, quia perfectiſſimus eſt; qui omnia regat, quia omnia fecit; qui hominem ſecundum ſuam imaginem creaverit, quia ipſi mentem ceu oculum dedit, quo bona malave cognoſcat & fugienda petendis ſecernat, non poſſum à me obtinere, ut non credam, homini ſimul à benigniſſimo Numine rationem tanquam legem datam eſſe, quæ imperet honeſta, prohibeat contraria. Præterea conſenſum omnium populorum in hac cauſa plurimum valere exiſtumo, ille enim Cicerone, ſummo & Oratore & Philoſopho, judice, pro naturæ voce habendus eſt: Nulla enim gens tam barbara, tamque immanis eſt, quæ non inſitas quasdam & conſignatas in animis honeſti & turpis notiones habeat. Tandem ſi ipſam, qua jungimur, ſocietatem ac communitatem hominum contemplor, eam ita conſtitutam eſſe reperio, ut ſi nullis moderetur legibus, non magis conſiſtere poſſit, quam navis, quæ rectore deſtitura alto agitetur. Qua ratione vero poſſemus nobis in animum inducere, ut de ſumma bonitate Dei crederemus, quod nos in mundo collocaverit & ſocietate conjunxerit, ut ſine lege

(*a.*) Perſ. ſat. II.

lege viveremus, affectibus obtemperaremus, aliorum incommodis noſtra commoda augeremus, rivalem viribus editior cæderet, ut in grege taurus?

§. XIII.

Attamen ſi ſcopum Apoſtoli rite examinavero, eum hoc capite non tam communem naturæ legem, quam peculiarem illam, quam Deus Adamo dederat, quave fidem ac conſtantiam ejus explorare decreverat, reſpexiſſe puto. Nam Adamum & Chriſtum frontibus adverſis collocat, & oſtendit, quantam in miſeriam nos illius inobedientia præcipitaverit, quantamve felicitatem hujus bonitate & clementia adepti ſimus, cum nobis è ſumma miſeria retractis & amiſſam ſanctitatem & vitam reſtituerit. Miſeriam noſtram ab Adamo contractam Apoſtolus deſcribit, dicens: *Per eum peccatum intraviſſe in mundum, & per peccatum mortem.* Quomodo peccatum in mundum intravit? Adami inobedientia, quia legi Dei non dicto audiens fuit. Ex eo tempore peccatum omnes homines pro lubitu agebat, ſeu potius torquebat, etſi non peccaverint ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως ἀδὰμ, ut ait Apoſtolus. Adamus ſciens, videns, atque prudens in peccatum veluti ruebat. Sciebat enim expreſſum Dei mandatum: ne comedas de fructu hujus arboris. Attamen improbæ cupiditati tantum indulſit, ut ſpreto mandato divino ederet. Quare factum eſt, ut gratia Dei excideret & crudeliſſimam peccati tyrannidem in ſe & poſteros ſuos ſuſciperet. Ex his intelligi poteſt, quo ſenſu Apoſtolus Adamum Chriſti typum fuiſſe dixerit, nam quemadmodum Chriſti opera omnes homines à dominio peccati liberati & in ſummam felicitatem vindicati ſunt, ita Adamus omnibus hominibus lethi auctor extitit, peccandi & rectæ rationi, quæ ipſis inſtar legis fuit, adverſandi conſuetudinem infeliciter in eos propagans.

§. XIV.

Habuerunt enim homines legem naturæ, at ea peccatum cohibere non potuit, quin latius graſſaretur, quia enim non expreſſis verbis ſcripta erat, ſed ratiocinando inveſtigari debebat, homines aut eam non magni fecerunt, aut quod etiamnum accidit, prorſus neglexerunt. Quare Deus commotus eſt, ut legem ſuam per Moiſen daret claris verbis expreſſam & promiſſis comminationibusque ſtabilitam. Quis hujus legis finis fuerit, Paullus docet, (*a.*) ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα, quæ verba interpretes hactenus male expoſuerunt, *ut abundaret peccatum*, ſeu ut Clariſſimus Vir *Sebaſtianus CASTALIO* latinius reddit, *quo plus delicti eſſet*, nam ſi ſignificationem vocis ἵνα examinemus & ſcopum Apoſtoli rite perpendamus, videbimus, hæc verba reddenda eſſe, *quia abundavit peccatum*, ſeu *quia peccati nimia vis ac poteſtas fuit*. Nam vox ἵνα in N. Teſtamento, quod pluribus exemplis demonſtrare poſſem, non nunquam ſumitur pro particula cauſali, uti Grammatici loquuntur. Res autem per ſe clara manifeſtaque eſt. Deus dedit legem, non ut homines ſe magis magisque peccato dederent, ſed ut peccato frenum injiceretur, quo moderari atque cogi poſſet. Malum enim ita ſe in animos hominum inſinuaverat, eosque dulcedine quadam ceperat, ut ignorarent peccatum, quod Apoſtolus de ſe ipſo fateri non dubitat: (*b.*) τὴν ἁμαρτίαν ὐκ ἔγνων, εἰ μὴ διὰ νόμυ. Hac de cauſa ſapientiſſimus Græcorum Philoſophorum *SOCRATES* dicere ſolebat: *Leges non bonorum ſed improborum cauſa factas eſſe*. Non enim legum publicarum hic finis eſt, ut hominum dicta factaque ſecernant, & quæ natura neque bona neque mala, hoc eſt indifferentia eſſent, vel juſta vel injuſta pronuntient, quam ſententiam olim ſecta Cyrenaica tuebatur, ſtatuens: (*c.*) μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει: ſed in

(*a.*) Rom. c. V: 20. (*b.*) Rom. VII. (*c.*) Laert. l. II. §. 93.

in hunc finem leges datæ ſunt, ut impotentes affectus hominum doment, æterni juris fineis ſine modo tranſcendentium. Natura enim omnes docet, quid bonum & malum, quid faciendum & fugiendum ſiet, imo vero nos ad recte faciendum impellit, ut *ZENO*, Stoicorum pater, recte judicaverit: (*a.*) *Secundum naturam vivere, eſt ſecundum virtutem vivere, ad eam quippe natura nos ducit.*

§. XV.

Neque nobis exempla deſunt horum hominum, qui juſtitiam ſola natura duce ſine legibus coluerint. Abrahamus (*b.*) curaviſſe dicitur, ut liberi ſui a primis ſtatim ævi rudimentis pietatis ſeminaria imbiberent, & jus obſervarent & juſtitiam. Moiſes (*c.*) populo Iſraelitico jus dicebat, antequam ipſis leges tuliſſet; & de Scytis Juſtinus Trogi Epitomator prodit: (*d.*) *Juſtitia gentis ingeniis culta, non legibus.* Ingenium vocat, quod alias *natura* dicitur, qua ſignificatione hæc vox apud Claſſicos frequentiſſime obvia eſt. Satis erit exempli loco hæc verba *TACITI* (*e.*) protuliſſe: *Honeſta ſuopte ingenio petuntur.* Ex ipſo autem Juſtino apparet, quod per ingenium naturam ipſam intellexerit, quandoquidem de Scytis ſtatim refert: *Ipſis natura dedit, quod Græci longa ſapientium doctrina, præceptisque Philoſophorum conſequi nequeunt.*

§. XVI.

Ex hiſce videmus, quod quidem natura, quid bonum quidque malum ſit, nobis revelet. Utinam illa quoque vires conferre poſſet, bonum faciendi & malum vitandi! at at meliora videmus, deteriora ſequimur. Quod ſi cauſas inveſtigare velimus, cur natura tam inops ſit auxilii, inter alias hanc quoque eſſe puto, quod peccanti non ſtatim pœnam infligat; maxima autem peccandi illecebra impunitatis ſpes

E 5 eſt.

(*a.*) Laertius Lib. VIII. §. 87. (*b.*) Gen. cap. XVIII. (*c.*) Exod. cap. XVIII (*d.*) Lib. II. c. 2. (*e.*) Annal. Lib. III. c. 26.

eſt. In hac parte leges publicæ fortiores ſunt, nam metu pœnarum coërcent malos, quamvis propterea non meliores fiant, ſed tantum prohibeantur, ne improba ſua conſilia effectui dent. At prima & præcipua cauſa eſt, quod ipſa natura noſtra Adami culpa corrupta ſit, quo fit, ut vitioſis voluptatibus non ſolum non mederi poſſit, ſed eas foveat, alat, magisque incendat. Quicunque igitur ex miſerrima hac lucta emergere, voluptates carni noſtræ inſitas vincere & virtutis laudem & gloriam conſequi velit, is auxilia optare, quærere & ſupplex orare debet, quæ nobis à Deo ejusque Spiritu veniunt. Hoc præſtat Ethica Chriſtiana Philoſophiam gentilium, ut nos non ſolum doceat, quid nobis faciendum, quidve committendum ſiet, ſed etiam nos ad ea remedia ducat, quibus malum vincere poſſimus.

§. XVII.

Neſcio, qua confidentia hodie Philoſophi quidam audaculi eo procedant, ut legem Dei nimiæ ſeveritatis accuſent, quod eas voluptates damnet, ad quas à corrupta natura inflammamur, in quibus eſt *Baptiſta GUARINUS*, Eques Ferrarienſis, in *Paſtore fido*, quem librum non ſolum Italia, ſed tota fere Europa cum maximo applauſu excepit, his utens verbis. (*a.*)

Sans doute la nature eſt imparfaite en ſoi,
Qui nous donne un penchant, que condamne la loi;
Ou la loi doit paſſer pour une loi trop dure,
Qui condamne un penchant, que donne la nature.

Natura noſtra ſatis ſuperque imperfecta eſt, nam pravis voluptatibus atque concupiſcentiis, quas ipſa vin-

(*a.*) Secundum Gallicam verſionem, par la Comteſſe de la Suze. A. III. S. 4.

vincere nequit, agitur, quid, quod rapitur? Lex autem ob hanc cauſam non dura cenſenda eſt, quia has concupiſcentias damnat, in eo enim facit, quod ſanctitati Dei, ex qua ipſa fluit, conveniens eſt. Nos tantum in id incumbere debemus, ut naturam ratione & conſilio ſublevemus, idque quod illi deeſt, Deo duce & auſpice ſuppleamus? quanta enim cunque ejus ſit infirmitas, major tamen eſt Dei erga nos gratia, ſicuti divinis oraculis proditum legimus: (*a.*) *οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις.* Hac explicatione divi Paulli verba magnis me difficultatibus liberaſſe eorumque ſenſum in claram lucem protuliſſe puto. Eam in lucem edere in animum inſtitui, non quod lectores ex meis lucubrationibus magnam voluptatem capturos eſſe ſperem, ſed ut vir aliquis eruditus forſitan ſcripto meo excitetur, quo cogitationes has, quæ adhuc ſatis imperfectæ ſunt, emendet, & tam caſtigatas tamque teretes reddat,

externi ne quid valeat per læve morari.

(*a.*) Rom. 5: 20.

TANTUM.

Contemnere & contemni.

* * * * *

JOH.

IV.

JOH. GEORGII ALTMANNI,

ΠΕΝΤΑΣ

Obſervationum Græcarum

Ad quædam loca N. Fœderis ex Antiquitate illuſtranda.

Breviarium.

§. I. *OBSERVAT. 1.* In Matth. XXIV: 20. Explicatur, quid Chriſtus per φυγὴν intellexerit, atque demonſtratur, quod hæc vox non *fugam* tantum, ſed potius ex uſu auctorum Græcorum *perpetuum exilium* ſignificet, quod veterum teſtimoniis probatur. §. II. Demonſtratur, quam concinne hæc explicatio ex ſubſequente Judæorum ex terra promiſſionis ejectione conveniat. §. III. Examinatur, quid per *Sabbatum* intelligendum. Markij ſententia, per *Sabbatum* diem Dominicam intelligentis rejicitur. Per *Sabbatum* & communia Judæorum Sabbata & feſta etiam intelligenda eſſe, docetur, atque hæc verba ex hiſtoria obſidionis Hieroſolymitanæ explicantur. §. IV. *OBSERVAT. 2.* In Luc. XXI: 5. De *donarijs* templi Hieroſolymitani diſſeritur, & quænam illa & unde illuc deportata, exponitur. §. V. *OBSERVAT. 3.* In qua explicatur Loc. Rom. XV: 16. De λειτουργοῖς veterum prolixius diſſeritur, eorumque munus exponitur. Quam convenienter ſecundum ſenſum vocis Apoſtolus ſe etiam vocare potuerit λειτουργὸν, docetur. Quid ſit ἱερουργεῖν declaratur.

tur. Quomodo intelligenda verba Apoſtoli dicentis, *ſe ſacra facere Deo, ut fiat oblatio gentium accepta Deo*, illuſtratur. §. VI. *OBSERVAT. 4.* Loc. 1. Tim. II: 7. exponitur. Declaratur, quinam fuerint κηρυκες apud Græcos, & ex vocis analogia infertur, quomodo Paulus ſe ipſum dicere potuerit κηρυκα. §. VII. Quinam fuerint κηρυκες in primitiva Eccleſia illuſtratur. §. VIII. *OBSERVAT. 5.* Loc. Jac. I: 4. dilucidatur, Nexus verborum exhibetur. §. IX. Quinam ſint *perfecti*, de quibus loquitur Apoſtolus. §. X. Quinam ſint ὁλοκληροι, ex antiquitate adducitur. Applicatio verborum ſecundum allatam explicationem annectitur.

OBSERVATIO I.

§. I.

Matth. XXIV. v. 20.

Προσευχεσθε δε, ἱνα μη γενηται ἡ φυγη ὑμων χειμωνος, μηδε ἐν σαββατω. Recte equidem hunc locum ſecundum ſenſum literalem tranſtulerunt viri docti. *BEZA* vertit, *Orate vero, ne fiat fuga veſtra hyeme, neque Sabbato.* Habemus in hoc capite prædictionem de ſubverſione templi, & totius Reipublicæ Judæorum, qui incredulitate, odio & varijs criminibus in Meſſiam, omnimodas pœnas divinas in ſe contraxerant; Poſtquam vero Salvator noſter inſtantem hanc calamitatem fuſius declaraſſet, cautelas quasdam adjungit, commate 16. & ſeqq. uſque ad 20. & in hoc verſu jam continetur admonitio ad orationem, cujus argumentum ipſe præſcribit Chriſtus, vult autem ut orent, *ne fiat fuga vel hyeme vel Sabbato*: In his vero verbis interpretes non ſatis attendiſſe videntur ad emphaſin vocis φυγη, quam per *fugam* tantum tranſtule-

ſtulerunt, majorem autem pœnam & calamitatem hæc vox, ex ore ſanctiſſimi noſtri Liberatoris prolata, mihi in hoc loco innuere videtur, cum ſatis conſtet, quod Φυγὴ fuerit communis pœna apud Græcos, qua homines majorum criminum rei in perpetuum exilium mittebantur, hinc Illuſtris Præſul Cantuarienſis *Joh. POTTERUS in Archæolog. Tom. I. lib. 1. cap. 25. pag. 130.* edit. Venet. de hac pœna recte commentatur. *Φυγὴ erat perpetuum exilium, quo ſons omnibus bonis ſuis exuebatur, quæ ad haſtam locata divendebantur, & ex patria ſine ſpe reditus expellebatur, niſi ab illo magiſtratu, qui eum in exilium pepulerat, domum revocatus.* Similem fere in modum ad hanc vocem commentatur eruditiſſimus *Chriſtianus BRUNINGS in Compend. Antiquit. Græc. p. 136.* Inter majores etiam & graviores Græcorum pœnas Φυγὴν recenſet *POLLUX in Onomaſt. Lib. VIII. cap. 7. p. m. 896. edit. Lederlin.* Magna ergo erat differentia inter ὀστρακισμὸν & Φυγὴν, illa quippe pœna damnatus per annos tantum decem, hac autem ad omne vitæ tempus dulciſſimo patriæ ſolo carere tenebatur.

§. II.

Si jam hæc ad hunc locum velimus applicare, ſtatim videmus ex hujus vaticinij expletione, hanc vocem pro hoc perpetuo è patria exilio ſumendam eſſe, cum mox poſtea tota gens Judaica è terra Cananæa fuerit ejecta, non pro aliquo tempore tantum, ut illis evenit qui coguntur à patria abeſſe ad breve aliquod menſium vel annorum ſpatium, ſed in perpetuum, cum ſub cineribus templi & urbis, omnis Respublica cum toto choragio ceremoniarum fuerit condita, ſepulta, & abrogata. Tantæ autem pœnæ & juſtæ vindictæ divinæ ſe reos Judæi fecerant ſceleſta filij Dei crucifixione, qua adhuc hanc Φυγὴν, hoc eſt exilium perpetuum ſentiunt & ferunt, extra terram promiſſionis ejecti, patria ſua extorres, ſine ulla ſpe redi-

reditus ad templum & aras illis miſeris hodie adhuc deſideratas, ita ut vere de illis prædicari poſſit illud Virgilianum.

Nunc eadem fortuna viros tot caſibus actos
Inſequitur.

Hortatur autem Chriſtus Judæos, ut orent, ne tempus triſtiſſimi hujus exilij incidat vel in tempus hiemale aut in Sabbatum; licet vero χειμων non hiemen tantum, ſed & tempeſtatem turbidam, imbribus, ventis atque procellis ingratam denotet, ut facile videmus ex Matth. 16: 3. & Actor. 27: 20. conſultius tamen putamus, ſi per hanc vocem *hyemem*, iter facientibus ingratam & periculoſam intelligamus; hinc etiam inter magna Dei beneficia recenſebant Judæi, quod excidium templi primi atque Judæorum transmigrationes æſtate, non autem hyeme contigiſſent. *LIGTHFOOT in Hor. Hebr. ad h. l. p. m. 365.*

§. III.

Alia vero in hoc verſu occurrit difficultas, quid intelligendum per μηδε ἐν σαββατω? Ea tamen facile ſolvitur, ſi dicamus, nexum verborum petere, ut dicamus, Salvatorem noſtrum in tota hac oratione loqui de Judæis contumacibus, doctrinam Evangelij ſpernentibus, & pertinaciter legi ceremoniali adhuc adhærentibus. Quidam, inter quos eſt *MARKIUS*, per *Sabbathum* intelligunt diem Dominicam, ſed quantum video, hæc ſententia omni caret veri ſimilitudinis ſpecie, cum dies Dominica nunquam hoc nomine veniat. Alij per *Sabbathum* intelligunt annum Sabbathicum, quo nullæ fruges in agris inveniebantur, Adeoque ut illud tempus Judæis fugientibus æque triſte ac funeſtum fuiſſet, ac hyems; hanc ſententiam prolixe *ALIXIUS*, cujus verba ad h. l. citat *WOLFIUS in Cur. Philolog.* & alij defendunt. Via ad hæc explananda & intelligenda mihi tutiſſima videtur, ſi

in

in communi Sabbathi ſignificatione acquieſcamus; ita tamen, ut per Sabbata intelligamus dies feſtos & ſolemnes Judæorum, quibus ab omni opere ceſſabant; nec hoc Scriptoribus Sacris infrequens, cum enim Deus apud Prophetam Judæis exprobrat, Ezech. 20:21. *Sabbata mea profanaſtis*, haud dubie omnia feſta & ſolennes dies cultui divino deſtinati intelligendi ſunt, hinc etiam *RELANDUS* dicit: *Sabbathi nomen in ſacro codice non nunquam latius, non nunquam minus late ſumitur, & præter diem ſeptimum hebdomadis aliis diebus feſtis tribuitur, Lev. 25:4. 23; 32. &c. Antiq. Sacr. p. m. 443.* Notandum porro, quod per hoc Sabbatum, non una tantum dies, aut feſtum intelligendum ſit, ſed omnia feſta tempore obſidij Hieroſolymitani, cum enim Judæi nollent ex ſervitute ceremoniarum ad libertatem Novi Teſtamenti, à Chriſto partam & declaratam tranſire, adeo erant pervicaces, ut ex Joſepho & alijs conſtat, & ferijs feſtalibus & Sabbaticis adhærebant, ut nollent ſe iis diebus contra inimicos ſuos defendere, qua de cauſa in longa oratione apud *JOSEPH. de Bello Jud. Lib: 2. cap. 16. p. m. 190. edit. Havercamp.* Agrippa Judæis exponit, quod Pompejus multum operam in obſidione promoverit, quia Judæi Sabbato noluerint ſe defendere. Nullo ergo modo clarius ſenſum verborum Chriſti declarabimus, quam ſi dicemus, Salvatorem noſtrum in his verbis Judæis voluiſſe ob oculos ponere, triſtem exitum & ruinam, in quam ſe per incredulitatem, quaſi deliberato conſilio præcipites daturi forent, obſervatione legis ceremonialis, quæ adventu Meſſiæ fuerat abrogata; cum enim temporeExcidij Hieroſolymitani ingens Judæorum multitudo ad feſtum azymorum confluxiſſet, plurimi a Romanis captivi abducti, alij ſub corona venditi, magna eorum pars gladio truncati, quæ omnia latius recenſet, atque ita miſerrimam Judæorum φυγὴν deſcribit *JOSEPHUS de Bello Jud. Lib. 6. cap.*

cap. 9. p. m. 398. Ex eventu autem triſtiſſimo, urbis, gentis, & templi excidio & everſione ſatis cognoſcimus, quis fuerit ſenſus exhortationis Chriſti Propheticæ, de aſſidua oratione ad Deum facienda, ne imminens Judæorum exilium incidat in tempus hyemale, aut Sabbathicum, quo ſe defendere recuſarent. Obſervandum tandem, quorſum ſtricta legis ceremonialis obſervatio, quæ Salvatore mundi à mortuis reſuſcitato debebat abrogari, miſeram Judæorum gentem deduxerit, ut juſto Dei judicio adeo mentem ſuam obturarent, ut nec corpus in libertatem aſſerere, nec vitam imminenti periculo cripere vellent, licet ſapientiores inter illos ſatis docerent, nunquam Deum prohibuiſſe die Sabbathi imminente periculo vitam ſuam fuga ſervare, ut hoc probavit *Lud. CAPELLUS in Spicileg. ad Matth. 26. p. m. 34.*

§. IV.

OBSERVATIO II.

Luc. XXI. 5.

Καὶ τινων λεγοντων περι τȣ ἱερȣ, ὅτι λιθοις καλοις καὶ ἀναθημασι κεκοσμηται, ἐιπε. *Et quibusdam dicentibus de templo, quod pulchris lapidibus & donariis ornatum eſſet, dixit.* De magnificentia & ſplendore templi Hieroſolymitani, ut erat tempore Chriſti, non eſt quod dubitemus. *JOSEPHUS* prolixius recenſet, quantas impenſas fecerit Herodes ad illud exornandum, ut hoc modo ſibi Judæorum animos, quos crudelitate ſua atque tyrannide ad iram & odium concitaverat, conciliaret; per λιθȣς καλȣς, *pulchros lapides*, recte ſine dubio intelligimus non tantum lapides duriores ex albicanti marmore ad ſtructuram templi allatos, ſed etiam mira arte elaboratos & ad omnem ornatum compoſitos. Provida Dei cura factum, ut templum ſecundum ab homine peregrino, qualis Herodes erat, ita exor-

naretur, ut Meſſias ad illud accedens dignum Meſſia templum inveniret. Pauca vero in hunc locum ex antiquitate Græca de his *donariis* commentari lubet, ἀναθήματα Authore *POLLUCE in Onomaſt. Lib. 1. cap. 1. p. 20. edit. Lederl.* ita deſcribuntur, τὰ δὲ ἀναθήματα, ὡς ἐπὶ πολὺ ςέφανοι, φιάλαι, ἐκπωμάτια, θυμιατήρια, χρυσίδες, ἀργυρίδες, οἰνοχόαι, ἀμφορίσκοι. *Donaria ſunt plerumque coronæ, phialæ, pocula, thuribula, aureæ argenteæque phialæ, cyathi, amphoræ.* Uſus donariorum apud Græcos erat antiquiſſimus, hinc jam *HOMERUS* de Ægyſto *Odyſſ. Lib. 3. vers. 274.*

Πολλὰ δ' ἀγάλματ' ἀνῆψεν, ὑφάσματά τε, χρυσόν τε,
Multa donaria ſuſpendit, veſteſque aurumque.

Quilibet autem pro vitæ ſuæ ſtatu & conditione donaria, etiam pro diverſitate Deorum, offerebat; Piſcatores retia, Paſtores fiſtulas, Venatores exuvias, Milites arma, ex captivitate liberati vincula & catenas, ex naufragio liberati tabulas, veſtes &c. *HORAT. Carm. Lib. 1. Od. 5.*

- - - - Me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida,
Suſpendiſſe potenti veſtimenta Deo.

Prolixius de his veterum Græcorum & Romanorum donariis egerunt Vir illuſtris *Joh. POTTERUS, in Archæolog. Græc. Lib. 2. cap. 4. p. m. 260. edit. Venet.* nec non Doctiſſ. *LAKEMACHERUS in Antiq. Græc. Sacr. pag. 244.* qui haud ita pridem præmatura morte Reipublicæ Literariæ fuit ſurreptus.

Quæ vero fuerint ἀναθήματα templi Hieroſolymitani, & à quibus hominibus illa templo fuerint illata, merito quæritur. Maximum & ſplendidiſſimum quod in templo Judæorum conſpiciebatur donarium ab Herode illatum, nobis deſcribitur à *JOSEPHO*

Antiq.

Antiq. Judaic. Lib. 15. cap. 11. p. m. 779. edit. Havercamp. Luculentius autem illa vitis aurea exponitur apud eundem *de Bello Jud. Lib. 5, c. 5. p. 333.* Ειχε δε και τας χρυσας, υπερ αυτης αμπελους, αφ ων βοτρυες ανδρομηκεις κατεκρεμαντο. *Inſuper autem habebat aureas vites, unde botri ſtatura humana dependebant.* Eminebat hæc vitis non auri pondere tantum, ſed reconditæ artis teſtimoniis, ita ut omnibus illam aſpicientibus maximam admirationem ſuſcitaret. Hoc donum Herodis inter magnificentiſſima donaria recenſendum eſſe, nemo haud dubie negabit; occaſionem ad tantum donum templo inferendum fecit Ariſtobulus, qui vitem auream ab Alexandro Judæorum Ethnarcha donatam, Pompejo dederat, quique illam Capitolio intulit. Plurima etiam αναθηματα templo obtulit Julia Auguſta, ex teſtimonio *PHILONIS in Legat. ad Cajum. p. m. 801.* Υφηγητη τοιουτω της ευσεβειας χρησαμενη και η προμαμμη σου Ιουλια σεβαστη κατεκοσμησε τον ναον χρυσαις φιαλαις και σπονδειοις, και αλλων αναθηματων πολυτελεστατων πληθει, *Hoc monente* (ſc. Auguſto) *pietatem exercuit proavia tua Julia Auguſta, quæ ornaverit templum hoc aureis phialis & calicibus, aliisque plurimis & pretioſiſſimis donis.* Ipſe Auguſtus, teſte *PHILONE loc. cit.* ex ſuis reditibus voluit cottidie holocauſtum offerri in templo, ſc. taurum & agnos duos. Erat autem *donarium*, & auri immenſo pondere, & artificis manu elegantiſſime elaboratum & pretioſum, menſa illa ex auro puriſſimo conſtans à Ptolomæo transmiſſa, una cum crateribus atque phialis, quæ omnia latius deſcribuntur à *JOSEPHO Antiq Jud. Lib. 12, cap. 2. p. 590. & ſeqq.* Omnibus his haud dubie accedebant alia adhuc dona vel a Romanis, qui hoc modo rebellem gentem Judaicam volebant delinire, vel ab ipſis Judæis extra terram ſanctam habitantibus transmiſſa, nec certe dubitare poſſumus, quin magnificentia templi, auguſtiſſimus cultus Deo præſtitus, Sacerdotum de Deo Iſraelis frequentiores ſer-

mones ad peregrinos, aut Hieroſolymis habitantes, aut ſacra eorum contemplantes, plurimos gentiles pellexerint ad donaria Hieroſolymam transmittenda, præſertim cum apud moratiores gentes omnes, ut vidimus, mos receptiſſimus ubique fuerit, templa donariis ornare, hinc etiam memorat Joſephus, quod templum in variis locis ſpoliis barbaricis fuerit ornatum. Hæc omnia facile, & diſcipulos, & alios, magnificum hunc donariorum ornatum intuentes pellicere in admirationem potuere. Plura adhuc de donariis templi recenſet *Georg. Joh. HENKE in Diſſert. de uſu Lib. Apocryph.* in Nov. Teſt. quam theſauro ſuo inſeruere *Haſæus & Ikenius Tom. II. p. 21.* Quam communis autem fuerit mos ἀναθήματα templo inferendi, videmus jam in exemplo Judithæ, quæ εἰς ἀνάθημα τῷ Θεῷ ſuſpendit vaſa Holofernis, Judith. 16: 19. ita etiam 2. Macchab. 5: 16. recenſetur, quod multorum regum donaria in templo Hieroſolymitano fuerint ubique ſuſpenſa. Ego vero plane nullus dubito, quin plurimi gentiles iis, quæ de Deo Iſraelis audiverant, permoti ad pia vota ad verum Deum concipienda, quibus ratis factis gratitudinem ſuam ampliſſimis ἀναθήμασι poſtea probarint. Potuit hæc etiam liquida via eſſe, per quam plurimæ gentes ad cognitionem Dei Iſraelis perducerentur, cum verus hic & æternus Deus ſolum illud nomen eſſet, quod vota & preces exaudire, atque ſupplicantes voti ſui compotes facere potuit.

OBSERVATIO III.

§. V.

Rom. XV. 16.

Ἐις το ἐιναι με λειτȣργον Ἰησȣ Χριςȣ ἐις τα ἐθνη, ἱερȣργȣντα το Ἐυαγγελιον τȣ Θεȣ, ἱνα γενηται ἡ προσφορα των ἐθνων ἐυπροσδεκτος, ἡγιασμενη ἐν Πνευματι ἁγιω. Locum hunc certe difficilem, & quantum novi ab interpretibus hactenus

ctenus nondum ex remota antiquitate explanatum ita explicare tentabimus, ut lectori conſtet, quis ſit lucidus & planus ſenſus verborum Apoſtoli. Ita autem ex rei natura & genuina verborum ſignificatione hæc verba reddenda ſunt. *Ad hoc ut ſim miniſter Jeſu Chriſti apud gentes, ſacra facientium more tractans Evangelium Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata per Spiritum Sanctum.* Ut jam ordine agamus, noſtramque explicationem lectori planam & apertam exhibeamus, primo videndum, quis λειτουργος? ſecundo loco demonſtrandum erit, quid ſit ἱερουργειν? quæ duo ſi probata fuerint, talem futuram ſperamus explicationem, ut de ſenſu dicti Apoſtolici nulla remanere poſſit diſceptatio; *Erant autem* λειτουργοι *homines, qui vel a propria tribu vel univerſo populo publicos quosdam cultus peragere, vel propriis ſumtibus Reipublicæ neceſſaria ſuppeditare jubebantur; varia horum genera fuerunt, qui omnes ex ditiſſimis civibus eligebantur, quos populus poſtulante neceſſitate omnia oneroſiſſima & moleſtiſſima officia in Republica ſubire jubebat.* Hanc de λειτουργοις deſcriptionem exhibet *POTTERUS in Archæolog. Græc. Lib. 1. cap. 15. p. m. 82. edit. Venetæ.* Erat ergo λειτουργος talis vir apud Græcos, qui ad id erat electus, ut non omni cura tantum, labore & induſtria Rempublicam juvet, ſed & flagitante neceſſitate facultates ſuas imo & vitam & ſanguinem ad illam augendam, ornandam, juvandam ſubminiſtret; Ne autem tale munus, quod erat graviſſimum & oneroſiſſimum, paucos tantum premeret, erat conſtitutio facta, ut plures, & ſingulis annis alii eligerentur, qui humeros huic oneri graviſſimo ſupponerent; & qui hoc munus obibant, dicebantur λειτουργειν. Eſt ergo λειτουργια *publicum miniſterium,* quod etymologia vocis ipſa probat, eſt enim à λειον h. e. *publicum*, & ἐργον, *opus* ſive *miniſterium*, & *HESYCHIUS* dicit, quod ideo λειτουργειν idem ſit ac δουλευειν. Probat etiam *POLLUX in Onomaſt. Lib. 8. cap. 10. ſect. 117.* Ἐγενοντο χιλιοι

καὶ διακόσιοι. Ἀπὸ τούτων ἦσαν οἱ λειτουργοῦντες. Δημοσθένης δὲ γράψας, ἀντὶ τοσούτων τριακοσίους τοὺς πλουσιωτάτους ἐποίησε. *Erant mille ac ducenti; Ex his erant munia publica obeuntes. Demoſthenes vero lata lege, pro tam multis trecentos qui ditiſſimi eſſent elegit.*

Nemo eſt, quantum confido, qui non facile videat, quam recte & convenienter ex alluſione ad veterum Græcorum conſuetudinem Apoſtolus hoc ſibi nomen ſumat & tribuat. Erat enim ille re vera λειτουργος, vir ad hoc a Deo conſtitutus, ut pro Eccleſia Chriſti omnem operam, laborem, ærumnam, curam, imò & tandem vitam impendat, non ſibi vivens, ſed Eccleſiæ, non ſua curans, ſed quæ Dei erant, qui oneroſiſſimum munus doctoris Evangelici apud Judæos & Gentes ſuſtinebat, ut uno verbo omnia abſolvam, qui vitam & ſanguinem ſuum ad commodum & incrementum cognitionis Eccleſiarum lubens & alacris impendebat. Ut autem demonſtret, quæ ſit ſui muneris diverſitas à λειτουργοις Græcorum, addit, quod ſit λειτουργος Ἰησου Χριςου, hoc eſt, à Domino ſuo ad id electus & conſtitutus, ut Evangelium prædicet inter Gentes, quæ autem prædicatio non minus quam λειτουργων munus, conjunctum ſibi habeat onus maximum, per quod ſe totum debeat impendere pro Eccleſia, cujus cura & plantatio ipſi incumbebat, & quod non propria auctoritate aut voluntate ad tantum munus proſiluerit, ſed illud acceperit a ſummo & æterno Eccleſiæ rege & principe Chriſto. Poſſemus in hoc loco ad hæc probanda ærumnas Pauli apud Gentes, ad quas miſſus erat, enumerare, ſi hoc agendum foret, fecit autem id ipſe in hac epiſtola ad Rom. 8:36. & 2. Cor. 4:11. & plurimis aliis locis. Varias autem Pauli & reliquorum Apoſtolorum tribulationes pro ſua eruditione magna eloquentiæ & ingenii apparatu nobis deſcribit eruditiſſimus atque plurimum Rev. *MOSHEMIUS* in oratione ſacra cujus

jus eſt titulus, Der Beweiß deß Lebens Jeſu aus dem Tod der Apoſtel. *Orationum ſacrarum Tom. I. p. 34.*

Facile ex his judicamus, quam inepte, quam incommode, quam inſulſe Papicolæ ex λειτεργια ſacrificium miſſaticum deducant, ita quidem, ut inſani illi homines verba Actor. 13 : 2. Λειτεργεντων δε αυτων τω Κυριω, vertere non erubeſcant, *ſacrificantibus illis*; horum autem errorem auctoritate locorum plurimorum ex Græcis auctoribus & patribus allatorum docte confutavit Rev. *Sal. DEYLINGIUS Obſerv. Sac. Tom. I. pag. 289. & ſeqq.* ad quem etiam lectorem, cum in omnium ſit manibus, remittimus, cui etiam adjungi poteſt *SUICERUS in Theſauro Eccleſ. Tom. II. p. 219.* qui hæc fuſe ex Patribus retulit. Tranſiit autem ſequenti tempore vox λειτεργε & λειτεργιας in Eccleſiam, per quam omnes functiones ad ſacra pertinentes generaliter ſignificabantur, indeque Diaconi dicti λειτεργοι, *BINGHAM. Orig. Eccleſ. Tom. V. p. 16.*

Munus jam Apoſtoli tanquam λειτεργε Ἰησε Χριςε apud Gentes erat ἱερεργειν το ἐυαγγελιον τε Θεε, *operam ſacram dare Evangelio Dei*; ſæpiſſime hoc verbum occurrit apud Scriptores profanos, ita *HERODIAN. Lib. V. cap. 3.* ἱερεργεντα δε τετον ἐπεβλεπον, *hunc ſacra facientem videbant*. Sacra vero facereEvangelio, nihil aliud eſt, quam eo, quo convenit, modo Evangelium prædicare; egregie connectitur λειτεργια cum ἱερεργια, tanquam λειτεργον Apoſtolus Paulus ſe promptum atque paratum ſiſtebat, ad omnes ærumnas, quæ eum in prædicatione Evangelij manebant, ferendas. Talis ergo à Salvatore & Domino factus miniſter, faciebat id ſancte, pro Evangelii divinitate, majeſtate & dignitate, hinc jam ſemetipſum vocat ἱερεργεντα το Ἐυαγγελιον, ſacro & Deo accepto modo operam navantem Evangelio ſibi commiſſo & tradito.

Scopum & finem λειτεργιας & prædicationis in poſterio-

ſteriori parte hujus verſus adjungit Apoſtolus, *ἱνα γενηται ἡ προσφορα των ἐθνων ἐυπροσδεκτος, ἡγιασμενη, ἐν πνευματι ἁγιω, ut fiat oblatio gentium accepta, ſanctificata per Spiritum Sanctum.* Primo heic notandum, quod vox προσφορα & actionem offerentis, & victimæ ſive oblationis conſecrationem ſignificet. Priorem hujus vocis ſenſum hoc loco eligendum eſſe quilibet facile animadvertet, ad id enim Paulus conſtitutus erat miniſter ſive λειτουργος, ad id Evangelium prædicabat, ut Gentes tanquam gratam Deo oblationem adducere poſſet ad EccleſiamChriſti. Tantundem ergo hæc Pauli verba valent, ac ſi diceret, totum meum munus & miniſterium, cum omni mea prædicatione ad id tendunt & collimant, ut ex gentibus incredulis gratam & acceptam Deo victimam vivam pararem. Modum, quo hoc fieri & poſſit & debeat, addit, ſcil. per ſanctificationem Spiritus Sancti; non ergo ſuæ converſionem gentium tribuebat induſtriæ vel ſagacitati, ſed Evangelio cooperanti Spiritui Sancto, qui illuminando, convertendo, inſtruendo, ſanctificando vivum redderet ſemen Evangelij apud gentiles ſparſum, per quod gratos Deo fructus poſſent producere ad laudem vocantis ipſos ad glorioſam lucem Evangelii. Omnem ergo in opere converſionis Græcorum & Romanorum gloriam à ſe amolitur Apoſtolus, illam unice ad gratiam Dei, & Spiritus Sancti illuminationem transferens. Apud Judæos altare ſanctificabat oblatum munus, Exod. 29:37. itidem apud Gentiles. Paulus autem hanc ſanctificationem non a Sacerdotibus vel altaribus, ad Judæos & Gentiles inſtruendos, deducit, ſed ab illo qui potentiam ſanctificandi ipſe in ſe contineret.

OB-

OBSERVATIO IV.

§. VI.

1. Timoth. II. 7.

Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ Ἀπόστολος. *In quo poſitus ſum ego præco & Apoſtolus.* Operæ pretium erit ex penetralibus Græcorum etiam indagare, quinam fuerint veterum κήρυκες, ut exinde videamus, quam recte Paulus ſibi hoc nomen tribuat. Κήρυκες erant apud Græcos *Præcones publici*, qui ſacris & ſacrificiis adeſſe tenebantur; eorum officium fuerat tempore antiquiſſimo, ſacrificia ad altaria adducere & mactare, ut ex *HOMERO* videmus *Odyſſ. Lib. 20. v. 277*

> Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ Θεῶν ἱερὴν ἑκατόμβην
> Ἦγον.
>
> *Præcones autem per urbem ſacram hecatomben*
> *Duxerunt.*

Eorum etiam munus fuit tempora, quibus Deorum ſolemnia & feſta celebranda erant, definire & promulgare, hinc *Angeli divini* dicti, cujus appellationis nobis fidem iterum *HOMERUS* facit, *Iliad. Lib. 4. v. 192.*

> Ἦ καὶ Ταλθύβιον, θεῖον κήρυκα προσηύδα.
>
> *Dixit, & thalthibium divinum præconem allocutus eſt.*

Nomen habebant ab officio, quod erat τὸ κηρύττειν, *promulgare*; Verſabatur autem præconum munus non tantum circa ſacra, ſed etiam circa civilia, erant enim publici belli pacisque præcones & nuncij, σπονδοφόροι, h. e. qui fœderis pacisque conditiones inter partes belligerantes deferebant; inde etiam κήρυξ tantundem valet apud Græcos, quantum caduceator aut fecialis

inter Romanos. *PFEIFFER. Antiquit. Græcar. Lib. 2. cap. 51. pag. 338. Jubetur Priamus ad claſſem Achivorum miſſus neminem aſſumere ſecum, præter unum tantum* κηρυκα γεραίτερον, *præconem ætate provectiorem.* De Corinthiis bellum Corcyræis illaturis narrat *THUCYDIDES, Hiſtor. Lib. 1. p. m. 21.* quod κηρυκα præconem miſerint, qui bellum declararet. προπεμψαντες κηρυκα, πρότερον, πολεμον προερουντα. *Miſerunt prius præconem bellum prius indicentem.* Ad quæ verba Scholiaſtes ita commentatur. κηρυξ ἐν πολεμω, πρεσβευς ἐν εἰρηνη. *Qui præco eſt in bello, legatus eſt in pace.* Plura de his etiam notavit *RHODIGINUS in Lectionib. antiq. Lib. 21. cap. 16. p. m. 1168.* Quæ autem cum fere conveniant cum iis quæ jam dicta ſunt, ea hoc loco brevitatis ſtudio adſcribere nolumus. Ex his jam facile videmus, quam apte Paulus, Evangelij apud gentes Apoſtolus, ſibi nomen præconis aſſumſerit. Egregiè hinc monuit *SCHWARZIUS in Commentario Ling. Græc. pag. 783. verbum* κηρυσσειν *eleganter adhibuerunt Scriptores ſacri ad res ſuas; nam apud Græcos* κηρυκες *cum in rebus ſacris, tum etiam in judiciis, fœderibus & bellis denunciandis fungebantur munere ſpectato & probato.* Cum autem hoc ſibi nomen aſſumſit & tribuit, facile exinde Græci cognoſcebant, quæ ſit muneris ratio, cum enim κηρυκες publica ſacra curarent, victimas diis placentes adducerent, cultum divinum præſcriberent, modum Deos colendi exponerent, facile exinde Paulus gentes docebat, ſui jam muneris eſſe, ſacra Deo convenientia præſcribere, victimas Deo placentes & vivas offerre, Rom. 12: 1. RectamDeum colendi & cognoſcendi rationem exponere, Evangelium gentibus hactenus incognitum ubique proclamare. Si ita των κηρυκων munus in pace & bello recte ſpectemus, egregiam certe cum munere Apoſtolico analogiam deprehendimus. Verus ergo erat κηρυξ divinus Apoſtolus omni reſpectu, alta voce ubique gentes ad ſalutarem cognitionem doctrina

na ſua informans, veram grata Deo ſacrificia offerendi rationem declarans, lætiſſima feſta Novi Teſtamenti definiens ; Præconum inſuper erat belli pacisque declarationes & ſtipulationes inter diſſidentes partes proferre ; Ita Paulus erat magnus ille Fœderis gratiæ apud gentes caduceator, illis demonſtrans, quomodo cum Deo poſſent reconciliari, hinc orat, rogat, invitat Græcos ad reconciliationem cum Deo, 2. Cor. 5 : 20. καλαλλάγηλε τῷ Θεῷ *reconciliamini Deo.* Rom. 5 : 11. *gloriamur in reconciliatione, quæ facta eſt per Jeſum Chriſtum.* Exponebat totam doctrinam gratiæ, per quam ad Dei iram & indignationem prolapſum totum genus humanum iterum pacis divinæ compos fieri poſſet, modum fœderis & reconciliationis per Chriſtum factæ luculentiſſime deſcribebat, omnes conditiones hujus gratioſi fœderis ob oculos ponebat. Bellum indicebat, impiis, impœnitentibus ſeveriſſima Dei judicia, pœnam æternam, ejectionem ex regno gratiæ pronuntians. In his omnibus, quæ facile latius exponi & extendi poſſent, Paulus veri κήρυκος divini munere functus eſt inter Apoſtolos.

§. VII.

Hæc etiam ratio eſt, quare hoc nomen in Eccleſia Apoſtolica & etiam ſequenti tempore manſerit, ut hæc prolixius exequitur *BINGHAM in Origin. Eccleſ. Lib. 1. cap. 20. pag. 310.* Hoc autem nomine veniebant Diaconi, quos ideo teſte Syneſio ἱεροκήρυκας, h. e. *ſacros Eccleſiæ præcones* vocabant, quia monebant, ut omnia ſuo ordine fierent. Finito ſermone Epiſcopi exclamabant, *ne quis adſit infidelium*, & ſilentio facto proclamabant, *Orate Catechumeni, & omnes fideles attente orate pro eis*, & tandem finito cultu divino populum dimittebant ſolemni & communi formula, ἀπολύεσθε, προέλθέτε, *ite, miſſa eſt;* Inde etiam verbum κηρύσσειν in omnibus illis locis, in quibus obvenit ſæpiſſime in libris

bris Novi Teſtamenti, non tam prædicare, quam divinum verbum annuntiare, ad orandum monere, ad præcepta Chriſti obſervanda omni fervore ſtimulare ſignificat. Reliqua hujus commatis difficultatem non habent, Paulus autem jungit nomini κηρυκος, quod ſit etiam *Apoſtolus*, legatus nomine Dei ad gentes, quod epitheton non tantummodo tribuitur duodecim illis viris, quos Chriſtus immediate elegit ad Evangelium inter Judæos & Gentes diſſeminandum, ſed etiam aliis Eccleſiæ miniſtris, qui ſimilem poteſtatem a duodecim Viris vel a Paulo acceperant, hinc Epaphroditus Philippenſium vocatur Apoſtolus Philip. 2: 25. *Plura de his SVICERUS in Theſ. Eccleſ. Tom. I. p. 476.* atque *HAMMONDUS* ad Rom. 16: 7. ad quos lectorem remittimus.

OBSERVATIO V.

§. VIII.

Epiſt. Jacob. I. 4.

Ἡ δε ὑπομονη ἐργον τελειον ἐχέτω, ἱνα ἠτε τελειοι και ὁλοκληροι, ἐν μηδενι λειπομενοι. *Cæterum tolerantia opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Scopus Apoſtoli Jacobi in hac Epiſtola erat ſcribere προσ δωδεκα φυλαις ἐν τη διασπορᾳ, *ad duodecim tribus in diſperſione*, ut ipſe declarat verſu primo. Scopus erat, ut ſtabiliret animos fratrum ex Judæis ad Evangelium converſorum, ut forti animo ferant perſecutiones hoſtium tum Judæorum, qui vi externa eos adoriebantur, tum etiam hoſtes internos, qui veram doctrinam corrumpere tentabant. Intentionem Apoſtoli hanc Epiſtolam ſcribentis elegantiſſime declarat *ARETIUS*, vir ob ingenij acumen & multivariam in politioribus literis, quæ tamen apud plurimos infelices audiunt, doctrinam nunquam ſine laude nominandus, in ſuo commentario *p. 471. Generalis eſt una*

propo-

propoſitio in hac Epiſtola, quam ſume ex cap. 1. v. 22. Eſto-te autem factores verbi, non auditores tantum, &c. quam Jacobus deinceps ſæpius repetet in ſua Epiſtola; ad hoc ergo totius Epiſtolæ ſumma reduci debet, ut demonſtret, Chriſtia-nos curare debere, ut profeſſionem ſuam ſtudio bonorum ope-rum ornent. Cum autem ſcripſerit ad Chriſtianos, qui noviſſime ex Judaiſmo ad Evangelij profeſſionem ac-ceſſerant, facile concipimus, ejus in hac Epiſtola di-ctionem ita eſſe comparatam, ut fratres ſuos omni legali jugo ſubduceret, & ad libertatem Novi Teſta-menti transferret, hinc etiam monet, ut jam perfi-ciant *legem Regalem ſecundum ſcripturas, quæ ſit dilectio proximi, cap. 2: 8.* Cum enim perpetuus error eſſet Judæorum, juſtificatio ex operibus ſecundum legem, neceſſario cavendum erat, ne quædam reliquiæ tanti fermenti in Eccleſia ex Judaiſmo collecta remanerent; ad aliam ergo perfectionem, quam legalem, illos de-ducit, quam ponit *in voluntaria afflictionum tolerantia, ut hoc modo fiant perfecti & integri in nullo deficientes.* Hanc autem ὑπομονὴν vocat ἔργον τέλειον, *opus perfectum,* quia conſtantia in cruce debet eſſe perpetua uſque ad finem, & hoc modo tribulationum & adverſita-tum tolerantia ducit ad plenariam perfectionem tan-dem aliquando conſequendam, quæ autem in hac vita non datur; cum ergo dicit *tolerantia veſtra opus habeat perfectum,* tantundem eſt, ac ſi diceret, perdu-rate fideles ſine puſillanimitate, ſine virium remiſſio-ne in lubenti & alacri crucis vobis impoſitæ toleran-tia, per quam ad plenariam omnibus fidelibus pro-miſſam perfectionem introducendi eſtis.

§. IX.

Facile exinde colligimus, quos *Apoſtolus* intel-ligat per τελείους, de quibus ſtatim ἵνα ἦτε τέλειοι *ut ſitis perfecti.* Præcipit vero perfectionem non legalem, quam Judæi ex operibus ſuis jactabant, ſed Evange-licam, quæ conſiſtit in perpetuo bonorum operum atque

atque virtutum Chriſtianarum ſtudio, hanc eandem etiam perfectionem Salvator commendat & præcipit Matth. 5: 48. conſimiliter Paulus Coloſſ. 1: 28. & 4: 12. de his autem diximus *in Obſervat. ad Matth. loc. cit.* Opponit Apoſtolus Jacobus hanc perfectionem diſcipulorum Chriſti imaginariæ juſtitiæ Judæorum, per quam ſe pios, bonos, probos, ſanctos & beatos temere exiſtimabant; ſed hæc omnia hactenus explicatione vix indigere videntur. Primarius vero hujus obſervationis ſcopus eſt, ut oſtendamus, quorſum reſpiciat ὁλοκληρίας epitheton, ad quam conſimiliter fideles ἐν διασπορᾳ ſuſcitat atque impellit.

§. X.

Ut autem hæc recte intelligamus, opus eſt, ut videamus, quid veteres per ὁλοκληρον intellexerint, & ex vera hujus vocis explanatione planum fiet, quæ ſit mens Apoſtoli in hoc loco. Dicendum ergo ὁλοκληρίαν eſſe illam corporis omniumque membrorum perfectionem, quam & lex Divina, & conſtitutiones Græcorum in Sacerdote requirebant; Inde *HESYCHIUS* ad vocem ἀφελης ita commentatur. Ἀφελης, ἀσινης, καθαρος, ὁλοκληρος, ὁ μητε πλεοναζων, μητε δεων τι τȣ σωματος. Ἀφελης *dicitur, illæſus, purus, integer, cui neque redundat quid in corpore, neque deeſt.* Scripta hinc lex Græcorum, τον ὁλοκληρον ἱερᾶσθαι. h. e. *ut non niſi corpore integer Sacerdotium conſequatur.* Examen illud vel viſitatio corporis, in hominibus ad Sacerdotium eligendis δοκιμασια dicitur, ita nos docet auctor Etymologici magni. Παρ᾽ Ἀθηναιοις καὶ βασιλεις καὶ οἱ ἱερεις ἐδοκιμαζοντο Ἀθηνηθεν εἰ ὁλοκληροι; *apud Athenienſes & Reges & Sacerdotes viſitabantur, an corpore eſſent perfecto & integro.* Plura de hac Sacerdotum gentilium integritate teſtimonia adduxerunt ὁ πανυ *SPANHEMIUS in Commentar. ad Callimach. p. 621. & LAKEMACHER in Græc. Antiq. Sacr. p. 268. & ſeq.* Eandem legem dederat Deus Lev. 22: 23. *Ad velum non ingredietur, & ad*

altare non accedat Sacerdos, cui ineſt macula, ne polluat ſanctuarium meum. Inde etiam ſedulo & accurate viſitabantur Sacerdotes Judæorum coram Synedrio magno, an nullo laborarent vitio, vitia autem recenſentur 140. de quibus vide diſſerentem *OTHONEM in Lex. Rabbin. pag. 534.*

Ex his jam, quæ breviſſime dicta ſunt, facile videbimus, qui ſit ſenſus hujus dicti Apoſtolici, quo fideles ad perfectionem & integritatem extimulat. Nullum ergo eſt dubium, quin Jacobus in his, ſcribens ad Judæos, perfectionem Evangelicam voluerit comparare cum illa corporis perfectione, ad quam Judæi ſub veteri œconomia debebant tam rigide in ſcrutinio Sacerdotum attendere; quemadmodum autem in illis plenaria corporis ὁλοκληρία requirebatur, ita Jacobus hanc integritatem ad ſpiritualem perfectionem transfert, ut non amplius ſint pueri in Chriſto, ſed adulti, ut Sacerdos fieri non poterat, qui non perfectam atque virilem ætatem contigerat. Deſiderat ergo in hac integritate & perfectione, ut profectum faciant ab una cognitione ad aliam, ab una luce ad aliam, ad coagmentationem omnium partium cognitionis ſpiritualis, addendo unam virtutem poſt aliam ad illas quæ jam fuerant acquiſitæ, illas probe excolendo, non amplius membra ſiſtendo arma injuſtitiæ, quibus corpus maculent, atque ita ὁλοκληρίαν ſuam, ſanctum ſtudium omnia præcepta Chriſti obſervandi, perdant; & quemadmodum leviſſimo vitio naturali homines ſub Veteri Teſtamento inhabiles & inepti reddebantur ad Sacerdotium coram Jehovah obeundum, ita etiam Sacerdotes ſpirituales Novi Teſtamenti per peccata in illis dominantia, & illis adhuc affectibus imperantia, ad illum purum & ſanctum Dei cultum, qui jam mere ſpiritualis eſſe debet, ita redduntur inepti, & non magis apti ſint ad verum cultum Deo præſtandum, quam fuerant ſub Veteri Teſtamento Sacerdotes in aliqua corporis parte deficientes & mutili.

LV.

V.

LUDOVICI COCHETI. V. D. M. AD SIMPLICII VERINI ANIMADVERSIONES CRITICAS In DISSERTATIONEM De Syſtematibus Orthodoxorum, Remonſt. ac Socinianorum,

Tempe Helv. Tom. II. Sect. II. p. 311.
Contentas.

*RESPONSIO.**

§. I.

SEmel atque Authorem harum animadverſionum *SIMPLICIUM VERINUM* ſeſe dicentem vidi, illum, eo modo has publici juris feciſſe, qui huic egregio Chriſtiano homine digno cognomini reſponderet exiſtimavi: nec ullum dubium fuit, quin Apo-

* Placuit Rev. & Doctiſſimo *SIMPLICIO VERINO*, ne temere animadverſiones in diſſertationem Ornatiſs. *COCHETI* ſcripſiſſe videretur, ulterius mentem ſuam declarare, atque plurima capita Religionis Reformatæ, quale præſertim eſt *Syſtema Supralapſariorum*, in clariſſimam lucem collocare; Et ne moleſta accideret inter *Reſponſionem* Doctiſſimi *COCHETI* & Rev. *VERINI notas* collatio, ad lectorem hac in re ſublevandum, utriusque litis defenſionem ſimul oculis lectorum ſubijciendam exiſtimabam. J. G. A.

Apoſtoli monitum ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ obſervaſſet; Exindeque ſpes nata eſt, fore ut placide ac amice ea oſtenderet, in quibus me a veritatis recto tramite deviaſſe autumat. Verum nimium oſcitanter judicaſſe, ſpemque inanem animo concepiſſe, hiſce animadverſionibus perluſtratis, luce meridiana clarius eſt; Etenim nullibi ſpiritus Chriſti, qui eſt ſpiritus pacis, caritatis, & veritatis, veſtigia ne quidem leviſſima cernuntur; Quin e contra παλαιὸς ἄνθρωπος ubique in hac diſſertatione Polemica cum ſuis affectibus ſeſe exerit; ejusque authori imperitaſſe, illum adflaſſe, quaſi manu duxiſſe, tot ſunt argumenta, quot fere ſunt in ea paragraphi. Qua propter mirum non eſt, ſi verum ſuum nomen non adpoſuerit; Ejusmodi homines, ſecundum Chriſtum, *malunt tenebras quam lucem, quia eorum opera* mala ſunt: Revera opus malum erit illud, in quo nec caritas Chriſtiana, nec pax nec veritas coluntur. (*a.*) Talem autem eſſe hanc criſin, ejusque

NOTÆ Simplicii Verini.

(*a.*) Hæc mihi legenti in mentem venit *Virgilii* illud, Æneid. L. I. ỳ. 15. *Tantæne animis Cœleſtibus iræ?* ita enim exacerbata in me eſt illius mens, qui me docere vult, quid ſit ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, ut verba eum fere deficiant, quibus ſuam in me excandeſcentiam ſatis exprimat. Uti vero manſuetus animus & mens a jurgiis abhorrens ſigna prudentiæ ſunt, ita multa ſunt, quamobrem non exiſtimem futurum, ut me Animadverſionum mearum criticarum in tuam V. D Diſſertationem, ſub præſidio Clar. RUCHATI publice defenſam, pœniteat; ſi data opera ultro in imerentem invectus eſſem, ſi verborum petulantium modum non feciſſem, ingenue confiteor, inſaniæ id, & prudentis hominis non eſſet; uti vero mecum prius quicquid inde naſci poſſet ita animo volutavi, ut imprudenti mihi nihil obvenerit vel facile evenire poſſit, quod antea non putarim, ita gravem me apud nonnullos invidiæ tempeſtatem ſubiturum nunquam dubitavi, prædixique. Ubi tamen fidei ſacroſanctæ noſtræ, ubi honoris ſummorum Theologorum intereſt, ibi famam ipſorum tuendam, ibi cauſam juſtam defendendam eſſe, arbitror. Licet autem nunquam de ingenii mei aut Eruditionis viribus, quas novi quam ſint exiguæ, præ-

Authorem *SIMPLICII VERINI* egregium nomen, quod ſibi adtribuit, potius deprædatum fuiſſe, omnibus erit manifeſtum, qui meam diſſertationem de ſyſtematibus Theologicis cum ejus animadverſionibus conferre non recuſabunt, ſed æqua lance ponderabunt. II. Quid

clare ſenſerim, cauſæ tamen quam tueor tantam eſſe juſtitiam & evidentiam ſcio, ut non dubitem, judicium de iis, quæ antea dixi & nunc dico, omnibus Eccleſiæ Noſtræ Academiis deferre. Ne ergo quiſquam exiſtimet litigandi pruriginem eſſe, quæ me ut Diſſertationem illam cenſoria Virgula notem permoverit, moneo, Viros eruditiſſimos eſſe, qui eam minus adhuc quam ego perferre potuerunt, eam Academiis noſtris maculam adſperſuram metuentes: Honori ideo Celebb. Virorum tuendo manum meam lubens com̃odavi, quamvis nimis brevitati ſtudendum ſit, ut res pauciſſimas & obiter tantum tangere potuerim. Cum vero exiſtiſtimes Vir D. me Tenebrionem aliquem eſſe, qui nomen ſuum publice profiteri non audeat, offero id a me petenti ſive privatim ſive publice, ſive voce ſive ſcripto illud com̃unicare. Et facias deinde contra me quicquid poteris, nihil contra me efficies, niſi quod majoris cladis ſubibis periculum. Spem mihi dudum fecerant, D. Authorem parturire Apologiam aliquam, quam ſum̃o animi deſiderio exſpectavi, & quod exſpectavi nunc obvenit, & evenit uti exſpectavi, ut D. Author ſua defendendo, clarius quid de Theologia ipſius ſentiendum ſit oſtendat. Cum autem atrociſſimorum me accuſes mendaciorum, meque veritati neutiquam ſtuduiſſe perhibeas, certe ἀληθεύειν nec mihi nec aliis, qui Diſſ. tuam inſpexerunt, videris, meque non tantum veritati ſtuduiſſe, ſed modeſte adhuc locutum fuiſſe, ipſa tua Diſſ. perpetuum erit monumentum; neque a quoquam poſtulo, ut verbis meis fidem habeat, niſi ab iis, ad quos *Tractatus* tuus pervenit; ſi vero quidquam dixi, quod veritati conſentaneum non ſit, rogo eos, quos penes arbitrium eſt & jus & norma mihi imperandi, ut juſtam mihi propterea infligere velint pœnam, meque ut publice tibi ſatisfaciam obligent, pauciſſimis enim quis ſim ignotum eſt; ſed hujusmodi impudentiſſimi mendacii me nec accuſatum nec convictum iri, ſatis perſpectum mihi eſt. Inſulſa autem hæc tua accuſatio prodit graviſſimum vulnus, quod tibi Animadverſiones meæ inflixerunt; Quod telum cum ita toto corpore receperis, ut nulla medicina evelli poſſe intelligas, illud unum ſolatio tibi futurum arbitraberis, ſi innocentem me, falſiſſime licet, calumniarum ejusmodi accuſes; nullo vero alio teſte, quam Diſſ. Tua, hac in re opus habeo.

§. II.

Quid ad rem ? quivis ſanus exclamabit Ironicus ille ſtylus, quem in tota ſua criſi S.V. uſurpat ; ita ut Hiſtrionem potius, quam Theologum agat. *Ridendo dicere verum* equidem nihil vetat ; ſed Ridendo dicere id quod falſum eſt & injurium, proximi famam aggredi, iniquas ſuſpiciones in eum movere, illud nefas eſt. Et equidem a limine ſuarum animadverſionum talem ſe prodit ; hanc eximiam & modeſtam obſervationem præmittendo ; *Ita nimirum comparata eſt hæc Diſſertatio, ut vel ipſa mole jam jam ſpectabilem ſeſe reddat, pleraſque alias magnitudine vincat, & admirationem propterea apud Doct. Authoris populares commoveat,* &c. Quibus verbis non modo mecum, ſed cum popularibus meis etiam, rem ſibi eſſe, declarat : veluti alter Aman totam gentem tanquam alicujus facinoris nefandi conſciam involvit : ſed quid quæſo tibi *Simpl.* cum popularibus meis hic negotii eſt ? An illi, *ea quæ Theologi celebres clariſſime docuerunt, temere & ſine ulla meditatione ſimul mecum compilaverunt, plebeio & ſordido ſtylo conſcripſerunt ?* parag. 20. Sed *non doluerunt, uti omnes alii Lectores, tantam pretioſæ Chartæ copiam atque vim fruſtra fuiſſe conſumptam ;* ſed ea, quæ tibi & tuis adſeclis nauſeam creant, *mercem vix aſpectum tuum ferentem* mirati ſunt. (*b.*) Nonne diceres, L. B. me inter

(*b.*) Quis dixerit Ornatiſſimo *COCHETO*, apud Sarmatas & Getas eſſe prodigium, ſi quis aliquid luci publicæ expoſuerit ; itane vir doctus vult, ſibi rem eſſe cum fortiſſima Sarmatarum gente, quæ integram Phalangem Doctiſſimorum Virorum exponere, & in apricum producere poſſet. Cave ergo impoſterum, mi Cochete, ne tibi talia temere ſcribendo, etiam cum Literatoribus & Criticis res ſit, qui contra fidem & auctoritatem veterum & hodiernorum ſcriptorum admiſſos errores forſan non facilius condonant, quam Theologi illos qui contra fidei fundamenta committuntur. Vidit id popularis tuus, Vir doctus, ſed certe in politioribus literis non multum verſatus, ubi non ex aliorum ſcriptis integras paginas compilare & deſcribere potuit, *Johannes CLE-*

Getas & Sarmatas natum eſſe ? apud quos aliquid publici juris facere ſit prodigium, portentum aliquod ingens, *Monſtrum mirabile dictu*; quiſque omnia indiſcriminatim & absque ullo delectu adprobant ? Quicquid ſit, quomodocumque de popularibus meis ſentiat *SIMPLICIUS* (qua de re magnopere ſollicitos illos fore non arbitror) ſemper illorum ſuffragium magnifaciam, ita ut ſi alicujus uſus ipſis viſa ſit Diſſertatio mea, illud Propertii ex intimo animo profitear :

Exiguo quodcunque ex pectore vivi
Fluxerit, hoc patriæ ſerviat omne meæ.

§. III.

Sed ea videamus, quæ exceptis popularibus meis cuivis Lectori nauſeam creant. Statim *parag. 2.* a *Titulo*, quem præ ſe fert Diſſertatio mea, initium facit *SIMPL.* deinde *Præmium*, quo illius finem & uſum declaravi, exponit *parag. 3.* illudque abſurdum reddere ſatagit *parag. 4.* mihi quidem affingendo ea, de quibus nunquam cogitavi, mihi & omni ſano lectori arcana incognita, donec *SIMPLICIUS* ea in lucem prodidit. Quis enim mentis & rationis compos unquam ex illo eliciet proœmio, *Quod me glorier ea inveniſſe quæ non hactenus deprehenderunt Theologi, ſummisque Theologis ignorata, omnibusq; numeris abſolutum Syſtema Theologicum tradere, ſicut & qua ratione Theologia in poſterum docenda ſit oſtendere.* (c.) 1. Enim Proemium ſicut & totam

---

RICUS; qui autem ab omnibus noſtri ſeculi Viris doctis ita fuit notatus, ut ſolæ refutationes & cenſuræ in illum paſſim conſcriptæ, nomen ejus ad ſeram poſteritatem poſſint transmittere.

(c.) Hæc ex iis, quæ Doct Author in toto ſuo proœmio dicit, fluere, quivis illud legens clarè deprehendet; in illo enim accuſat Theologos, *quod ita conficiant tractatus ſuos, ut iis perluſtratis in univerſum, eos de uno aut altero Religionis capite tali & tali modo ſentire colligatur, eorumque ſententiæ rationes prorſus vel fere ignorentur, vel ſaltem admodum imperfecte cognoſcantur; tractatum*

tam diſſertationem non ad Theologos ſive Theologiam docentes, ſed ad eam diſcentes dirigi nemo non videt, qui cœcutire non vult ut Simpl. (*d.*) Iis in ſpecie, quæ ad calcem diſſertationis meæ adpoſui, attendere noluit, quibusque finem feci: *Deum ſill. T. O. M. orando, ut in eruendis Theologorum placitis conatus & labores Fratribus in Domino, Studiorum Sociis Dilectiſſimis, aliquid emolumenti afferrent*, quæ verba, ſaltem ut mihi videtur, non arguunt virum qui ſe nimis glorietur pro Theologiæ ſtudio modeſtiam exigente. 2. Præterea, quomodo is gloriari poteſt, ſe, quod hactenus non deprehenderunt Theologi, & ſummis Theologis ignorata inveniſſe, qui *nonniſi ea quæ jam millies fuere excuſa, ea quæ jam Theologi celebres clariſſime docuerunt, compilavit. parag. 20.* (*e.*)

§. IV.

3. Quomodo itidem ex Prœmio inferri poteſt, quod omnibus numeris abſolutum Syſtema Theol. tradere velim? Neutiquam enim hic de tota Theologia, ſed tantum de ea Theologiæ parte quæ eſt *Polemica* (*f.*) ſive de iis argumentis, de quibus in varias abeunt ſententias Theologi, ſermo inſtituitur. Ideoque nec

 de

vero, cujus ope incommodum hoc vitetur, adhuc dum deſiderari; talem autem ſe in hac Diſs. exhibiturum promittit methodum, ex qua, quomodo ſtudia noſtra in poſterum dirigenda ſint, intelligi poſſit, & qua incommodum hoc, quod Theologi in Syſtematibus ſuis admittunt, vitetur. &c. &c.

(*d.*) An de docentibus, an vero de diſcentibus hæc loquatur, quæ defectum Syſtematum attinent, ex ſupra dictis clarum eſſe arbitror, cum *Docentes* Syſtemata conficiant, non vero *diſcentes.*

(*e.*) Hæc non de omnibus rebus in Diſſert. hac contentis, nedum de methodo, dicta volo; unde Doct. Auth. *nonniſi* omittere debuiſſet.

(*f.*) Lubens hæc concedo, Authorem tantum omnibus numeris abſolutum Syſtema Theologiæ Elenchticæ in lucem edere voluiſſe, neſcio autem, cur ille etiam Syſtema, confuſum quidem, Theologiæ noſtræ *dogmatica* tradiderit, ſi merè *elenchticum* eſſe debeat.

de novo Theologiæ Syntagmate, ſed de tractatu, ea argumenta in quibus diſcrepant Theologi, quæque ſparſim, & ſimul cum iis quibus conſentiunt, in Syſtematibus vulgo reperiuntur, exhibente. Jam vero ejusmodi Tractatus utilitatem quis negabit? (g.) Nonne præſtaret in genere, ut ſeorſim hæc duo, tum ſill. ea de quibus nulla eſt lis, tum ea de quibus lis eſt, traderentur, longe enim facilius hac ratione redderetur Theologiæ ſtudium. Sed res ita ſe non habent. Hæc omnia ſimul immiſcentur; unde fit ut non parum confuſionis accedat. Summorum autem Theologorum vitio me id adſcribere, ne autumes B. L. probe equidem novi, rem ſeſe aliter habere non potuiſſe; paulatim enim a ſimplicitate Chriſtiana deflexere homines, innumerasque propemodum temporis lapſu controverſias excitavere, unde evenit, ut ſenſim in craſſa volumina creverint Theologici tractatus. Præterea rationes, de quibus Theologi circa argumenta modo aliquid negant vel affirmant, ab unoquoque facile non percipiuntur; ſæpe enim eorum affirmatio vel negatio ab eo quod de alio argumento ſentiunt pendet; Ita ut nexus inter has affirmationes vel negationes detur, quem nonniſi attentione & cura multa adhibita deprehendere poſſumus; præſertim in tanta rerum copia, quibus Theologici Tractatus referti ſunt. Tractatum autem peculiarem, varias de capitibus controverſis opiniones, illarumque inter ſe nexum exhibentem, quis improbabit, niſi ille qui ideis vagis & obſcuris delectatur? Talem vero tradere in Diſſertatione, quam aggreditur *SIMPLICIUS VER.* pro virium modulo conatus ſum. Si hæc ille animo ſuo reputaſſet, non in inſulſam ac frigidam illam exclamationem erupiſſet; qua veluti uno ictu totam meam Diſſertationem funditus ruere credit.

(g.) Uſum talis operis nemo unquam negavit, ſed Diſſertationem D. Gocheti uſum hunc præſtare, hoc eſt quod negatur.

dit. Nec enim, hanc fuiſſe mentem meam in prœmio, quam ſupra declaravi, agnoſcere *SIMPLICIO* difficile erat, modo *Simplicitati* & *veritati* litaſſet; ſed ad inſtitutum ſuum abſurda mihi affingere omnino neceſſe erat.

§. V.

Qua de re neutiquam dubitabit Lector, qui ejus obſervationes, *parag. 5.* contentas perpendet. Prœmii mei ſub finem, non omnium inter Reformatos ſectarum opiniones, ſed tantum *Celebriorum Ortodoxorum*, (*h.*) *ſill. Remonſt. ac Socinian*: tradere velle, ſicut & circa Authores, quos adire erat neceſſe, præmonueram. Tria autem obſervat de his S. V. 1. Statim vult, ut Lector attendat, ſyſtemata vulgatiſſima *Fontes* appellari; (*i.*) neſcio, qua de cauſa illud nomen ſatis honorificum ipſi non videtur. 2. Deinde *notam*, quam in calce paginæ adjeceram, arguit; Hac nempe, quoſnam per *Reformatos* intelligam, ſill. *quoſcumque Chriſtianos qui Eccleſiæ Romanæ valedixerunt*, indigitatur. Et hoc omnino *SIMPLICIO* diſplicet qui longe aliter ſentit; Exiſtimat enim, nomen illud *Reformati* nonniſi *Ortodoxis* competere, quod equidem non totidem verbis aſſerit, ſed tamen legitima conſequentia ex ejus dictis deduci poteſt; ſic ſonant: *ne nempe eruditus Lector exiſtimet, Authorem tantum de Secta Ortodoxorum (egregium Eccleſiæ fidelium nomen) acturum, dicit, per Reformatos ſe intelligere quoſcunque Chriſtianos, qui ab Eccleſia Romana*

G 4 *ſeceſ-*

(*h.*) Vellem ut D. A. ſaltem ſciviſſet, quomodo vox *Orthodoxus* ſcribenda ſit, & non ubique ad nauſeam usque impingeret.

(*i.*) Imo nimis honorificum mihi videtur hoc nomen. FONTEM enim Theologiæ alium præter Scripturam Sanctam non agnoſco, nec alius a Theologis agnoſcitur: admirandum itaque eſt, quod Vir Doct. inter fontes, ex quibus *Orthodoxorum opiniones* hauriendæ ſint etiam recenſet *Theſes Salmurienſes*, quibus in Helvetia oppoſita eſt FORMULA CONSENSUS, in Doctrina imprimis *de Gratia univerſali*, quæ ab Eccleſia Helvetica hactenus rejecta fuit ceu verbo Dei non conſona, hoc eſt *non Orthodoxa*.

ſeceſſerunt ; Verum cum ſeceſſio ab Eccleſia *Rom.* dicta fuerit *Reformatio,* inde exiſtimavi, eos omnes *Reformatos* dici debere, qui hinc ſeceſſionem fecere ; nihil ad rem, quod alii hocce in negotio fuerint priores vel poſteriores ; ſed regerit *SIMPL. Remonſtrantes & Sociniani potius a vera Eccleſia, quam ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt ; Ergo Reformati dici non debent ;* Mira ſane conſequentia ! Remonſt. & Sociniani ab Eccleſia Ortodoxa defecerunt, ergo non ſunt Ortodoxi ; ſed etiam ab Eccleſia Romana defecerunt ſimul cum Ortodoxis, (ſaltem Sociniani) ab ejus cultu & dogmatibus pariter abhorrent, ſimulque cum iis adverſus Pontificios calamum ſtrinxerunt ; Ergo ſunt Reformati & in eorum numerum recenſeri debent. Nullum aliud nomen datur generalius, quod omnibus iis, qui Pontificiam Tyrannidem excuſſere & ipſi rurſus collum ſubmittere recuſant, applicari poſſit. (*k.*)

§. VI.

Tertia *SIMPL.* obſervatio ſic ſe habet ; *in ſcenam prodituram ſperavi Sectam Lutheranorum, & Sectam Anabaptiſtarum.* Undenam hæc ſpes ipſi nata ſit latet. (*l.*) cum potiſſimum celebriorum inter Reformatos

(*k.*) Nomine *PROTESTANTIUM* & *Eccleſiæ REFORMATÆ* non tantum ἀνισοξητως ſed & ἀθεολογως ita utitur D. Vir, ut ſub hoc nomine *Socinianos* etiam, ut & *Sociniano-Arminianizantes* complectatur ; cum vero in libris Theologicis per Proteſtantes & Eccleſiam Reformatam ſemper Eccleſia vera intelligatur, non video, cur ii Eccleſiæ *Proteſtanti*, hoc eſt *VERÆ*, accenſeantur, qui fundamenta fidei ipſius negant, talesque committunt Errores, qui Pontificiis adhuc longe deteriores ſunt ; in libro igitur Theologico etiam hac in re caute agendum eſſe arbitror, ne Pontificiorum criminationibus noſmet exponamus : Niſi forſan differentia inter *Proteſtantium,* hoc eſt, veræ Eccleſiæ Doctrinam & *Socinianorum* admodum exigua TIBI videtur. Quod autem ais, *Socinianos* cum Orthodoxis ſimul ab Eccleſia Romana defeciſſe, de hoc Hiſtoricorum monumenta nihil tradunt, ſed potius, *SOCINUM* demum poſt Reformationem vixiſſe perhibent.

(*l.*) Ideo id ſperavi, quia D. A. dixerat, ſe acturum de præcipuis

matos Sectarum opiniones tradere ſuſceperam, prout id expreſſis verbis in prœmio meo legitur : & prout ipſemet Simpl. hoc ipſo paragrapho obſervat. Itaque de omnibus, quæ inter Reformatos vigent, ſectis dicere animus non erat. Equidem *Lutheranorum Sectam* celebrem eſſe fateor; quare ergo de iis verba non fecerim, id agnoviſſet S. V. ſupra dictam notam integram perluſtrando; hæc enim legiſſet : *Hic omitto Lutheranos, quoniam eorum opiniones ſecundum inſtitutum noſtrum demonſtrari nequeunt; Revera in quibusdam ſolum differunt ab aliis Chriſtianis, quæ Syſtema prorſus diverſum non efficiunt*, ſed noſter *SIMPL. Impatiens iræ* hæc non animadvertit, vel potius hæc omittendo Lectori fucum facere voluit. Etenim ſi excipias *argumentum de Euchariſtia*, & quædam huic adnexa, de reliquis Theologiæ capitibus ſimul cum Ortodoxis, & præſertim cum Remonſtrantibus (*m.*) ſentiunt Lutherani. Quandoquidem *LUTHERUS de ſervo arbitrio* librum conſcripſerit, ejus diſcipulorum maximam partem hac in re ipſi valedixiſſe, nemo neſcit : Quis etiam, Dogma *de Prædeſtinatione abſoluta*, absque ulla operum præviſione, ipſis exoſum eſſe, ignorat ? Quæ cum ita ſint, Lutheranis peculiare Theologiæ Syſtema non eſſe, cuivis patet. *Anabaptiſtas* vero quod attinet, in varias ſcinduntur Sectas; inde eſt ut eorum opiniones excutiendas non ſuſceperim, iis ſolum hærendo, quæ non de uno aut altero argumento, ſed circa Theologiæ ſummam verſantur. *Celebriores* igitur dixi Sectas

ſectis *Reformatorum*, per quos intelligit eos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, qui ſunt Eccleſiæ *Proteſtantium* & *Anabaptiſta*.

(*m.*) Certe vellem, ut D. A. hic modeſtius paulo de Doctrina *LUTHERANORUM* locutus eſſet, tales enim Vir Doct. *Remonſtrantes* nobis in Diſſert ſua deſcribit, ut cum *Socinianis* idem ſentiant, ut paſſim innuit, *eadem principia ſtatuant, easdem ex iis principiis conſequentias fere nectant*, ideo Fratres Auguſtanæ Confeſſionis talis Hæreſeos temere accuſandos non eſſe exiſtimo.

Ortodoxorum, Remonſt. ac Socinian. non propter eorum numerum qui eas tuentur, ſed propter opinionum inſignem differentiam. Iis quæ ulterius obſervat Simpl. nempe *Ortodoxos nomine Sectæ, & Socinianos æque ac Ortodoxos Chriſtianorum Theologorum comuni nomine complecti,* nunc non imorabor, ſed Lectorem ad reſponſa in *parag. 24.* in quo eadem clamitat, amando.

§. VII.

Ex his nunc facile deprehendit B. L. quid de ſequentibus ſperandum: Cum *SIMPLICIUS* ſcopum Diſſertationis meæ non perceperit, (*n.*) vel (ut verius dicam) percipere noluerit, ſed talem mihi affingat, qui a mente mea prorſus ſit alienus, ideo abſurda quam plurima ex hac colligere, ipſi non multum difficile fuit. Igitur *parag. 6.* obſervationem generalem, quam a limine præmiſeram, confutare ſatagit, quod ut facilius præſtare poſſet, eam ob oculos Lectoris mutilam conſtituere, diu & multum non hæzitavit: Hæc ſecundum *SIMPL.* in mea diſſertatione occurrunt: *Principium & fundamentum Theologiæ Chriſtianæ eſſe ſtatum hominis in peccatum lapſi tum in ſe ſpectati tum reſpectu juſtitiæ Divinæ*, ſed ſecundum veritatem hæc extant: *Hoc Syſtema* (ſill. Theol. Ortod.) *ſicut talia quæ explicabimus, ab idea, quam ſibi efformant Theologi, ſtatus hominis in peccatum lapſi, tum in ſe ſpectati, tum reſpectu Juſtitiæ Divinæ pendere, a limine obſervamus; prout enim hoc argumentum tradunt, ita etiam omnia, quæ hominum ſalutem ſpectant, modo qui ſuæ explicationi reſpondeat, intelligunt.* Hæc eſt bona fides *SIMPL. VER.* Non ergo de ſtatuendo fundamento & principio Theologiæ Chriſtianæ, ſed de ſtatuendo Fundamento & principio Trium Syſtematum; (*o.*) quæ duo ſunt prorſus diverſa:

(*n.*) Ipſiſſimis D. Authoris verbis ſcopum ejus propoſui.

(*o.*) Ex hac ergo D. Auctoris explicatione ſequentia diſcimus: Aliud eſſe *Theologiam*, aliud *Syſtema Theologiæ*; Theologiam & Syſtema Theologiæ a ſe prorſus eſſe diverſa; *ſtatum hominis in peccatum*

ſa. Quemadmodum enim (ut ſupra dictum fuit ad *parag. 4.*) non abſolutum Syſtema Theologiæ conficere, ſed tantum de capitibus inter Theologos controverſis varia placita & Syſtemata tradere animus fuit; Ita etiam in prædicta obſervatione, non fundamentum & fons omnis veritatis Theologicæ, ſed fundamentum & fons diverſitatis circa illa capita unice quærendus eſt,

§. VIII.

Ut autem mentem meam in majori luce ponam, in Theologicis duo ſunt obſervanda & ſedulo diſtinguenda, Ea in quibus conſentiunt, & ea in quibus diſcrepant Theologi. Unde duplex ipſis tribui poteſt Syſtema, alterum *Commune*, alterum vero *Peculiare*. *Commune* complectitur omnes Theologiæ naturalis partes, neceſſitatem Revelationis, Religionis Judaicæ & Chriſtianæ veritatem ac divinitatem; Jeſum eſſe Meſſiam; Mediatorem noſtrum apud Deum, qui nos tum doctrina tum morte ſalvarit, qui Prophetæ & Sacerdotis vices adimpleverit, & Rex ſit Eccleſiæ, aliaque quam plurima, de quibus in genere nulla eſt lis. (*p.*) *Syſtema* vero *peculiare*, modum, quo Deus per Chriſtum homi-

---

lapſi quidem eſſe principium & fundamentum Syſtematis Theologiæ non vero Theologiæ ipſius, ergo ſtatum hominis lapſi eſſe principium Syſtematis Theologiæ Chriſtianæ, non vero Theologiæ Chriſtianæ ipſius. Si tam acutum ingenium habuiſſem, ut hanc diſtinctionem præſagire mihi licuiſſet, certe etiam tacuiſſem. Quod vero D. Auct ſe explicat de fundamento diverſitatis Syſtematum Theologicorum, illud nempe *eſſe varias ideas, quas Theologi ſibi formant de dogmatibus Theologicis*, hoc eſt quod ante D. Cochetum nemo ſcivit, unde novum naſcitur Axioma; *Diverſitatem ſententiæ Theologorum oriri ex Variis de eadem re conceptibus ſive ideis.* Nunc demum recte percipio, qua in re conſiſtat Novitas Methodi *COCHETIANÆ*.

(*p.*) In his rebus inter eos Theologos, quos D. Auct. Reformatis accenſet, nullam litem eſſe, hactenus nunquam audivi; de plurimis enim inter nos & *Socinianos* non convenire, omnibus Socinianæ Religionis gnaris compertum eſt.

homines ſalvare voluit, quo totam ſalutis oeconomiam diſpenſavit, ſpectat, circa magni illius operis tum initia & incrementa tum conſummationem verſatur; qua de re in diverſa prorſus abeunt Theologi, ita ut unusquisque, longe lateque ſeſe extendere illud Syſtema ejusque ramos per univerſam fere Theologiam diffundi, facile intelligit. Jam vero non de priori, ſill. *Comuni*, in mea Diſſertatione neque de illius fundamento agitur, ſed de poſteriori ſill. *Peculiari*, de hujus principio & fundamento quæſtio eſt. Recte ſentit *SIMPL.* dum *Principium* vocat *talem veritatem, ex qua omnes reliquæ veritates doctrinæ alicujus per neceſſarium nexum, & conſequentiarum concatenationem demonſtrari poſſunt.* Ergo ſecundum hanc definitionem, quodnam erit fundamentum & principium Syſtematis hujus peculiaris, vel (ut clarius loquar) *undenam illa opinionum diverſitas*, circa ſalutis Oeconomiam, circa modum quo Deus per Chriſtum homines ad ſalutem adducit? ſine dubio *illa oritur ex opinionum diverſitate*, (q.) circa occaſionem & *cauſas*, propter quas homo ſalvandus erat; Ad *ſtatum itaque hominis in peccatum lapſi tum in ſe ſpectati, tum reſpectu juſtitiæ divinæ*, omnino aſcendendum eſt.

§. IX.

Sed inquit *SIMPL.* hoc concipere non poſſum: *Quo-*

(q) Acutiſſime hic Author monet, *Opinionum diverſitatem oriri ex opinionum diverſitate.* hoc ante ipſum nemo hactenus ſcivit, ſed eſt novum inventum, cui tota ejus ſuperſtructa eſt Diſſertatio; & nihil magis verum eſſe poteſt, quam quod, ſi Theologi conſentirent in dogmatibus Theologicis, tunc conſentirent, quia vero diſſentiunt, inde oritur opinionum diverſitas; Porrò Author dicit, *Cauſas*, propter quas homo ſalvandus eſt, *eſſe ſtatum hominis in peccatum lapſi*, ita nempe loquitur ſub finem §. *illa.* nempe opinionum diverſitas, *oritur ex opinionum diverſitate circa occaſionem & CAUSAS, propter quas homo ſalvandus erat, ergo ad ſtatum hominis in peccatum lapſi -- adſcendendum eſt.* Cauſas alias, propter quas homo ſalvandus eſt, ſcriptura non agnoſcit, niſi gratiam divinam & meritum Chriſti, non verò ſtatum hominis.

Quomodo Syſtemata contraria ex eodem principio fluere poſſint, ut Author ſtatuit, omnibus tribus ſectis idem principium adtribuens; Quaſi vero unum idemque principium diverſi mode ſtatui non poſſet. (*r.*) *Status hominis, in peccatum lapſi* &c. eſt principium tribus ſectis comune, ex eo fluunt Syſtemata contraria; ratio eſt in promptu, quam clare (ni fallor) his verbis indicavi; *prout enim hoc argumentum tradunt Theologi, ita etiam omnia quæ hominum ſalutem ſpectant, modo qui ſuæ explicationi reſpondeat, intelligunt.* Et quidem ab idea, quam unusquisque de ſtatu hominis lapſi ſibi efformat, variorum Syſtematum de ſalutis Oeconomia nexus & concatenatio demonſtrari poteſt; Ex ſtatu, in quo unusquisque hominem ſalvandum conſtituit, fluit modus quo ſecundum ipſum ſalvari debet. Ad ſalvandum enim quemvis in genere ea ſolum adhiberi debent media, quæ ejus ſtatui conveniunt. Exemplo mentem meam illuſtrabo; omnes homines (ſecundum Ortod.) naſcuntur cœci intellectu, corrupti, veri omnis boni incapaces, æternis cruciatibus addicti, propter imputationem & propagationem peccati primorum parentum. Unde manifeſto ſequitur, Decreta hominum ſalutem ſpectantia abſoluta eſſe debere, tum de perſonis, tum de mediis: Niſi etiam hominem ſalvandum

(*r.*) In hoc nunc fallitur Bonus Vir. quando putat, unum idemque principium diverſimode ſtatui poſſe; Nam ſi diverſimode ſtatuatur, tunc non unum idemque principium eſt. hoc eſt, unum principium non poteſt ſimul verum eſſe & falſum, ita principium Religionis Socinianæ non ſimul poteſt eſſe principium veræ Religionis, nam illi habent principium falſum, vera autem Religio oportet habeat verum principium, adeoque Doctrina Socinianorum non unum idemque principium habere poteſt cum vera Religione; aliud ergo eſt principium Religionis noſtræ, quod eſt Veritas aliqua fundamentalis, aliud eſt principium hæreſium quod πρωτον ψευδος appellatur, & non unum idemque dici poteſt cum vero principio, cum toto cœlo inter ſe differant, Eſt ergò contradictio, quando D Auct. ubique defendit, Mendacium & Veritatem unum idemque poſſe habere principium.

dum juſtitiæ ultrici obnoxium conſtituas, ruit tota de ſatisfactione Ortodoxa Doctrina, ita ut, ſi his duobus capitibus *Imputationi* & *Juſtitiæ ultrici* Ortodoxi valedicant, cadit prorſus totum eorum de ſalutis Oeconomia Syſtema; (*s.*) Quod apud omnes Syſtematis peritos in confeſſo eſt. Remonſtrantes vero & Socinianos quod attinet, cum ſecundum eos, homo lapſus nec imputationi nec Juſtitiæ ultrici ſit obnoxius, hinc eos in varia prorſus abire tum circa Decreta de ſalute hominum, cum circa ſatisfactionem, mirum non eſt. Ea autem, de quibus hæc pauca, fuſius in mea Diſſertatione exponuntur. His poſitis, quam inanes *SIMPL.* hocce in parag. fundat clamores, nemo non videt.

§. X.

Poſito itaque principio & fundamento generali trium Syſtematum, ſill. *ſtatu hominis lapſi*, deinde Syſtematis Ortod. ſeriem tradidi, eam a modo ſpeciali quo hoc principium ſtatuunt, ex ſtatu nempe, in quo hominem lapſum collocant, deducendo. Verum, ut ſtatus hominis lapſi & deſtituti rite intelligi poſſit, de ejus ſtatu inſtituto ante lapſum prius dicendum eſt. (*t.*) Quomodo enim ea, quæ per lapſum

(*s.*) Ita comparatum eſt cum omnibus Articulis fundamentalibus ſanctiſſimæ Religionis noſtræ, ut ſi unus corruat, omnes ruant; adeoque hoc ſenſu omnia Dogmata Religionis noſtræ dici deberent principium ejus. Non ſolum ille de ſtatu hominis lapſi.

(*t.*) Hic non prætermittenda eſſe cenſeo quædam, quæ eruditionem D. Authoris ſpectant, quæ in animadverſionibus meis uti multa alia omiſi. De imagine nim. divina agens, admirabili quadam arte, Pontificiorum, Socinianorum & Orthodoxorum de hac re definitionem combinat, inter beneficia imaginem Dei conſtituentia etiam referens *tum* Naturam animæ ſpiritualem, *tum* Dominium in (vel per Gallicismum *ſupra*) Creaturas, in quibus Pelagianizantes omnes, corruptionem cum imaginis divinæ ſtrage negantes, ſubſiſtunt; non verò attendit Author, exinde ſequi, etiam in Diabolis &, impiis ſupereſſe partem imaginis divinæ, quam ta-

ſum amiſit homo, agnoſces, dum ea, quibus ante lapſum fruebatur, ignorabis? hac igitur de cauſa, a ſtatu hominis inſtituto ſecundum Ortodoxos initium feci, ut ad illius ſtatum deſtitutum ſecundum eosdem deveniam. Nonne ergo riſum excitat acutiſſimi *SIMPL.* obſervatio parag. 7. *Proxima* inquit; *conſequentia, quam ex prima hac & capitali veritate, & reliquarum omnium fundamento* (ſill. ſtatu hominis lapſi) *elicit, eſt ſtatus hominis ante lapſum.* Nec etiam ſolidiora ſunt, quæ addit. *Forſan exiſtimat B. L. Doct. Authorem neceſſitatem fœderis naturæ ex relatione mutua, quæ fuit inter creatorem & hominem ad ejus imaginem creatum, demonſtrare.* Hæc demonſtratio ad meum ſcopum inutilis erat,

(*u.*)

men Orthodoxi totam deperditam tradunt. Maluerunt hactenus Theologi noſtri in iis ſubſiſtere, quæ Apoſtolus dicit, quod imago divina conſiſtat *ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι της ἀληθείας.* Malè ergò D. Auth. deinceps aſſerit, *Hominem tantùm illuſtrioribus beneficiis, qua imaginem Dei conſtituunt, poſt lapſum deſtitui.* §. VIII.

Ut etiam Philoſophum ſe oſtendat D. Vir, *eadem pag.* ſatis *ἀφιλοσόφως* cum Peripat. locuturus, facultatem judicandi vocat ultimum intellectûs *practicum* judicium, potuiſſet dicere, practici ſcil. intellectus judicium ſive dictamen.

Ibidem alienum putat à Voluntate, *appetere malum ſub ſpecie boni*, quod pugnat cum experientia ipſa, voluntas peccatoris non vult niſi malum, nec propter ſummam corruptionem & peccati ſervitutem aliter velle poteſt, ſemper enim per naturam ſuam fertur in bonum vel verum vel apparenter tale, quod tantundem eſt *ac appetere malum ſub ſpecie boni*; ita etiam Adamus & Eva transgrediendo legem divinam appetiverunt malum ſub ſpecie boni.

Neſciunt autem Theologi, quid D. Auth. ſibi velit, quando dicit: *Deus autem ab homine lapſo easdem conditiones, eadem officia exigere nequit*, ſtatuerunt hactenus Theologi, Deum per lapſum Adami non excidiſſe jure ſuo, ſed nihilominus eadem officia ab homine poſcere, imò Deum non poſſe non aliter quam à creaturis ſuis exigere perfectam obedientiam & amorem, quod etiam in lege ſua facit, unde Catech. Heidelb. Q. IX. hoc tuetur, & adverſus Pelagianizantium objectionem vindicat Quamvis nunc his CO-CHETI Authoritatem oppoſuiſſe ſufficiat.

(*u.*) an melius ex ea ſtatus hominis deſtitutus innotuiſſet? neutiquam certe, exiſtimabit B. L. Præterquam quod quicquam probare & argumentis adſtruere, inſtituti mei non erat.

§. XI.

Nec hic omittenda eſt ejusdem obſervatio in notam, quæ ſic ſe habet ſub finem paginæ 11. Diſſert. meæ. *Hinc* (ſill. ex Doctrina Ortodoxa circa peccatum originale;) *ſequitur, quod ut actus ſit peccaminoſus, neceſſe non ſit ut fiat ſcienter & ſponte, vel ut vocibus Scholaſticis utar*, ἐκ προαιρέσεως. Adverſus hæc ita *SIMPL. Datur inquit, peccatum originale, ergo ad actum peccaminoſum non requiritur ut fiat ſponte, quaſi unum alterum excluderet, quaſi anima in primo exiſtentiæ ſuæ momento prædita non eſſet voluntate, & per conſequens quicquid agit, cum voluntate, vel quod idem eſt cum ſpontaneitate ageret, quaſi actus peccandi voluntatem ſive ipſam animæ eſſentiam præcederet.* Tota lis circa ſenſum vocabuli *ſponte* verſatur, quod idem ſonat ac *Voluntario, ex Voluntatis aſſenſu*: ſignificat etiam quandoque *Libere, absque Coactione.* Itaque ut omnem æquivocationem & Logomachiam vitarem, hæc ſub finem notæ addidi, *vel ut vocibus Scholaſticis utar*, ἐκ προαιρέσεως; ex quibus, omnibus (excepto Simpl. qui ad hæc attendere noluit) vocabulum *ſponte* pro *voluntario, ex voluntatis aſſenſu*, non vero pro *Libere*, hic a me ſumi (*w.*) manifeſtum eſt. Jam vero nonne clare ex Doctrina Ortodoxa circa peccatum origi-

(*u.*) Haud dubie ad inſtitutum tuum hæc demonſtratio neceſſaria erat, quia unam veritatem ex altera demonſtrare promiſeras. Cæterum vel ex hoc & præcedentibus duobus parag. B. L. quaſi ex umbra aliqua judicare poteſt, quale Galimathias tota Diſſertatio ſit.

(*w.*) Hic nunc Author prodit, cujus ſpiritus filius ſit dicens, ſe per *ſponte* non *libere* intelligere; ut id ipſum quod *Arminiani* dicunt, qui negant, ſummum libertatis gradum in ſpontaneitate conſiſtere, unde Doct. Author nec hic ſeſe occultare potuit.

originale ſequitur, neceſſe non eſſe ad actum peccaminoſum, ut ſemper fiat ſcienter & voluntario ſeu ſponte? Cum homines naſcantur impuri, & inquinati actus peccaminoſos edere poſſunt, quamquam nec ſcienter nec voluntario agant. Ficulnea igitur eſt *SIMPL.* Obſervatio. Sed ea quæ ſubjungit, omnino Lectoris attentione digna ſunt: *Ne quidem Deus Juſtus Judex eſſe poteſt, ſi actum invite commiſſum puniret, cum id puniret cujus homo contrarium voluit.* Indicium ſane ſummæ Ortodoxiæ. Ergo *motus primo-primi concupiſcentiæ* non ſunt peccata, (*x.*) actus peccaminoſi, qui pœnam mereantur, ſiquidem nobis inſciis & invitis oriantur, nec ſint in noſtra poteſtate. (Hæc eſt, fateor, Socinianorum opinio, quam ambabus ulnis hic amplectitur Simplicius.) Ergo homo, dum non facit bonum quod vult, ſed facit malum quod odit, *Roman.* 7. iræ divinæ non ſubjicitur, (*y.*) ſed longe in-

(*x.*) Hoc eſt quod negatur, nam eo ipſo quod concupiſcentiæ ſunt actus voluntatis, adeoque *Voluntaria*, eo ipſo etiam ſunt *libera*; male ergo D. A. concluſionem ex verbis meis affert, quod ergo non ſint peccaminoſæ: quod autem non ſint in noſtra poteſtate, uti Author dicit, hoc inde eſt, quia homo natura ita corruptus eſt, ut non poſſit aliud velle quam malum; ſed nihilominus libere vult, nam ipſa vox *concupiſcentiæ* libertatem includit, ſponte enim h. e. libere homo concupiſcit. Infeliciſſime ergo Author Socinianiſmi me arguit ideo, quia aſſero, etiam concupiſcentias ſive motus primoprimos eſſe liberos & ſpontaneos; hic haud dubie memor fuit Conſilij Apoſtolici, quod debeamus ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ (quod D. A. mihi ut ſalubre commendavit) & ſapientis illius dicti Thaletis apud Diogenem Laërtium in Thalete §. XXXVI. qui interrogatus; quomodo juſtiſſime vitam tranſigamus? reſpondit ἐὰν ἃ τοῖς ἄλλοις ἐπιτιμῶμεν, αὐτοὶ μὴ δρῶμεν. *Si quæ in aliis reprehendamus, ab iis ipſi abſtinuerimus.*

(*y.*) Ridicule huc trahitur dictum Apoſtoli *Rom. VII: 19.* ubi Apoſtolus inde a v. 13. loquitur de lucta Carnis & Spiritus in homine regenito, non vero de ſtatu naturæ, de quo hic agitur; unde Apoſtolus ſtatim v. 20. ſubjungit, *ſi id facio, quod non volo, ego id non amplius operor, ſed peccatum quod in me eſt.* Diſtinguendum ergo hic fuiſſet inter partem regenitam & irregenitam; pars irregenita

juſtior erit Deus, qui propter peccatum originale, omnem voluntatis & libertatis uſum præcedens, (z.) homines punit; Quod tamen tum de reprobis, æternis cruciatibus addictis, tum de infantibus, qui in utero moriuntur, aſſerunt Ortodoxi. Sed de his hæc ſufficiant: *Celeberr. Franc. Turret. Inſt. Theol. Loc. 9. de Peccato, Quæſt. 2.* Adeas B. L. & tibi, nonniſi puram ac genuinam Doctrinam Ortod. a me traditam fuiſſe, conſtabit, quam tamen multis argumentis hic impugnare *SIMPL.* non pudet.

§. XII.

Vix reſponſum merentur ea, quæ *parag. 9.* obſervat. Dixeram, hominem lapſum morti temporali, ſpirituali & æternæ eſſe obnoxium; unde miſerrimus erat, & in æternum periturus, niſi Deus ipſi condonet, ideoque peccati primorum parentum imputationem & labem tollat. Sed condonationi gratuitæ obſtat Juſtitia Ultrix, cui repugnat ullum peccatum relinquere inultum: *Quomodo* (ergo dixi) *Deus ſeſe ergà genus humanum geret? An vult totum in æternum perire?* i. e. an propterea quod juſtitia ſua peccati pœnam ſive ſatisfactionem requirat, an vult tamen totum perire genus humanum? *Minime voluit totum genus humanum æterno quod merebatur exitio involvi; ſed ea quæ ad ipſius ſalutem pertinent non modo decrevit, ſed etiam executioni mandavit*, ideoque ea quæ ad Juſtitiæ ſuæ ultrici ſatisfaciendum neceſſaria erant. Quæ omnia ſenſum abſurdum & contradictorium non fundunt, quem ex

aliquid operatur, quod pars regenita non vult; nec tamen propterea homo regenitus iræ divinæ amplius ſubjectus eſt, uti Author infeliciter infert.

(z.) Hoc eſt quod iterum pernegatur; nam anima primo exiſtentiæ ſuæ momento vult, ſed malum vult, quia eſt ſemen Adami adeoque corrupta, ut non poſſit velle niſi malum, quod ipſum eſt *peccatum Originale*, quod adeo voluntatem, hoc eſt animæ eſſentiam, in homine antecedere nequit.

ex his colligit *SIMPLICIUS. Idem eſt* (inquit) *ac ſi diceret, in Deo datur juſtitia ultrix ; Ergo hominem non vult punire,* &c. Nunc demum ex hac obſervatione percipio, quid ſit cœcutire ſponte, & qua ratione ea quæ ſunt clara obſcurari poſſunt. (*a.*)

§. XIII.

Hominem à miſeria, in quà jacet, ſeſe liberare non poſſe, inter alia hoc adſtruxeram argumento. *An Dei imaginem in ſe reſtituere valebit, cum Deus illum ea privaverit ? Culpa* (exclamat *SIMPL.* parag. 10.) *amiſſæ imaginis divinæ in Deum rejicitur,* &c. Privavit equidem Deus hominem imagine ſua, quia fœdus violavit, (*b.*) in hoc fœdere illuſtriorum beneficiorum, quibus hæc imago conſtabat, privationem ipſi, ſi immorigerum ſe præberet, interminatus fuerat Deus. (*c.*) (ut Theſi 4. annot.) Lapſus eſt homo, Deus igitur comminationem executus eſt, ſua dona ſubtrahen-

(*a.*) Iterum atque iterum oro B. L. ut perpendere velit hunc Nexum; *ſed in Deo datur juſtitia ultrix: Quomodo ergo ſe erga genus humanum geret ? an vult totum in æternum punire ? minime.*

(*b.*) Cum imago divina conſiſtat ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, *in ſanctiſſimo ſtudio veritatis,* homo autem ſpiritui mendaciorum fidem habens ejus conſilia ſecutus ſit, eo ipſo ſtudium illud veritatis amiſit; adeoque ſe divina imagine privavit, & ita ſe privavit, ut ulteriore privatione non opus habuerit; nondum ideo intelligere poſſum, quomodo homo jamjam imagine divina propria culpa privatus, à Deo ea re privari potuerit, quam non amplius habuit; ridiculè ideo D. A. in integro hoc §. diſputat, hominem quidem ipſum ſe imagine divina privaſſe, ſed Deum cum etiam ea privaviſſe. neſcit bonus Vir, quod aliud ſit *privare*, aliud vero *negare.*

(*c.*) Hoc eſt quod nullibi legi in ſacris litteris, quod Deus homini interminatus ſit, *ſe eum illuſtrioribus beneficiis, quæ imaginem Dei conſtituunt, privaturum* ; ſed hoc dicit Deus, *quo die comedes de ea* (hoc eſt, quo die legem meam transgrediendo te imagine mea privabis,) *morte morieris.* Ut adeo hic plane nulla mentio fiat de privatione *illuſtriorum* beneficiorum; ſed quando Deus homini gratiam ſuam non amplius dat, eum non *privat* imagine ſua, ſed ipſi *negat* h. e. non dat gratiam ſuam.

hendo; Itaque hæc duo, Deus hominem imagine ſua privavit, & homo ſeſe ea privavit, ſimul conſiſtere poſſunt: Deus hic quatenus *Judex*, homo vero quatenus *Reus*, qui ultro & ſponte privationem hanc in ſe accerſivit, ſeſe ſiſtunt. Hanc autem eſſe mentem meam, ex tota diſſertationis ſerie vidiſſet, non *SIMPLICIUS* affectibus & præjudiciis occæcatus, ſed *SIMPLICIUS* veritatis & pacis amans.

§. XIV.

Verum eodem quo cepit pede ſuas obſervationes pergit *parag. 11. Demonſtrata* (inquit) *itaque Mediatoris neceſſitate, ex eo quod Deus hominem imagine ſua privavit, Author agit de Decretis.* Neſcio, undenam tam audacter, neceſſitatem mediatoris, ex eo quod Deus hominem imagine ſua privavit, à me deduci, aſſerat? Veritas itaque B. L. (quam ſemper obſcurare conatur S. V.) hæc eſt: Poſtquam de iis, quæ homini lapſo ad ſalutem neceſſaria erant, (juſtificatione nempe, adoptione & ſanctificatione) verba feci; Deinde nullum horum trium requiſitorum ab homine præſtari poſſe, aſſero variis de rationibus, ex quarum numero equidem eſt *privatio imaginis divinæ;* Unde hanc conſequentiam legitimam ni fallor elicio; *Neceſſe eſt itaque, hæc omnia* (juſtificationem &c.) *ab alio vice hominis præſtari, & ipſi conferri.* Nec minus audacter contendit, quod naturam Decretorum divinorum ex neceſſitate mediatoris deducam; quia de hac ultima nuper dixeram; *Nexus* inquit, *inter utrumque ita habet; Ex ſupra dictis facile colligimus, quænam Decretorum divinorum, ſalutem hominum & fœdus gratiæ ſpectantium, ſit natura.* Ergo ſecundum *SIMPL. ex ſupra dictis* neceſſario idem ſonat ac *ex proxime dictis.* Quaſi vero non pro exigentia loci extendenda, vel reſtringenda eſſet hujus phraſeos ſignificatio. Legat autem attente hunc nexum *Theſ. 18, 19. Diſſert.* & videbit, quod is

non

non petatur ex ſupra & proxime dictis *de Mediatoris neceſſitate*, ſed ex ſupra dictis *de ſtatu hominis lapſi.* (*d.*) Omnes enim Adami poſteri æque a natura, propter peccatum originis, pœnis æternis cum ſint addicti, totalique ac invicta ad bonum laborent impotentia; exinde liquet, quod ſi Deus quosdam ſalvare vult & decernit, Decretum de ſalute eos nominatim ſpectare debere, ideoque abſolutum eſſe debere, tum de perſonis, tum de mediis. Hic nexus mihi ita clarus videtur, ut nullius captum ſuperet, qui Theologiam ſaltem a limine ſalutavit.

§. XV.

Attamen *SIMPLICIO* adeo ſublimis videtur, ut nequaquam illum percipiat; aſt (ut verum dicam) naſcitur hæc ſublimitas ex eo quod ipſi diſplicet, nec ſecundum ejus mentem inſtituitur; Et hoc clarum eſt ex iis quæ *parag. 12.* ſubjungit: *Naturam* (inquit) *Decretorum divinorum ita exponit Author, ut Decreta de hominis ſalvatione ex hominis lapſu, & ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ impotentia, quam vero utrumque, & lapſus permiſſionem, & hominis ex miſeria liberationem ex mera Dei gloriam juſtitiæ & miſericordiæ manifeſtandi voluntate derivet.* 1. Hæc ordinem Decretorum in genere ſpectant, quæ quæſtio ad Eſſentiam Syſtematis Ortodoxi non pertinet: Ea enim tota in eo eſt, ut ſalutis opus ſoli Dei gratiæ efficaci tribuatur; Ad hoc autem, ſive ante lapſum ſive infra lapſum illud opus decreverit Deus, parum refert: Non minus enim Decretum erit abſolu-

(*d.*) Hic nulla alia reſponſione opus eſt, quam ut B. L. orem, ut ipſam Diſſertat. D. Authoris evolvat, uti enim ex integra Diſſertatione, ita etiam ex §. XVIII. quivis colliget, vertigine ipſum eam ſcribentem fuiſſe percuſſum: neſcio autem, contra quem hic diſputet, quando contendit, *ſupra dicta* eſſe illa quæ ſupra dixit, hoc eſt, quod ipſi lubens concedo, cum nimirum neſcivit, quomodo ſeſe extricare verbisque ſuis ſanum ſenſum dare poſſit, alicui rei inhæret, quæ nihil ad rem facit, niſi ut tamen aliquid dixiſſe videatur.

ſolutum tum de perſonis, tum de mediis. 2. Præterea qua fronte hanc methodum eſſe hactenus deſideratam affirmare audet *SIMPLICIUS*, qua nempe, Decretorum de ſalute, natura, ſicut & eorum executionis modus, ex ſtatu hominis lapſi adſtruitur; Quaſi vero Theologorum Ortod. maxima pars hominem conditum & lapſum Decreti de ſalute objectum non ſtatuerent. 3. Sed mirare B. L. quantum ſibi conſtet *SIMPL.* Is qui nunc in *Supralapſariorum* caſtra involat, idem eſt quem nuper *parag. 10*, exclamantem, cœlos & terram clamoribus implentem vidimus, quaſi aliquid Blaſphemiæ proximum protuliſſem, *Deum nempe hominem ſua imagine privaſſe* dicendo, quæ tamen ſtricte & absque ulla exceptione admittere debuiſſet. Idem eſt iterum, qui *parag. 8.* in hanc quærulam vocem erumpit, *Et Deus (abſit blaſphemia dicto) ne quidem judex juſtus eſſe poteſt, ſi actum invite & coacte commiſſum puniret.* Idem eſt inquam ille, qui nunc Supralapſarium agendo fatetur, Deum lapſum & peccatum certo & efficaciter procurare debuiſſe, ut propoſitum de ſalvando & damnando executioni mandaret. (*e.*)

§. XVI.

(*e.*) In hoc toto paragr. Author, ut ingens aliquod crimen, mihi imputat, quod ſententiæ *Supralapſariorum* faveam; *SUPRALAPSARIUM* me eſſe aperte confiteor, me vero propterea in Dei ſanctitatem Blaſphemum eſſe, Deumque conſtituere Authorem peccati, hoc eſt quod manus meas & calamum nunc in gratiam *Supralapſariorum* ita verſabit, ut Author non amplius habeat quo accuſationes ſuas defendat. Sed ne prolixus fiam, accedo ad defenſionem non mei ſolius, ſed Theologorum Eccleſiæ noſtræ Celeberrimorum, qui cum ratione ordinis decretorum ſint *Supralapſarii*, à Doct. Authore falſo accuſantur, *quod DEUM conſtituant PECCATI AUCTOREM:*

Velim ſibi perſuaſum habuiſſet, eos qui ex nobis ſunt *Supralapſarij*, non temere, ſed graviſſimis divinaque Majeſtate, Sapientia, Potentia, Independentia digniſſimis rationibus ad ea tuenda fuiſſe adductos. Sed cum nihil ſit uſitatius, quam eos, qui, in leviſ-

ſimis

ſimis licet, à ſe diſſentire deprehendantur, quacunque fieri poteſt facie, graviſſimarum Hæreſium accuſari; Idem etiam hic imprudenter factum eſſe, quantacunque potero oſtendam claritate, nihil enim Veritatis, nihil Sapientiæ, nihil pietatis ſtudio eſſe poſſe indignius arbitror, quam diſſentientibus invitis conſenſum aliquem cum Hæreticorum peſſimis obtrudere; inde noſtræ fidei ſacroſanctæ, pietatis tot Virorum Dei, intereſſe quam maxime puto, ad ejusmodi profanas criminationes compeſcendas oſtendere, quam inique Summis Theologis ejusmodi Blaſphemæ conſequentiæ imputentur.

Ut autem appareat, contra quid pugnem, Doct. Authoris verba, quæ in diſſertatione ejus hac de re extant, etiam huc ponenda eſſe cenſeo, quæ ita ſonant: *Priores* (*SUPRALAPSARII*) *ſtatuunt, Deum primò cogitaſſe de gloria ſua manifeſtanda, exercitio miſericordiæ & juſtitiæ, per ſalutem & damnationem hominum; itaque hominem prædeſtinationis objectum conſtituunt nondum creatum & lapſum. Creatio & lapſus ſecundum eos Electionis & Reprobationis media haberi debent; quibus poſitis DEUS AUTHOR PECCATI STATUITUR, lapſum procurare certò debuit, ut decretum ſuum locum habere poſſet, miſericordia & juſtitia ejus in ſalvando & damnando paterent.* Quam benè feciſſet Doct. Vir, ſi non tam iniquum judicium tuliſſet de re, quam illum non intellexiſſe, verba ejus ſatis produnt.

Subtiliſſimus BÆLIUS in Voce *Pauliciens* dicit: *Il eſt fixe de tems immemorial à cet uſage, qu'etre Manicheen, & faire Dieu auteur du peché, ſent deux expreſſions, qui ſignifient la meme choſe: & lors qu'une ſecte Chreſtienne, accuſe les autres de faire Dieu auteur du peché, elle ne manque jamais de leur imputer à cet egard le Manicheiſme.* Cur vero Doct. Author tantam hæreſin Theologis noſtris imputet, rationem aliam invenire non potui, niſi *vel* quod invidia erga *Gomarum*, qui *Arminii* fuit Antagoniſta, ductus: *vel* quod hæc in Authore *arminianizante*, qui Theologos noſtros magni hujus erroris accuſant, aliquo legerit quem Ortodoxum credidit. In criminatione autem hac refutanda feliciſſime me verſaturum exiſtimo, ſi veram *SUPRALAPSARIORUM* ſententiam ex *Gomaro* aliiſque exponam, deinde ab hac adverſariorum criminatione liberem, Variorumque Celeb. Theologorum de hac re ſententiam breviter oſtendam; Prius ut expediam α duorum Supralapſariorum, unius Theologi, alterius Philoſophi verba de hac re adducam, β totum Supralapſariorum ſyſtema ex ipſorum mente breviter & clarè Lectori ob oculos ponam.

GOMARUS, Theologus ſui temporis celebris, at *Supralapſarius*, Diſput. X. prædeſtinationem hiſce verbis definit. *Divina*

Hominum prædeſtinatio eſt particulare Dei decretum, quo ex Hominibus indefinite præſcitis omnes eos, qui fuerunt, ſunt & erunt, in eum finem bonos creare, & recta gubernatione lapſum eorum ac juſtitiæ Originalis amiſſionem permittere, ac porro ad æternum animæ corporiſque ſtatum dirigere decrevit, ut in electis eorum per miſericordem cum Chriſti Servatoris, tum ſalutis æternæ per eundem donationem ſuæ miſericordis gratiæ, in reliquis vero præteritis juſta per meritum ipſorum condemnatione vindicis ſuæ Juſtitiæ, gloriam celebrandam manifeſtaret. LEIBNITIUS vero, Philoſophus ſubtiliſſimus atque Celeb. qui recte rigidiſſimis *ſupralapſariis* accenſetur, mentem ſuam de conſilio divino, ratione mali moralis, inter alia in *Theodicea* ſua P. II. §. 239. ita exponit. *Mais lors qu'on conſidere, que Dieu, parfaitement bon & ſage, doit avoir produit toute la Vertu, bontè, felicitè, dont le meilleur plan de l' univers eſt capable, & que ſouvent un mal dans quelques parties peut ſervir à un plus grand bien du tout, l'on juge aiſement, que Dieu peut avoir donnè place à l' infelicitè & permis la coulpe, comme il a fait, ſans en pouvoir etre blamè. C'eſt l' unique remede, qui remplit ce, qui manque à tout les ſyſtemes de quelques manieres, qu'on range les decrets.*

Cum Orthodoxius definitione *GOMARI* nil videam, & in verbis illuſtriſſimi *LEIBNITII* nihil inveniam, quod perfectionibus divinis aliquid deroget, ex horum Virorum aliorumque Supralapſariorum verbis ordinem decretorum, quem illi ſtatuunt, hic breviter exhibebo, ut inde pateſiat, an juſte à Doct. Authore Manichæiſmi fuerint accuſati. Concipiunt nimirum *SUPRALAPSARII*, Deum ut mentem perfectiſſimam, independentem omni modo à ſe & per ſe; In hac autem omnium præſtantiſſima mente, pro mentis ſuæ imbecillitate, duo diſtinguunt, quæ tamen ſimpliciſſimo modo unum ſunt, nempe omni modo perfectiſſimum *Intellectum* & *Voluntatem*, per prius *ſui cognitionem*, per poſterius *ſui amorem* intelligunt. Per *intellectum* intelligunt eam perfectiſſimi Spiritus perfectionem, qua ſe ſuasque, quas in ipſo diſtinguimus perfectiones, intimè penituſque cernit atque cognoſcit. Inter has autem Virtutes etiam *Omnipotentia* eſt, quam quia cognoſcit, etiam uno & ſimpliciſſimo actu omnia ea cognoſcit atque intuetur, quæ ſummis ſuis perfectionibus non contrariantur, adeoque poſſibilia ſunt; & ea ita ſcit, ut omnis quam de ijs habet ſcientiæ ipſe ſibi cauſa ſit. *Infinita* autem *infinita* Mentis *Omnipotentia* nos dubitare non ſinit, quin Deus infinitè plura, infinitè plures rerum ordines, ex cognitione ſui, id eſt, Omnipotentiæ ſuæ *poſſibiles* cognoſcat, quam revera vi decreti ſui in actum produxit. Obverſatus ergò huic divino Intellectui inter res poſſibiles etiam *fuit hic rerum ordo*, in omnibus ſuis circumſtan-

ſtantiis, qualem nunc in hoc rerum Univerſo deprehendimus; & in hoc ordine etiam *homines creabiles*, *labiles*, deinde, *creati* in primis Parentibus *integri*, poſtea verò *lapſi*, quorum alteri à Chriſto *redemti*, *vocati*, *credentes*, *juſtificati*. *ſanctificati & glorificati*, alteri verò *non* redemti, *non* vocati, *non* credentes, *non* juſtificati, *non* ſanctificati & ideò etiam *non* glorificati: . Hæcque omnia Deus vidit UNO SIMPLICISSIMOQUE *actu*.

Uti verò divina hæc mens perfectiſſimum habet Intellectum, ita ei etiam VOLUNTAS, hoc eſt *ſui ipſius amor*, adſcribendus eſt, quo hæc mens ſe ſibi ſufficientem, ſe ſolam beatam, ſatis ſuis bonis divitem, ſui in ſumma ſolitudine plenam, & inde gaudio abundantiſſimam *admiratur* & *amat*: Et qui aliter fieri poteſt ab eo, qui natura ſua poſſidet, quicquid eſt verè bonum, quicquid pulchrum, quicquid eximium, quicquid ſummum, quicquid omnibus numeris perfectum? cumque naturâ ſe ipſum quam maxime ſuasque Virtutes amet, ita neque operari niſi ex ſui ſolius amore poteſt: & uti Deus omnia ex ſe intelligit, ita eum nihil velle poſſe, niſi ex ſui amore, exiſtimandum eſt; ideoque omnium actionum ſuarum *ipſe ſibi finis ſit.* Uti vero Deus omnes res poſſibiles ex intuitu omnipotentiæ ſuæ cognitas habet atque perſpectas, ita etiam nihil velle poteſt, niſi quod in omnibus ſuis circumſtantiis accuratiſſimè perſpectum habet atque exploratum;

Quid verò aliud ex hoc concludi poteſt, quam Deus etiam hunc mundum, hunc rerum ordinem, hos homines, in omnibus ſuis circumſtantiis actionibusque, habuiſſe exploratiſſimum, & cum in cognitione ejus nihil prius, nihil poſterius, nihil clarius, nihil obſcurius ſit, hinc ſequitur, Deum omnia in hoc mundo prima, media, poſtrema, in omnibus ſuis combinationibus atque circumſtantiis, uno & ſimpliciſſimo actu clariſſimè & diſtinctiſſimè ab æterno cognoviſſe, cumque hunc rerum ordinem, in omnibus ſuis circumſtantijs, maxime ad *illuſtrationem* GLORIÆ, hoc eſt, perfectionum ſuarum, facere ſciebat, hinc ex *SUI*, hoc eſt, *Virtutum ſuarum Amore* etiam hunc rerum ordinem in omnibus ſuis circumſtantijs atque combinationibus creare decrevit, unde optimum *Mundum creaſſe* dicitur.

Ut nunc ea quæ prolixius paulo dixi contraham, ex mente *SUPRALAPSARIORUM* Decreti divini ratio hæc eſt. Deus hunc rerum ordinem, in quo omnes homines & ſinguli creabiles & labiles, creati integri, deinde lapſi, ex his alij per Chriſtum redemti, vocati, regenerati, credentes, juſtificati, ſanctificati & glorificati, alij vero ex lapſis non redemti, non vocati, &c. non glorificati, ſed tanquam impij damnati, quales divinæ omnipotentiæ obverſati ſunt, ideo creare decrevit, quia hunc rerum ordinem perfectionibus ſuis, hoc eſt, *illuſtrandæ gloriæ ſuæ digniſſimum* ſcivit.

Si hunc decreti divini modum conſidero, nihil invenio divinis perfectionibus dignius. *Independentisſimum* enim hoc decretum eſt, quia Deus nonniſi à ſe ipſo dependet, huncque mundum cum omnibus ſuis circumſtantijs ideo creare decrevit, quia ita cum Amore ſui ipſius, hoc eſt, perfectionum ſuarum conveniebat. *Liberrimum* ſimul eſt, quia quo convenientior divinis virtutibus illuſtrandis hic mundus eſt, eo etiam lubentius eum creare decrevit. Sed & *Simpliciſſimum*, quia Deus omnia maxima, minima, medioxuma, *Uno* eodemque decernendi *actu* decrevit. Nec non *Ampliſſimum*, quia minimas circumſtantias & rerum viciſſitudines in ſe complectitur. *Sapientiſſimum* etiam eſt, quia Deus nihil decrevit, niſi quæ maximè habet perſpecta, & ad illuſtrationem Gloriæ, hoc eſt, *Omnium* perfectionum ſuarum, facere ſciebat. Etiam *Immutabile*, quia Deus in ijs, quæ maximè gloriam ſuam ſpectant & illuſtrant, ſine ſui abnegatione nihil mutare poteſt. *Sanctiſſimum*, quia in omnibus ſequutus ſui *Amorem*. Et *Juſtiſſimum*, quia Deus in hoc decreto creaturis ſuis ea tribuit, quæ ſibi ipſi ſuique Amori debet.

Simul etiam *Efficaciſſimum* eſt, quia nihil accidit, quod Deus non decrevit, & nihil non accidit ex ijsque decrevit. Hoc ergo ſtatuunt Supralapſarij; *Finem* Dei in decretis fuiſſe *Manifeſtationem GLORIÆ ſuæ*, & ſui extra ſe communicationem, divitiarumque ſuarum repræſentationem: ad hunc finem aſſequendum Deus convenientiſſima elegit media, quæ cum Deus uno intuitu accuratiſſimè atque perfectiſſimè habuit cognita atque perſpecta, inde ſtatuunt, Deum decernentem, hominem quidem conſideraſſe tanquam *creabilem* & *labilem*, alias non creari & labi potuiſſet, ſed etiam tanquam *creatum* & *lapſum*, ex lapſo vel redemtum, vocatum, credentem, juſtificatum, ſanctificatum, vel non redemtum, non vocatum, non credentem, non juſtificatum, non ſanctificatum; huic enim operi non erat locus, niſi in lapſis; labi autem non poterant, niſi labiles crearentur; creari autem non poterant, niſi eſſent creabiles, hoc eſt illuſtrandæ divinæ gloriæ apti.

Nunc horrendum illud *SUPRALAPSARIORUM* Syſtema, ſive objectum divinæ prædeſtinationis ex eorum mente, quantacunque potui claritate, expoſui. Ergo ex ipſorum fide Deus infinite ſanctus, ſapientiſſimus atque juſtiſſimus eſt, ergo impiæ voces, quod *DEUM faciant Authorem peccati*, craſſiſſimæ criminationes habendæ ſunt. Quod ſi itaque hoc de prædeſtinatione dogma principiis ſanæ rationis adverſum, ſi Attributis Dei Eſſentialibus repugnans, ſi non ſuavis Rationis & Revelationis in hac re concordia ſit, omnino rejiciendum eſſet. Quod vero hæc Supralapſariorum fides multis monſtroſa videatur, inde eſt, quod vel mentem eorum nunquam perceperint, vel quod nunquam accurate cogitare meditarique didicerint.

Diluendæ nunc nobis veniunt *OBIECTIONES* quædam, qualis *primò* eſt *CLERICI* Tom. XXVII. *de la Biblioth. Ancienne & Moderne, Artic. III.* pag. 101. *Quoi qu'il ſoit difficile de digerer le Supralapſarianiſme pour ceux, qui ont étudié l' Ecriture ſainte, avec les ſecours, que l'on a à preſent.* Si Supralapſarii cum ſacra Scriptura conciliari non poſſent, vel ſi non cum ſcriptura loquerentur, ego primus eſſem, qui ſententiam ipſorum abominaretur. Hoc ergo obſervandum, quod ſi Revelatio de Homine lapſo loquatur, ut proximo Prædeſtinationis objecto, eam propterea reliquos Hominis ſtatus non excludere, quos Deus uno eodemque intuitu cognovit. Quomodo enim homo Deo ut creatus & lapſus obverſari potuit, niſi ſimul creabilis & labilis? Nec ideo Supralapſarij negant, hominem Dei Prædeſtinanti etiam obverſatum eſſe ut creatum & lapſum, cum *omnia* Media ad ſummum finem ita coordinata ſint, ut unum alterum ſemper includat. Ut ſi res juſta rationis lance, ſepoſitis omnibus præjudicijs, perpendatur, differentia nulla alia ſit inter *SUPRA-* & *SUB, Lapſarios*, quam quod priores Decretum *latiſſimo* ſenſu, poſteriores autem *ſtrictiore* ſumant; Calumniæque, quas Infralapſarij Supralapſarijs objiciunt, ex nulla alia re Originem ſuam habeant, quam quod Syſtema Supralapſariorum vel non intelligant, vel nunquam ex ſcriptura ratiocinari didicerint; Uti etiam ſapientiſſimè hac de re judicavit Celeb. SALCHLINUS *in Doctiſſ. Stricturis contra Cel. PFAFFIUM*, pag. 34.

Neque etiam quicquam valet, quod dicant, Infralapſariorum Sententiam in *Synodo Dordracena* fuiſſe adoptatam, nam altera non fuit rejecta, quia optimè noverunt Concilij illius Patres, etiam Supralapſariorum Sententiam cum Sacra Scriptura & ſana Ratione optimè convenire.

Altera objectio, quæ Supralapſariorum cauſam apud eos, qui eam non intelligunt, maximè inviſam atque odioſam reddit, hæc eſt; *Quod ea DEUM omnis Mali moralis & PECCATI cauſam unicam & AUTHOREM faciat.* Deum præſciviſſe omnia ea, quæ in hoc rerum ordine fiunt, negari non poteſt, niſi quis Deo invito aliquid accidere ſtatuere malit, & Infralapſarij ipſi id negare non audent. Cum ergo juxta Infralapſarios Deus præſcivit actionum omnium in hoc mundo ordinem, nexum cum antecedentibus cauſis, & liberas noſtrarum mentium actiones, ſcivit etiam, ex hoc rerum ordine, hominem productum in talibus & talibus circumſtantijs peccaturum, nihilominus decrevit hominem talem producere, productum in talibus circumſtantijs conſtituere, ita conſtitutum labi ſinere; quæ acciderunt DEO aut Nolente aut Volente, nolente accidere non potuerunt, quia Deus talem actionum ſibi invicem ſuccedentium ordinem creare decrevit; Etſi vero Deus hæc omnia præſciverit, alium tamen rerum ordinem decernere noluit, quia hunc optimum

ſcivit,

ſcivit, hoc eſt, illuſtrandis perfectionibus ſuis convenientiſſimum; Si hæc ſit Infralapſariorum mens circa permiſſionem mali, uti non poſſunt non ita ſtatuere, tunc idem planè cum Supralapſarijs ſentiunt. Uti vero Deo ſummæ maximæque perfectiones conſtitiſſent, & in ſe ſolo beatiſſimus fuiſſet, ſi nihil extra ſe produxiſſet, ita etiam, ſi ipſi viſum fuiſſet, talem rerum ordinem conſtituere potuiſſet, in quo homo tantis perfectionibus conderetur, quantis beatas aliquando mentes futuras credimus, & in quo nullum peccatum locum habuiſſet; ſed hunc rerum ordinem, in quo peccatum locum obtinet, ideo producere conſtituit, quia *ſummo fini*, id eſt, illuſtrandis *omnibus* perfectionibus divinis optimè convenit; hoc ſenſu Supralapſarij hunc rerum ordinem, & omnes quæ in eo fiunt actiones, tanquam media conſiderant, quibus Deus ſummum ſibi præfixum ſcopum obtinet; Cum verò inter perfectiones divinas etiam ejus Juſtitia & Miſericordia ſint, ordo ille rerum, quem Deus producere conſtituit, ita comparatus eſſe debuit, ut etiam his duabus perfectionibus illuſtrandis locus eſſet. Ex hiſce nunc omnibus luce meridiana clarius eſſe mihi videtur, quam malè Doct. Author Supralapſariorum Syſtema intellexerit, quam injuſte de eo judicaverit. Et licet ex eo tempore, quo præjudicia ſeponere didici, hæc Supralapſariorum hypotheſis Deo & Ratione longe digniſſima mihi viſa ſit, non temerè tamen eam ijs proponendam credidi, qui præjudicijs vincti tantæ lucis vim perferre non poſſunt; non enim niſi ijs placere poteſt, qui debellatis præjudicijs clarè meditari didicerunt.

Si autem *tertio* objiciant, *Juſtitiæ divinæ, ſanctitati, reliquisque ejus virtutibus hoc contrarium eſſe, quod Deus ad illuſtrandam Gloriam infinitarum ſuarum perfectionum talem mundum creaverit & creare decreverit, in quo plurima mala moralia, eaque ſequentia mala Phyſica, deprehenduntur.* Ipſis reſpondemus cum Philoſophorum Modernorum Principe; Imperfectionem partium facere ad perfectionem totius, perfectionem autem totius in eo conſiſtere, quod plurimæ perfectiones divinæ in eo demonſtrari poſſint, cumque ad illuſtrationem ejus perfectionum TOTUM hoc univerſum ſimul ſumtum, quale Deo in decreto obverſatum fuit, pertineat, ideo perfectionibus illis contrariari, quas illuſtrat, dici non poteſt.

Si vero etiam in hoc Syſtemate, ratione gubernationis mali, remaneant difficultates, quibus Supralapſarij læſæ Sanctitatis & Juſtitiæ divinæ arguuntur, aliæ non ſunt, quam quas *PAULUS*, ipſe *Supralapſarius*, ſibi objici vel objici poſſe monuit; Omnium enim harum Criminationum vim his verbis complectitur. Rom. IX. v. 14. *Τι ὖν ἐρᾶμεν, μη ἀδικια παρα τω Θεω. Μη γενοιτο. verſu* 20. *Μενὖνγε, ὦ ἄνθρωπε, συ τις ει ὁ ἀνταποκρινομενος τω Θεω; μη ἐρει το πλασμα τω πλασαντι, τι με ἐποιησας ὅυτως;* Ἠ ὐκ ἔχει ἐξυσιαν &c. Neque ergo Juſti-

Juſtitiæ divinæ ex hac ſententia quicquam decedit, nullos enim ad æternum exitium damnavit, niſi eos qui in ſtatu peccati permanent, neque obligatus fuit, creaturas non labiles creare, quia creaturis nihil debet, niſi quod ſapientiſſimo ſuo conſilio ijs deſtinavit; τις γαρ προεδωκεν αὐτω?

Si nunc profanis criminationibus uti vellem, eaſdem calumnias, quæ *Supralapſarijs* imputantur, in *Infralapſarios* retorquere poſſem. Unicum tantummodo de eorum mente circa ordinem decretorum hic obſervo; per eam nimirum decretorum rationem, quam ipſi ineunt, decreto divino non licet eſſe ſimpliciſſimo; Varia enim à ſe diſtinguunt, quaſi Deus non omnia uno & ſimpliciſſimo actu cognoviſſet & voluiſſet. Reliqua nunc transgredior, quia ipſis conſequentias attribuere nolo, quas illi non admittunt, uti illi Supralapſarijs falſa ideo imputant, quia mentem eorum non percipiunt.

Reſtat, juxta inſtitutum, ut Variorum Celeberrimorumque Theologorum de hac re mentem hic ipſorum verbis exponam; ut Doct. Authori pateſiat, *vel* Theologos ex noſtris ſummos fuiſſe *SUPRALAPSARIOS*, *vel* ſi alij non tales fuerint, ſaltem modeſtius de ijs judicaſſe.

Beatus ZWINGLIUS *de providentia, ad Phil. Magn.* Cap. V. ita ſecundum mentem Supralapſariorum loquitur: *Creando hominem Deus, ut labi poſſet, bonitatem ſuam manifeſtavit, lapſu enim juſtitia divinæ ſplendor illuxit; Ergo non eſt periclitata divina bonitas, cum hominem talem creavit, quem ſcivit eſſe lapſurum. Nunc de eo, quod neque Sapientia ſit læſa, quaſi aliter exiverit homo, quam ille conſtituerit. Quod Sapientia hallucinata non ſit, hinc patet, quod homini redemptio poſterius ſit conſtituta quam creatio. At redemptio conſtitui non potuit, niſi ſapientia vidiſſet fore ut laberetur homo.* Et in fidei ſuæ Ratione ad Carolum V. pag. 538. *Scio, Numen iſtud ſummum liberè conſtituere de rebus univerſis, ita ut NON pendeat Conſilium ejus ab ULLIUS creaturæ OCCASIONE, hoc enim eſt mutilæ illius ſapientiæ humanæ proprium, præcedente diſcurſu aut exemplo ſtatuere. Deus autem qui ab æterno usque in ſempiternum univerſa unico & ſimplici actu inſpicit, non habet opus ulla ratiocinatione aut factorum exſpectatione, liberè conſtituit de univerſis, ſua enim ſunt, quæcunque ſunt. Hinc eſt, ut, quamvis ſciens ac prudens hominem principio formaret, qui lapſurus erat, æque tamen conſtitueret filium ſuum humana natura amicire, qui lapſum repararet.*

CALVINI, qui recte Supralapſariis accenſetur, de hac re verba hæc ſunt, *Inſtit.* Lib. III. cap. 23. *Ad hoc ſic ex Dei prædeſtinatione pendet eorum perditio, ut cauſa & materia in ipſis reperiatur, lapſus enim eſt primus homo, quia Dominus ita expedire cenſuerat;*

cur cenſuerit, nos latet; certum tamen eſt, non aliter cenſuiſſe, niſi quia videbat, nominis ſui gloriam inde merito illuſtrari, & adverſus Pighium de Prædeſt. *In hac AUGUSTINI ſententia non minus tranquille quam libenter acquieſco; Deum qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis oritura præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam Omnipotentiſſimam Bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala eſſe non ſinere.*

BEZA. *de Prædeſt.* contra Caſtellionem. *Juſtam eſſe probavimus reproborum condemnationem, qua ipſorum perditio ſic pendet à Dei Prædeſtinatione, ut tamen cauſa ipſorum exitij ac materia tota in ipſis reperiatur.* & in Abſters. Calum. Heſhuſii. *Novum & inexplicabile crimen tibi videtur, quod dicamus, Adamum non potuiſſe niſi ex Dei decreto & ordinatione labi; ſi pro decreto ſubſtituerimus permiſſionis nomen, fortaſſis non ita exhorreſceres; ſed quæ hæc inſcitia eſt, Deum exiſtimare aliquid Satanæ permittere vel nolentem vel ignorantem? Reſtat ergo, ut volens permittat. - - ſupereſt ut oſtendamus, ita decretum eſſe à Deo Adami lapſum, ut tamen tota culpa penes Satanam & Adamum reſideat.*

ZANCHIUS *de Natura Dei*, Cap. I. Q. X. *Quis inficias eat, Deum potuiſſe hominem talem creare, qui neque voluiſſet neque potuiſſet peccare, quales jam ſunt in Cœlo Beati Spiritus! Sed cur neque perfectiores fecit naturas, neque pluribus eas ornavit Virtutibus, donis, perfectionibus? hoc ex Dei pendet Voluntate & Sapientia, deinde cauſas apud ſe habuit ſe cretas: de quibus Apoſtolus: O altitudo &c.* Cap. IV Q. III. *Voluntas Dei eſt liberum, æternum, ſapientiſſimum Dei decretum, tum de univerſis & ſingulis rebus, quas condidit, ad certos uſus & fines per certa media deducendis; tum de malis, quæ non fecit nec facit, nempe peccatis, fieri permittendis idque ad ſuam Gloriam. . - Etſi Deus peccata non vult, ea tamen volens permittit. - - neque tamen ſine cauſa permittit. Verum ut noſtris peccatis, quæ ſua eſt immenſa Bonitas & Sapientia, ad ſuam utatur gloriam, nempe ad ſuæ juſtitiæ, ea puniendo, aut ad ſuæ Miſericordiæ, ea condonando, patefactionem & illuſtrationem, ut oſtendit Apoſtolus Rom. IX. v. 22. 23. Mala non vult, quod aut per ſe bona ſint, aut ad finem per ſe conducant: ſed tantum, quia conſtituit ijs etiam ad ſuæ immenſa gloriæ illuſtrationem uti.*

Ex his nunc Doct. Author facile intelligere poteſt, an *Supralapſarij* Deum conſtituant peccati Authorem nec ne? breviſſimè adhuc aliorum Theologorum judicia hac de re perpendenda ſunt.

SPANHEMIUS *Diſſert. Theol.* pag. m. 197. *Sententiam hanc haudquaquam acerbè flagellandam nec fautores ejus perſtringendos eſſe, aſſerit.*

BUR-

§. XVI.

Iis, quæ ulterius *parag. 13. 14. 15.* circa modum exequendi Decreta ratione Electorum objicit, non im-

BURMANNUS, poſtquam in *Synopſi Theol.* Lib. I. cap. 37. §. 21. 22. & cap. 38. §. 14. objectum decretorum ſecundum mentem *Supralapſariorum* ſapientiſſime expoſuiſſet, tandem §. 15. concludit, ex mente Apoſtoli *PAULI*, Rom. IX. *Sententiam Supralapſariorum eſſe præferendam.* ideo tamen non arbitror, ipſum Deum facere Authorem peccati.

VAN TIL ex mente *Supralapſariorum* Prædeſtinationem ita definit; *eſſe Conſilium Dei particulare circa Creaturas rationales de gloria gratiæ & juſtitiæ in ipſis manifeſtanda convenienter decentijs ſuis, ordinans omnia, quæ ſucceſſive illis evenirent, facerent, aut ab ijs fieri permitteretur, quæ legitimam connexionem cum hoc fine habent* & deinde. *Ad manifeſtationem gloriæ Miſericordiæ ſuæ ab æterno & liberrimè conſtituit Deus, humanum genus ad imaginem ſuam creare, lapſum permittere, & quoſdam ex lapſis nominatim interveniente ſatisfactione ſanctificare & conſequenter glorificare, alijs pro libertate præteritis. - - Media, quæ ſecundum perfectam Dei ſimplicitatem conſiderata ut unum complexum concipi debent, ita ut creare, lapſum permittere & hominem reſtaurare, quaſi ſimul concipi debeant, tanquam unicum medium ad finem illum faciens.*

BRAUNIUS *Doct. Fœd.* Vol. 1. Loco IV. cap. IX §. 24. *Supralapſariorum* partes expreſſis verbis amplectitur, & cum mente Apoſt. Pauli optimè convenire exiſtimat, & tandem §. 28. concludit, inter *Supralapſarios* & *Infralapſarios* nullam eſſe diſcrepantiam, adeoque eorum ſententias facilè conciliari poſſe.

RODOLPHUS *utramque ſententiam ſuis premi difficultatibus* aſſerit, in *Diſſert. de prædeſt.*

FRANCISCI TURRETTINI judicium, quem Author Doct. inter fontes Theologiæ recenſet, adhuc adjungam; mitius ille de *Supralapſarijs* judicat, quando dicit, Loco IV. Q. IX. §. 4. *Obſervandum, qualiſcunque Theologorum in hac parte diverſitas, manere tamen apud utroſque ſalvum fidei fundamentum,* & Loco IV. Q. XVIII. §. 5. dicit, *nihil habere iſtum ordinem* (nempe Supralapſariorum) *quod fundamento ſalutis & Analogiæ fidei abſolutè repugnet, & Viris magnis de Eccleſia bene meritis placuiſſe.* Ex his omnibus mihi nunc conficere licet, Doct. Authorem incaute in tam juſtam cauſam & in tot tantoſque Dei Viros debacchatum eſſe. Arctiſſimi limites, quibus circumſcriptus ſum, plura addere mihi non permittunt.

immorabor ; Ea autem omnia nonniſi falſa ejus opinione, qua ſcil. ſtatuit, abſolutum Theologiæ Syſtema tradere me voluiſſe, innituntur. Ex ſupra dictis in *parag. 5. & 6.* ſatis ſuperque liquet, quare hic de Chriſto fiat mentio; nec tamen dicam, *quis ſit ille, quomodo ad munus Mediatorium ordinatus fuerit.* (*f.*) Apud omnes Theologos utique Chriſtum mediatoris partes ſuſcepiſſe, ad id ordinatum fuiſſe, in confeſſo eſt. Hæc ad *Syſtema Comune,* de quo ſupra, pertinent ; Id unum ſolummodo mihi ſecundum inſtitutum præſtandum incumbebat, ſill. quomodo ſecundum Ortodoxos Chriſtus fuerit mediator, quænam ſecundum eos, ut mediatoris partes adimpleret, in eo requirebantur, ex ſupra poſitis oſtendere. Uno verbo non de omnibus, quæ munus mediatorium ſpectant, ſed de iis unice, in quibus Ortodoxi ab aliis de hocce argumento diſcrepant ; Qua propter itidem mirum non eſt, ſi ſpeciatim de omnibus mediatoris officiis non dixerim, *Prophetico ſill. & Regio, nec de ejus in cœlos aſcenſione, apud patrem pro fidelibus interceſſione, indeque ſpiritus ſancti effuſione.* Ea autem, in quibus circa hæc differunt Ortodoxi, ex mediatoris requiſitis, prout in mea diſſertatione traduntur, deprehendere facile eſt.

§. XVII.

Nec melioris ſunt notæ ea, quæ *paragrapho 16.* circa *Decreti Reprobationis executionem* addit ; promiſſi oblitum fuiſſe me accuſat ; quaſi vero ea omnia, quæ ad

(*f.*) D. A. promiſit unam Veritatem ſive unum dogma Theologicum per conſequentias ex altero demonſtrare ; inter alias autem methodi demonſtrativæ regulas etiam hæc eſt, ut nihil aſſumatur. quod antea non explicatum & probatum fuit. Author verò, quamvis antea ne *γρυ* quidem de Chriſto locutus fuerit, tamen concluſionem hanc infert: *Clarum eſſe, Chriſtum in hoc negotio Mediatorem pro nobis agere.* Sed D. Authori in reſponſione hac hic mos eſt, ut ea quæ maximè reſponſione opus haberent, ſilentio tranſeas, & alicui rei inhæreat, quæ nihil ad rem facit.

ad illud decretum pertinent, exhibere fuiſſem pollicitus: Ea tantum annotavi, quæ præcedentium erant conſectaria, quibus poſitis, quo modo Deus ſeſe cum Reprobis gerat, quinam ſit eorum ſtatus, ſecundum Ortodoxos, intelligi poſſit. Sed hæc nec ſufficiunt, nec *SIMPL.* placent; quod è contrario ea improbat: Lectoris enim hic attentionem, quaſi ad aliquid ſtupendum & inauditum, poſtulat. Primum conſectarium, quod ex præcedentibus circa Reprobos deduxi, hoc eſt: *Cum Reprobi & Electi in ſe ſpectati* (quæ verba omittit *SIMPL.*) *ſill. ante eorum Reprobationem & Electionem, peccato & pœnis æternis ſimul addicti ſint, ſequitur, Deum nulla alia de cauſa eos reprobare, niſi propter merum ejus beneplacitum.* Quid verius? nonne Deus in decreto Reprobationis vel Electionis homines lapſos in Adamo corruptos, veri omnis boni incapaces & miſeriæ æternæ addictos conſiderat? ergo Reprobi & Electi in ſe ſpectati ante Decretum divinum eodem ſunt in ſtatu. Ergo ſi alios eligat vel reprobet, id facit ἐξ εὐδοκίας. (g.) Forſan exiſtimat *SIMPLICIUS*, dum tam enixe Lectoris attentionem rogat, quod ſill, Decreti Reprobationis & Electionis objectum non

(g.) Rationes duæ ſunt, quare Lectoris attentionem tanquam ad aliquid inauditum excito: *prima* eſt, quod Author dicit, *Reprobos & Electos ANTE eorum Reprobationem & Electionem peccato & pœnis æternis ADDICTOS eſſe.* Ego nondum concipere poſſum, quomodo dici poſſit, Reprobos & Electos *ante* reprobationem & electionem *addictos* fuiſſe pœnæ æternæ; ſi jam *ante* Reprobationem Reprobi pœnæ æternæ & laqueis peccati addicti fuere, tunc duplex ſtatuenda eſt reprobatio, quarum una ante alteram fuit facta; illud *ante* deinde etiam ſupponit tempus in æternitate. *Secunda* ratio, quare attentionem F. L. excito, hæc eſt, quod Author dicit, Deum hominem reprobare, hoc eſt, ad æternum exitium deſtinare *propter merum beneplacitum*, ego autem cum alijs Theologis credo, Deum hominem deſtinare ad exitium *propter peccatum.* Sed D. Author hæc maluit ſilentio præterire, & pro more ſemper talibus rebus inhærere, de quibus ego nunquam cogitavi, ut ſemper aliquid dixiſſe videatur.

hominem conditum & lapſum ſtatuat, ſed uti ipſe (qui *SUPRALAPS.* partibus favet) primum Dei propoſitum fuiſſe de manifeſtanda juſtitia & miſericordia in ſalvando vel damnando, aſſerat. Quod dictu eſt horrendum, ne dicam blaſphemiæ proximum, ſed ſimul abſurdum & contradictorium. (*h*). Qui enim dicit, Deum primo cogitaſſe de juſtitia & miſericordia manifeſtanda, neſcit quid dicit; hæ perfectiones ſunt relativæ ad aliquod objectum, cujus exiſtentia ſaltem ſupponi debet; Qui etiam dicit, primo Deum cogitaſſe de ſalvando vel damnando, ſibi ipſi contradicit, ſalus enim & damnatio objectum aliquod ſupponunt, de quo prius cogitaverit Deus, ſed hæc ἐν παρόδῳ in gratiam *INFRALAPSARIORUM*. - - Alterum Conſectarium hoc eſt, *cum omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſint Dei dona, juſtificatio nempe &c. ſequi, reprobos ullum actum bonum & ſalutiferum* (quod etiam omittit *SIMPLICIUS*) *edere non poſſe.* (*i.*) Et hoc etiam neceſſario ex principiis Ortodoxis fluit;

(*h.*) Infeliciter iterum hic Vir docte, debaccharis in miſeros *Supralapſarios*; ſed loco reſponſionis huc apponere lubet verba Celeb. *SALCHLINI* in ſolidiſſimis ſuis ſtricturis contra Clariſs. *PFAFFIUM* pag. 34. quæ tibi etiam dicta putes, ita autem ſonant; *Et tales adhuc ſe ingerere volunt in Miniſterium noſtrum, quod rubore ſuffuſus & cum dolore dico, nec dicerem, ni notum mihi, Viros pios & eruditos in omni Religione ſape querelas moviſſe de ignorantia Sacerdotum & Paſtorum ſua Religionis, adeo ut ubique idem obtineat; ex hac ignorantia etiam factum, plurimos neſcientes, nullam plane eſſe differentiam inter ſententiam Supralapſariorum & Infralapſariorum, prater diverſum concipiendi modum, ex uno vel altero quaſi hareſin feciſſe, nec obſervaſſe, neutram harum ſententiarum alteram.* &c. Vivis hic coloribus D. *COCHETUS* depictus mihi videtur.

(*i.*) Hæc Authoris verba ſunt quam veriſſima; ratio, quare ea in *animadverſionibus meis* appoſuerim, hæc eſt, quia Lectori integram hujus diſſertationis dare volui ideam, neque ea planè omittere quæ bona ſunt, ex §. enim 1. Animadv. mearum patet, me exhibere voluiſſe ſummarium diſſertationis hujus propter eximias quas continet res; unde conſectarium hoc ſimpliciter recenſeo

fluit; Quomodo is ullius boni & ſalutiferi actus eſſet capax, qui omnis boni eſt incapax, qui non magis Deum audire vocantem, vel ipſi credere; & alia ad ſalutem neceſſaria præſtare quam mortuus actus vitales edere, valet; ſi electi bonum faciant, id omne Dei gratiæ efficaci tribuendum eſt, quam gratiam cum prorſus iis, quos prætermiſit, & in Decreto reprobavit, deneget Deus; hinc luce meridiana clarius, noſtrum de Reprobis conſectarium neceſſarium eſſe. Quid vero ſint actus Decreti Reprobationis *Excæcatio* & *Induratio* ſecundum Ortodoxos, facile colligitur. (Vellem ut B. L. hic attenderet, nimirum ad bonam fidem *SIMPLICII* in citandis his duobus conſectariis, cujus antea plurima jam extant monumenta.) Denique cum graviſſima in Syſtema moveatur difficultas, illud nempe libertatem in agendo evertere, ſiquidem bono non poſſint non eſſe addicti Electi, ſicut & reprobi malo & peccato; ad hanc ſolvendam ea attuli reſponſa, quæ ſuppeditat Syſtema, (è definitione libertatis ſill. petita.)

§. XVIII.

Itaque non multum iteratis *SIMPLICII* clamoribus *parag. 17.* movebitur Lector. Quod autem nec omnia, quæ ad Eſſentiam Syſtematis Ortod. pertinent, nec ordine demonſtraſſe conqueritur, certe indicium manifeſtæ in judicando præcipitantiæ prodit. Tria capita eſſentialia, in quibus ab invicem diſcrepant variæ ſectæ (ſecundum ipſum) non explicui. 1. *Neceſſitatem Revelationis.* Ut quidem nec γεν de ea dicendum erat, de hac nulla eſt lis. (*k.*) Sed *Sociniani Re-*

 ligio-

absque ulla addita obſervatione vel criſi, nihilominus Author illud defendere ſatagit, ea autem plerumque omittit, quæ reſponſione quam maxime indigerent.

(*k.*) De inſufficientia Theologiæ naturalis & revelatæ abſoluta neceſſitate, nullam eſſe litem, hactenus præter *COCHETUM* nemo

ligionem comunem omnibus natura notam ſtatuunt, ergo Revelationis neceſſitatem impugnant. Quid abſurdius dici poteſt? quare (ſi verum hoc eſſet) Sociniani Religionis Chriſtianæ veritatem ac divinitatem tuerentur, nulla eſſet ratio: præterquam quod & hoc verum non eſt, Sociniani & Remonſtrantes quemquam damnare nolunt; Exiſtimant eos eſſe Deo gratos & acceptos, qui juxta lumen ipſis conceſſum vitam agunt; ſed an ex eo ſequitur, ut Religionem comunem, omnibus natura notam, quæ per ſe ſufficiens ſit ad ſalutem, ſtatuant, ac proinde perinde eſſe, quamcunque Religionem profitearis? Conſequentia nullo modo valet. (*l.*) Ea quæ *pag. 88. Diſſert. noſtræ* ad quæſtionem, *An Theologia naturalis ſufficiens ſit ad hominem adducendum ad ſalutem?* id evincunt; Ex iis enim evidenter tum de Remonſtrantibus, tum de Socinianis, eos Religionis naturalis inſufficientiam & Revelationis neceſſitatem agnoſcere, probatur. 2. *Doctrina de S. S. Trinitatis myſterio ſecundum Ortod. prolixius explicanda, & adſtruenda fuiſſet.* Sed Remonſtrantes, Lutherani,

unquam dixit, ſed dies diem docet; fuerunt non tantum inter Veteres ante Pelagium nonnulli, qui inconſiderate locuti ſtatuerunt, Gentiles per Philoſophiam ſuam fuiſſe ſervatos, ita *CLEMENS ALEX.* & *JUSTINUS MARTYR*, ſed eam ſententiam etiam defenderunt *Pelagiani* Veteres & Novi, ut Sociniani ita etiam Remonſtrantes, ſic *EPISCOPIUS* Sociniano-Arminianizans in *Inſtit. Theol. Cap. X. Lib. I.* contendit, in primis mundi ſæculis usque ad diluvium & ultra non aliam niſi Relig naturalem viguiſſe, eaque ſervatos fuiſſe homines, & quanquam ejus agnoſcat infirmitatem, cauſam tamen non in ejus inſufficientiam rejicit, ſed in culpam hominum. *CURCELLÆUS* quoque contendit, Gentiles ſine cognitione & fide Chriſti Salvatoris potuiſſe ſalvari, in *Diſput.* peculiari *contra Mareſium.*

(*l*) Omnino conſequentia valet, quod ſi aliquis ſecundum lumen naturæ Deo ſervit, illi gratus eſſe poteſt, tunc Revelatio abſolute neceſſaria non erit; etſi tamen uſum aliquem habere ſtatuatur Revelatio in hominis ſalvatione, uti fit à Socinianis, tamen eo ipſo abſolute neceſſaria non eſt quia juxta illos homines ſecundum lumen naturæ viventes Deo grati eſſe poſſunt.

rani, Pontificii aliique quamplurimi Chriſtiani de hoc argumento cum Ortodoxis conſentiunt. (*m.*) Ideo cum de Syſtemate Ortod. res fuit, de hoc Dogmate nihil protuli quam quod huic Syſtemati proprium erat, v. g. *neceſſe omnino fuiſſe, ut mediator eſſet Deus.* Præterea ea quæ de *Perſona Chriſti*, ubi de Socinianis actum eſt, quantopere hac de re ab aliis Chriſtianis differant Sociniani, ſatis innuunt. Fuſius equidem de hoc Dogmate dicendi locus fuiſſet, ſi Chriſtiani Theologi in mea diſſertatione ſolummodo, ut à Socinianis diſſentientes ſeſe ſiſterent; ſed longe aliter ſe res habet.

§. XIX.

3. *Nec omittenda* (pergit *SIMPL.*) *fuiſſet Doctrina de Sacramentis, cum Sociniani ritus illos ſymbolicos tantum habendos eſſe pro Teſſeris* &c. Nec etiam omiſi; Conſectarium enim ex Syſtemate Ortod. circa *Baptiſmum* retuli, (*n.*) (de quo etiam mentionem facit ipſe *SIMPL.* parag. ſequenti) *Baptiſmum* nempe, *infantibus neceſſario adminiſtrari debere, ſiquidem tanquam ſignum & ſigillum fœderis gratiæ a Deo decreto ſuo abſoluto ſit ſtatutus;* Quod concipere nequit, quanquam per ſe clarum: cum enim ab una parte Baptiſma ut ſigillum fœderis gratiæ complectatur Decretum divinum abſolutum, & ab alia in infantium numero dentur Electi, qui fato fungi poſſent antequam ad adultam ætatem pervenerint, ideoque antequam Baptiſma ſigillum fœderis gratiæ acceperint; Manifeſto hinc liquet, Baptiſma

(*m.*) Etſi ipſi conſentiant, tamen non conſentiunt Sociniani, adeoque cauſa diverſitatis in hoc dogmate inter Ortodoxos & Socin. oſtendenda fuiſſet; ſed fateor, difficile hoc fuit demonſtrare ex principio Religionis noſtræ ſive Syſtemate Religionis noſtræ, quod ex mente *COCHETI* eſt *ſtatus homini lapſi.*

(*n.*) Conſectarium hoc 1. non ſufficit ad oſtendendam diverſitatem inter nos & Socin. 2. de Sacra Cœna plane nulla facta fuit mentio, ſed etiam hoc dogma ex *ſtatu hominis lapſi* elicere difficile fuit.

tiſma infantibus quantum fieri poteſt adminiſtrari debere. Futilis omnino eſt *SIMPL.* exceptio, quæ ſic ſe habet : *Eo enim modo ſequeretur, Circumciſio & Paſcha conſtituta ſunt abſoluto Dei decreto ſigna & ſigilla fœderis gratiæ, quod unum eſt ſub V. & N. T. Ergo infantibus ſub Novo Teſt. neceſſario adminiſtrari debent* : 1. Etſi alicujus ponderis eſſet hoc ratiocinium, nullo modo Theſin meam tangeret. Id unum eſſet concludendum, *SIMPLICIUM* nempe conſectarium ex Syſtemate neceſſarium totis viribus impugnare. (*o.*) 2. Sed revera debile eſt admodum, nec conſectarium ferit; Equidem circumciſio & Paſcha decreto divino conſtituta ſunt ſigna & ſigilla fœderis gratiæ, ſed ad tempus adminiſtrari debuerunt, quandiu ſill. per idem decretum Vetus Oeconomia duratura erat. Denique de hoc te monitum volo B.L. (quod jam *pag. 88. Diſſert.* monueram) fieri potuiſſe, ut quaſdam diſcrepantias omiſerim, ſed numero paucas, præcipuas enim, unde aliæ ortum ſuum ducunt, annotaſſe, ſatis duxi, & præterea dari poſſunt tales, quæ nullum cum Syſtemate nexum habeant.

§. XX.

Parag. 18. non multum hæreo, ſiquidem ex parte ſupra fuerit reſponſum; Cœtera vero quod attinet (nexum nempe illum mirum, quem inſtituit *SIMPLICIUS*) ſane hominem, cujus bilis ita efferveſcit, ut amplius ſui compos non ſit, ſapiunt. Duplicis generis conſequentias ex tota Syſtematis Ortodoxi ſerie deduxi ; aliæ ſpectant *Novi Fœderis cum Vetere harmoniam & conſenſum*, aliæ vero *Novi Fœderis Oeconomiam externam*. Sed *SIMPLICIUS* omnia confundit; quaſi eas conſequentias, quæ ſpectant Fœderis Novi Oeconomiam, deducerem ab iis, quæ illius cum Vete-

(*o.*) Rem in conſectario contentam non impugno, ſed *modum*, quo conſectarium elicitur.

Vetere conſenſum declarant. (*p.*) Etſi utraſque diverſas eſſe & ex eodem fonte fluere ſedulo obſervaverim. Quod ipſemet fatetur ab initio paragraphi. *Ex dictis*, inquit, *quasdam deducit conſequentias, quæ ſpectant tum fœderis gratiæ Oeconomiam externam, tum fœderis Novi cum Vetere Harmoniam.* Sed in ſequentibus confeſſionis hujus plane eſt immemor. Hæc eſt ſimplicitas Chriſtiana, qua mecum utitur *SIMPLICIUS*, cujùs unicum propoſitum eſt, ut tanquam abſurdam ob oculos Lectoris diſſertationem meam traducat; Quomodocunque autem finem ſuum aſſequatur ipſi perinde eſt. Parag. 20. prætermitto, quia totus, plebeis & ſordidis convitiis, eleganti ſtylo quidem concinnatis ſed ad rem nihil facientibus, refertus ſit.

§. XXI.

Ad *parag. 21.* devenio, in quo *SIMPL.* Methodum, quam in *Syſtemate Remonſtrantium* tradendo uſurpavi, improbat. Eorum B. L. quæ ad parag. 6. obſervavi memor ſis, & tibi, *ſtatum hominis in peccatum lapſi* revera hujus Syſtematis eſſe principium & fundamentum, conſtabit; quod etiam cuivis Theologiæ non plane imperito dijudicandum relinquo. (*q.*) In hunc finem legantur *Quinque Articuli Confeſſionis Remonſtr.* à Synodo Dordracena damnati, ſummamque

 Syſte-

(*p.*) Verba ipſius Auth. Diſſert. pag. 28. huc transſcribam, ut patefiat, qua ratione duo illa corollaria eliciat, ita ſcil. *SI ita ſe habeat, ex ſupra poſitis, Vetus Fœdus reſpectu Novi, indidem etiam hoc diſcimus, de poſterioris Oeconomia externa &c.* quis nunc non ex his verbis agnoſcit, Auth. corollaria hæc duo ex conſenſu V & N Fœderis deduxiſſe, quando expreſſe dicit; *Si ita ſe habeat* V. F. reſpectu novi, *inde* etiam hoc diſcimus, ut adeo D. A. non habeat cur de mea *ſimplicitate* conqueratur.

(*q.*) Occaſionem & πρῶτον ψεῦδος, adeoque etiam principium diverſitatis doctrinæ Remonſtrantium à doctrina noſtra eſſe doctrinam de *Prædeſtinatione*, ſatis clare patet *1.* ex Epiſtola illa *ARMINII*, quam 15. Cal. April. 1591, ad Veterem ſuum Præceptorem

Syſtematis eorum de oeconomia ſalutis exhibentes; Ex quibus patet, totum illud ruere, niſi hominem lapſum alicujus boni capacem ſtatuant. Quomodo enim aliter Decretum electionis & reprobationis ex prævïſa fide vel incredulitate tuerentur? qua propter Articulorum prædictorum *Tertius* & *Quartus* affirmant, eſſe in omnibus & ſingulis hominibus comunem gratiam, conſiſtentem in lumine naturali, & donis poſt lapſum relictis; ita ut ſit in poteſtate liberi arbitrii, ſe non convertere vel convertere ad Deum vocantem &c.

§. XXII.

Expoſitionem *Syſtematis Sociniani* ex principio ſupra memorato deducti etiam male ſe habere arguit *SIMPL. parag. 22. Oblitus* (ſecundum ipſum) *animæ, centri, & fundamenti totius Socinianiſmi, quod eſt Religio comunis omnibus natura nota.* Quaſi vero hoc dogma, dari Religionem naturalem omnibus comunem; Socinianis peculiare eſſet, cum ſit fundamentum totius Religionis Chriſtianæ, quæ hanc ſupponit, absque qua nec intelligi nec probari poteſt. *Præmiſit* (inquit Tertullius) *naturam magiſtram, ſubmiſſurus deinde prophetiam, ut facilius credas prophetiæ, diſcipulus naturæ.* Et Ortodoxi ipſi, dari Theologiam & eo ipſo Religionem naturalem, adverſus Socinianos affirmant. (*r.*) Si dicas, hic agi

GRYNEUM Baſileam exaravit, *2.* ex ijs quorum doctrinam noſtram accuſavit, quod ea inducatur *fatum ſtoicum, Manichaiſmus, libertatis excidium, neceſſitatis Aſylum, deſperationis barathrum, exhortationum, correptionum, Orationum interitus; extingui omne pietatis bonorumque operum ſtudium.* Hinc nunc facile patet, qua in re *ARMINIUS* primum à veritate diſceſſerit, & quodnam ſit ejus πρῶτον ψεῦδος, nempe quod *abſolutum & efficax Dei decretum cum libertate actionum conciliare non potuerit*; quomodo verò deinde error errorem traxerit, cum ab alijs jam ſit oſtenſum, id hic brevitatis cauſa facere ſuperſedeo; etſi enim facerem, ſolius *COCHETI* authoritatem illis oppoſuiſſe ſufficeret, qui ut res in poſterum ſe aliter habeat jubet.

(*r.*) Bene ſe habent, quæ Author hic dicit, non enim de hoc quæritur.

agi *de Religione comuni, quam Sociniani per ſe ſufficientem ad ſalutem credant*; id ſtricte negatur ex rationibus ad *parag. 17.* allatis. (*s.*) Nihilo minus tamen (ſecundum *SIMPLICIUM*) omnia quæ de Socinianis dixi, inverſo ordine ſeſe habent; *Unicum* inquit, *ſolummodo exemplum afferam ex pluribus, ex eo nimirum quod Sociniani ſatisfactionem Chriſti negant, fluere dicit, Chriſtum eſſe merum hominem.* Exemplum hoc aliis addas B. L. quibus luculenter bonam ſuam fidem teſtatam facit *SIMPLICIUS.* (*t.*) Quemadmodum enim, cum de Syſtemate Ortodox. actum eſt, nexum Doctrinæ Trinitatis cum hoc Syſtemate declaravi, hanc conſequentiam de mediatore ex ſtatu lapſi hominis juſtitiæ divinæ obnoxii eliciendo, *neceſſe fuiſſe* nempe, *ut eſſet* θεανθρωπος; Ita etiam cum de Socinianis res eſt, Trinitatis dogma nullum nexum habere, imo cum eorum Syſtemate de oeconomia ſalutis pugnare, duplici ratione oſtendi, 1. *Ex iis, quæ circa ejus dogmatis vim ac neceſſitatem in ſalutis negotio ſtatuunt, nihil eſt quod Chriſtum alium eſſe quam merum hominem innuat.* Secundum enim eos, nec pœnam ipſam peccati, nec pœnam qualemcunque vicariam, ut juſtitiæ divinæ ſatisfieret, nec legi perfectam obedientiam loco hominis pecca-

(*s.*) Fundamentum *Religionis SOCINIANÆ* eſſe, ſtudium fabricandi *Religionem communem* aliquam, per quam homines ex omnibus confeſſionibus ſalvari queant, in qua articuli fundamentales ex omnibus Religionibus maneant ſalvi, oſtendunt ſex eorum Articuli fundamentales: quos ſtatuunt, & totum eorum iis ſuperſtructum Syſtema, omniumque Religionum tolerantia; quomodo verò totum illorum Syſtema ad πρωτον hoc ψευδος ſeſe habeat, hic oſtendere nimis prolixum foret, idque à Celeb. *Van TILL* aliisque (quos quidam maleſuadi infinitis partibus doctiores fuiſſe *COCHETO* audent putare) præſtitum eſt. At illi ſua ſibi habeant, nos ſanè *COCHETI* authoritatem ſequimur; nec addendum quidquam amplius cenſemus illis, quæ ſupra jam ſunt annotata.

(*t.*) Ubi D. A. fidem meam accuſat, ibi ſemper evolvenda eſt ejus diſſertatio, quàm ille ne quidem intellexiſſe videtur.

toris præſtare debebat mediator &c. Nulla ergo ratio datur, cur eſſe debeat Deus. (*u.*) 2. *Præterquam, quod munera Regis & Sacerdotis, quibus defungi debebat mediator, nonniſi in hominem ſecundum eos cadere poſſint.* Ea enim leguntur *CATECH. RACOV, Sect. 7. Quæſt. 1. Sed Rex, qui ſimul & Sacerdos ſit, Deus ille unus eſſe non poteſt, ſed neceſſe eſt, ut homo ſit ad utramque hanc dignitatem à Deo hominum bono evectus.* Hæc omnia prætermittit *SIMPLICIUS*, quæ ſane ordinem nullo modo inverſum fuiſſe demonſtrant. Sed addit, *loco quod hactenus exiſtimarunt Theologi, ex eo, quod Sociniani rationem faciunt Religionis normam fluere, quod negent myſteria, ex hoc vero quod negent divinitatem Chriſti, inde vero quod negent ejus ſatisfactionem.* 1, Sociniani non aliter quam alii Theologi rationem Religionis normam profitentur: (*w.*) nec ulterius ejus jura extendunt. Brevitatis ſtudio hic mitto ea quæ ad hanc controverſiam ſolvendam in diſſertatione mea occurrunt; Lectores *ad CATECH. RACOV. Sect. I. Cap. 3. ad Quæſt. At quo pacto obſcuriores ſcripturæ loci poſſint intelligi?* amandando. 2. Sociniani Trinitatis dogma non, quod rationem ſuperet, negant, ſed quod *ſanæ rationi & divinis litteris* ſimul illud adverſari autument. (*x.*) *CATECH. RACOV. Sect. 4. Cap. 1. pag. 25.* 3. Quod denique aſſerit *SIMPLICIUS*, Socinianos negare ſatisfactionem Chriſti, eo quod negent ejus divinitatem, ex ſupra

pra

(*u.*) Quia Chriſti divinitatem negant, hæc ut ea, quæ Author verbis ſequentibus dicit, ſtatuenda fuerunt; nam quia Mediator ſecundum illos non eſt Deus, nec juſtitiæ divinæ ſatisfacere nec loco peccatoris obedientiam infiniti valoris præſtare potuit; unde etiam fluit, quod ille, qui munera mediatoria adminiſtrat, tantum homo ſit.

(*w.*) Et tamen articulos fundamentales abſque revelatione notas eſſe dicunt.

(*x*) Ex eo quod Myſterium Trinitatis Rationi & S. Scripturæ repugnet, ſententiam ſuam Sociniani tueri volunt, inde tamen non ſequitur, quod *id* ſtatim ſit πρῶτον ψεῦδος doctrinæ alicujus, *quo* illam probari conantur ejus Patroni.

pra dictis confutatur; (*y.*) Socinianos utique ſuæ negationis rationem reddentes, & contrarium prorſus aſſerentes audivimus.

§. XXIII.

Notam deinde aggreditur *parag.* 23. qua rationes, de quibus Syſtema Socinianorum, poſt Syſtema Remonſtrantium in Diſſertatione mea ſeſe ſiſtat, indicantur; abſurda ipſi videntur ea, quæ in hunc finem obſervavi: *Quaſi ideo* inquit, *quia Diſſertatio eſt Theologica, nullus obſervandus eſſet ordo; quaſi ordo non potius requirat, ut cum Sociniani non tantum priores fuerunt tempore, ſed Arminiani multa ex Socinianis Dogmata aſſumpſerunt, ii qui anteſignani fuerunt præcederent.* Equidem obſervandus eſt ordo in Diſſertatione Theologica, ſed quinam ordo? ordo ſermonis. Jam vero quid ad hunc ordinem, quod *Fauſtus SOCINUS* ante *Jacobum ARMINIUM* vixerit, opinionesque ſuas ſparſerit? quod Remonſtrantes multa dogmata ex Socin. aſſumſerint? Nonne Remonſtrantium, & Socinian. Syſtemata, ad eorum originem nulla attentione facta, tradere licebat? An ordo temporum hic quicquam ad ordinem & perſpicuitatem ſermonis confert? quin è contra, cum Remonſtrantes inter Ortodoxos & Socinianos medium teneant, ordini & perſpicuitati conſului, Remonſtrantes Socinianis præmittendo. Comparent itaque primi Ortodoxi, deinde Remonſtrantes ab Ortodoxis diſſentientes, & denique Sociniani in plerisque cum Remonſtrantibus conſentientes, ſed ulterius procedentes. Sed lis quam mihi hac de re creat *SIMPL. V.* εξ αμετριας της ανθολκης proficiſcitur, & virum, qui minimis hæret, redolent hæc omnia (*z.*)

§. XXIV.

(*y*) Supra dicta, ex quibus hæc confutantur, nullibi vidi; niſi ſit ſola D. *COCHETI* Authoritas.

(*z.*) De hoc ordine quid tenendum ſit, judicent ij, qui §. *XXIII. Animadv.* mearum legerunt.

§. XXIV.

Lectorem monet ab initio *parag. 24.* quod de *Logomachiis Theologicis* ſub finem Diſſertationis acturus, quid ſit *Logomachia*, neſciam, aliaque de re plane agam. Verum antequam hoc monſtret, obſervationes maximi ponderis præmittit. *Prima* hæc eſt. *Inſignem* inquit, *ſuam notitiam iterum prodit, Socinianos & Remonſtrantes, Theologorum Proteſtantium nomine inſigniens.* Equidem ſtricte loquendo, nec Socinianis nec Remonſtrantibus nec ipſis Ortodoxis, ſed unice Fratribus Confeſſionis Auguſtanæ hoc nomen competit. Sed verba valere uſu exiſtimavi; atqui uſu *Proteſtantium* nomen comune evaſit. *Eccleſiæ Proteſtantes* vulgo dicuntur hodie omnes, quæ tum olim in Gallia & nunc in Anglia, Batavia, Germania, Polonia, Hungaria, Helvetia, & alibi colliguntur. (*a.*) Quapropter hoc nomen quamplurimis magni nominis viris ita placuit, ut illud omnibus, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, in ſuis ſcriptis adplicent. Quis rem adeo notam Doctiſs. *SIMPLICIUM* latere unquam cogitaſſet? ſed quid miror! illi omnia ignorare licet, qui *Ortodoxos, Socin. & Remonſt. comuni nomine ſectæ deſignari; qui Socinianos, Reformatos & Chriſtianos Theologos appellari*, non modo improbat, ſed veluti adverſus aliquid nefandum inſurgit.

§. XXV.

(*a.*) Recte dicit D. A. omnes illos, qui ad veram Eccleſiam pertinent, hodie appellari *Proteſtantes*, ubicunque terrarum degant; illi verò qui ſeceſſionem ab illa Eccleſia fecerunt, & talia dogmata profitentur, quæ fundamenta veræ Religionis plane ſubruunt, & quæ qui credit ſalvari non poteſt, illi inquam non amplius inſigniri poſſunt nomine, quod veræ Eccleſiæ datur; non magis ergò *Sociniani* Proteſtantes dici poſſunt, quod nomen vi originis ſoli Eccleſiæ veræ competit, ac vera Eccleſia dici poteſt Pontificia, quia Sociniani ratione doctrinæ tam longè imo longius à nobis remoti ſunt ac nos à Pontificiis. Quinam verò magni nominis Viri ſint, quibus placuit Socinianos veræ Eccleſiæ nomine inſignire, mihi compertum non eſt, vellem ut A. vel unicum nominaſſet.

§. XXV.

Illud itaque *primò* crimini vertit, quod Ortodoxos ſimul cum Socinianis ſub nomine *SECTÆ* complectar; qua de re ſupra apud Lectorem jam multoties conquæſtus eſt. Verum omnibus (excepto *SIMPLICIO*) illud vocabulum *Secta* in bonam vel in malam partem ſumi poſſe conſtat; Præterea ſectæ nomine venire poteſt, *omnis cœtus ſententiæ, opinioni cuidam favens, ſive vera aut falſa ſit illa opinio;* quo ultimo ſenſu hanc vocem me uſurpaſſe publice fateor. Et hac in re dux fuit Apoſtolus gentium, qui Phariſæos, quorum opinionibus ex parte adhærebat. (*b.*) *Sectam* αἱρεσιν ακριβεστατην, ſecundum quam vixit, vocat *Act. 26.* Quinimo & ipſam Religionem Chriſtianam nude ὁδον *viam* & ex verſione Bezæ *Sectam* appellat. (*c.*) 2. Peccavi, *SOCINIANOS, Reformatos Theologos, & Chriſtianos* appellando; jam ſupra de voce *Reformatos* reſponſum fuit datum. Supereſt ut *Theo-*

è contra Theologi noſtri quemque nomine ſuo appellare, (Socinianum nempe vocant Socinianum) non vero cœlum inferno miſcere ſolent.

(*b.*) Dicendum eſt *adhaſerat*, nam non amplius Phariſæus erat; & rectè Phariſæismum *ſectam* appellat.

(*c.*) In hoc miſerè fallitur bonus vir, quando dicit Apoſtolum ſecundum *BEZÆ* verſionem *Religionem Chriſtianam* appellare *Sectam*; *BEZA* enim non vocem ὁδον per ſectam vertit, ſed vocem αἱρεσιν vertit per hæreſin i. e. ſectam, uti etiam in Biblìis noſtris Vernaculis vertitur. Dicit nempe Apoſtolus: *Hoc autem confiteor tibi, quod ſecundum viam iſtam, quam ſectam dicunt, colo Deum.* Adverſarij nempe ejus per contemtum v. 5 ejusdem cap. dixerant, ipſum eſſe πρωτοστατην ſecta Nazarenorum, hæc nunc repetit Apoſt. & dicit, ſe Deum colere ſecundum viam illam quam illi ſectam appellant; ipſe ergo Religionem Chriſtianam quam profitebatur ita nominare nolebat, ſed potius refutat adverſarios ſuos, indicando, doctrinam ſuam non eſſe ſectam, ut illi eam nominabant, ſed viam illam antiquam perveniendi ad Deum. Infeliciter ergo A 1. falsò attribuit malam *BEZÆ* verſionem 2. dictum citat, quod id, quod ille defendere ſatagit, planè evertit.

Theologorum Chriſtianorum Epitheton, quod Socinianis tribuitur, vindicem. Quare ergo Theologos Socinianos non appellaſſem, cum quotidie de Theologia gentili fiat mentio. Si inter gentiles fuerint Theologi, dantur etiam tales inter Socinianos; Et eo magis quod Chriſtiani ſint, nec ipſis illud nomen denegari poſſit. Qui enim Chriſto nomen dederunt, qui per Chriſtum ſe ſalvatum iri profitentur, (*d.*) qui ipſum invocant, in

(*d.*) Rectè D. A. in integro hoc §. contra me probare allaborat, nomen *Chriſtiani* aliis etiam ac veris Eccleſiæ membris ſæpe tribui, & hic ſe aliquid contra me effeciſſe exiſtimat, quando ex fonte ſuo Theologiæ, (uti *Franc. TURRETINI* opera appellat in Diſſert. ſua) contra me probat, etiam *Socinianos* ab illo Chriſtianos vocari. Contra hoc ſuum ἀυτος ἔφα nihil habeo quod excipipiam, dicere tamen mihi liceat quod res eſt; Cum nimirum animadv. meas; quæ D. COCHETO tantopere diſplicent, compoſuiſſem, Viris quibusdam ob magnam ipſorum in rebus Theologicis eruditionem conſpicuis, eas ſimul cum Diſſert. illa ſive nova Theologiam docendi methodo, tradidi, rogans eos, ut ſi aliquid inveniant in notis meis criticis, quo vel injuria fieri poſſet Authori, vel nimis acerbè locutus ſim, id mihi indicare velint; nihil autem ſe in his notis cum ipſa Diſſert collatis deſiderare ajebant, niſi quod vel decimam tantum partem virgula cenſoria notaverim ex iis rebus, quæ caſtigatione opus habuiſſent; præcipuè autem perferre non poterant, quod D A. ita compilaverit Diſſert. ſuam, ut tres illas, de quibus agit Religiones, tantum conſideret, ut ejusdem, nempe veræ, Religionis varias ſectas, quæ nonniſi diverſo aliquo concipiendi modo articulorum quorundam non magni momenti differant, qui diverſus concipiendi modus in Eccleſia Reformata ſchiſmatis cauſa ſit; & hac mente Socinianos æque ac noſtros Theologos ſemper comuni nomine complectatur, nempe mox nomine Proteſtantium, mox Reformatorum, mox Chriſtianorum, qui varias habeant *opiniones* (dogmata enim noſtra Theologica & veritates æquè opiniones appellat ac Socin. & Remonſt. doctrinam) inde factum fuit, ut D. Auth. etiam hac in re amicè monuerim, ut in poſterum paulo diſtinctius & cautius loquatur, ne malam apud alios erga ſe ſuſpicionem moveat; quando vero D. A. ita partes Socin. ſuſcipit, ut eos ab Eccleſia vera excludere nolit, eosque ut ejusdem pretioſæ fidei conſortes tolerare velit, fortemque eorum defenſorem agit, & Theologos noſtros accuſat, quod ipſis falſas affingant opiniones; hoc pacifico

in ejus promiſſa ſperant, tanquam generis humani judicem exſpectant, ad Evangelii præceptorum normam mores ſuos inſtituunt; Nonne & ii ſunt Chriſtiani, etſi circa quædam capita errent, ſunt tamen Chriſtiani, quamquam errantes; Contrarium tamen tanta cum fiducia hic tuetur *SIMPLICIUS*, ut apud Lectorem propterea tanquam alicujus criminis reum me traducat. Verum ut os obturetur viro, quem authoritati & præjudiciis potius quam veritati litare, ex toto ejus ſermone liquet, noſtram ſententiam etiam magnorum virorum authoritate ſuffulcire juvat. Unus tantum audiatur, Celeberr. nempe *Franciſ.* *TURRETINUS*, unus ex authoribus *Formulæ Conſenſus*, Inſtit. Theol. Loco 9. Quæſt. 9. de Imputatione peccati πρωτοπλαστων. *Licet*, inquit magnus ille Theologus, *omnes Chriſtiani conſentiant in agnitione peccati Adami, non tamen parum inter ſe diſſident, quoad ejus effecta, potiſſimum quoad ejus imputationem, quæ à variis vel in dubium vocatur vel aperte negatur.* Quinam ſint illi Chriſtiani diſſidentes circa imputationem, (Syſtematis Ortodoxi præcipuum cardinem) ſequentia te docebunt. *Pelagiani* ſill. *Sociniani, Andbaptiſtæ, Remonſtrantes.* Celare itaque non poſſum, quod ſi vir ille magnus *SIMPLICII* ævo vixiſſet, quin ſicut ego Socinianiſmi ſe ſuſpectum feciſſet & hac ratione promotioni ſuæ ad S. S. Miniſterium obeſſe potuiſſet, niſi S. V. hac

ejus animo adſcribendum arbitror. Eo autem nomine ipſos inter alia in hoc §. defendit, quod Chriſto nomen dederint, quod per eum ſe ſalvatum iri profiteantur, quod tantum circa quædam capita errent, certe in his D. Vir ipſis multum largiri mihi videtur; quomodo enim illi, qui propriæ juſtitiæ litant, qui Chriſti pro peccatis ſatisfactionem negant, qui dogmata veræ Religionis fundamentalia evertunt, Chriſto nomen dediſſe, per eum ſe ſalvatum iri profitentes, & circa quædam tantum capita errantes dici poſſint, hoc eſt, quod ſola D. A. authoritate mihi niti videtur. Cùm verò os mihi obturaverit, plura hic addere mihi non licet.

hac in re eum defendere ſategiſſet; hæc nempe Clariſſimi Viri ignorantiæ potius quam nequitiæ adſcribendo. De cœteris vero, quæ inſuper hoc paragrapho obſervat, ſatis ſuperque quid ſentiam, ſupra annotata indigitant.

§. XXVI.

Paragrapho 25. id quod paragrapho præcedenti ſubinnuerat, oſtendere conatur. 1. Quidem, quid ſit *Logomachia*, me ignorare, *in Tranſitu* inquit *obſervandum, per Logomachiam in methodo hactenus deſiderata, ex ignorantia ſignificationis non controverſiam in mero vocabulorum diſſenſu conſiſtentem intelligi, ſed talia dogmata; quæ Sectæ alicui falſo imputantur.* Sed hoc verum non eſt; (e) Hæc verum in mea diſſertatione occurrunt. quæ *SIMPLIC.* præcedenti parag. refert) *parag. 1. p. 85. Præcipuum itaque tantummodo unum confirmabimus. Methodo ſill. à nobis uſurpata. Logomachias è Theologia exulare, nec cuiquam opinionem, quæ à ſuis principiis abhorret, vel clare non fluit, affingi.* Quibus verbis Logomachiæ manifeſto diſtinguuntur ab opinionibus quæ ſectæ alicui falſo imputantur Utraſque equidem ſub nomine generali *Logomachiæ* complexus ſum, quia in Controverſiis Theologicis λογομαχεῖν plerumque accidit, unde ſæpe adverſariis dogmata tribuantur, à quibus prorſus ſunt alieni. 2. Non modo quid Logomachia neſcivi, ſed plane de alia re egi, quod ſolide & *Savantiſſime* duplici ratione oſtendit *SIMPLICIUS.* 1. Ordine eas controverſias quas in Logomachiarum Catalogum recenſui, exponendo; Id unum obſervabo circa *ſeptimam*, quæ propter Typographicum mendum ſenſum falſum exhibet, ea nempe ſic ſe habere: *An in æterna Dei exiſtentia nulla ſit ſucceſſio prioris ac poſterioris?* 2. Ne Lectori nauſeam creet ſingulis hærendo, generale de his judicium fert. *Cauſa* inquit, *cur Doctus*

(e.) Conſulenda ergo eſt ipſa Authoris Diſſert. ut ea clara fiant, quæ dixi, & contra ipſius negationem probentur.

Doctus Author hæc omnia Logomachiis annumeret eſt, quod ſubinde mentem adverſariorum noſtrorum non perceperit, ſubinde vero aliquid invenerit, in quo unus Socinianorum ab aliis diſſentit, inde factum fuit, ut Author exiſtimaret reliquorum Socinianorum eſſe mentem.

§. XXVII.

Quod adverſariorum mentem non perceperim, id demonſtrandum erat, non verò ſilentio prætermittendum; (*f.*) Loca ex eorum ſcriptis excerpta, quæ in medium attuli, ſaltem mihi ita clara videntur, ut

 diffi-

(*f.*) Ne id ſilentio prætermittam, quod Author à me poſtulat, id faciam, quantum penuria loci & arcti, quibus circumſcriptus ſum, limites permittunt; *primum* nempe quod D. A. inter *Logomachias* recenſet eſt, *quod SOCIN. falſo imputemus, quod negent, Theologiam & Legem naturalem.* Ut res recte intelligatur, diſtinguendum eſt inter Theol. naturalem *innatam*, cujus principia naturæ per creationem collata, ut homo facultatem habeat ſine inſtitutione de Deo cogitandi; alia vero *acquiſita*, quæ acquiritur per diſcurſum & conſiderationem operum divinorum. *SOCINUS Prælect. 2.* utramque negat, contendens, cognitionem Dei omnem ex patefactione proficiſci, & traditione inter Homines propagari; ita etiam cum eo facit *OSTOROD. inſtit.* cap. 3. *VORSTIUS* in *Exeg. Apol.* ejusque *Epitome*. A *SOCINO* autem abit diſcipulus ejus *CRELLIUS*, & *EPISCOPIUS*, *CRELLII* diſcipulus, qui contendunt, dari cognitionem Dei naturalem, ſed *acquiſitam* tantum. Sequentia ergo D. Viro conſideranda fuiſſent, antequam Theologos noſtros accuſaret, illos Socinianis falſo aliquid imputare, *1.* Illos non indiſcriminatim contra omnes Socin. affirmare, dari ideam Dei tum *innatam* tum *acquiſitam*, ſed contra unumquemque id affirmant, quod ipſe negat, ita affirmant contra *SOCINUM*, *OSTORODIUM* & *VORSTIUM*, dari ideam ſive cognitionem Dei innatam & acquiſitam, contra eos vero qui acquiſitam concedunt, tantummodo affirmant dari innatam; Recte ergo non tantum contra *SOCINUM*, ſed etiam contra *Socinianos* affirmant, dari cognitionem Dei naturalem ſive innatam, ſed cum diſtinctione. *2.* Doct. Vir obſervare debuiſſet, quod hodierni etiam Sociniani in multis ſuis dogmatibus in varias abeant ſententias, & non omnes *Catech.* illam *Racov.* librum ſuum ſymbolicum agnoſcant, quæ eſt pro-

priè confeſſio fidei communionum illarum Socinianarum *in Polonia* habitantium, cum quibus non ſolis nobis bellum eſt, ſed etiam cum aliis qui præciſe in Catech. illam non jurant. 3. Locus ille, quem Author è Catech. illa citat, planè nihil facit ad rem ſuam probandam, cum plane nulla mentio fiat, quod res illæ, quæ ante legem fuerunt cognitæ, ex ideis innatis, non vero ex traditione fuerint cognitæ, ut hic locus plane nihil faciat ad probandum, Socinianos ſtatuere etiam Theol. naturalem ex principiis innatis, non vero tantum ex acquiſitis. Nec ad rem aliquid facit, quod D. A. dicit, CRELLIUM exiſtentiam Dei etiam ex conſcientiæ vi probare, non enim omnia, quæ conſcientia mihi dictat, habeo ex cognitione ingenita, alias omnium illarum rerum, quarum mihi conſcius ſum, cognitio mihi innata eſſet, quod abſurdum eſt; ex quibus omnibus concludo, falſo Auth. Theologos noſtros taxare, quod contra Socinianos Theol. naturalem ex principiis innatis affirment

Secundus articulus, quem V. D. *Logomachiis* annumerat, eſt quod male tribuatur *Remonſtrantibus*, quod ſtatuant, Theol. naturalem ad ſalutem ſufficere; jam ſupra annotavi, eos qui hoc ſtatuant eſſe ſpeciatim *EPISCOPIUM* & *CURCELLÆUM*, quibus etiam addendus eſt *GROTIUS*, qui ſtatuunt, præter Patriarchas ante Oeconomiam Moſis viventes, tales extitiſſe homines, qui per cultum ſecundum ſolum lumen naturæ & dictamen rationis inſtitutum, ſe Deo commendaverint, & viam ad ſempiternam felicitatem ſibi paraverint. Unde iterum concludo, recte contra hos, qui certe ſunt *Remonſtrantes*, affirmari, quod Theol. naturalis ad ſalutem non ſufficiat. Inter *Logomachias* porro A. recenſet, quod contra *Socin.* negetur, *quod ratio humana ſit principium ſive norma, ad quam omnes de religione controverſiæ & ipſemet ſcripturæ ſenſus dijudicari debeat.* Ea quæ A de his in Diſs. dicit, ſatis clarè oſtendunt, ipſum ſtatum quæſtionis non percepiſſe, qui hoc modo ſe habet, ſi mihi licet D. A. docere; nempe *Sociniani* omnia Myſteria hoc prætextu repudiant, quod cum ratione pugnent, ut V. D. ipſe ſupra ex *Cat. Rac. Sect. IV. cap. 1.* citat, adeoque res maximi momenti in ſcriptura revelatas ad trutinam & decempedam rationis examinant; hinc eſt, quod Theologi noſtri contra ipſos defendunt, rationi in exponenda ſcriptura tantum non eſſe tribuendum, ut dogmata fidei ex plurium conſonantium ſcripturæ locorum concorde conſenſu clarè demonſtrata, aut ſenſum ſcripturæ ex vocum & Phraſium vera ſignificatione & orationis contextu evidenter adſtructum, hoc prætextu liceat repudiare, quod cum ratione pugnent, & quidem in rebus quæ vi intellectus humani penetrari non poſſunt; Contra Veri Chriſtiani eſſe, ratiocinationi potius ſuæ quam claræ Revelationi diffi-

diffıcillime detorqueri queant; vellet forſan *SIMPLICIUS*, ut adverſariis omnem fidem denegarem, eosque vere ſuam mentem non aperire, ſed aliam eſſe, quæ latet, verbis nullo modo conſonam; ſed abſit, ut unquam Chriſtianæ caritatis & ſimplicitatis eo usque ſim oblitus. *Tu quis es ô homo, qui judicet alium?* ſed præterea unius aut alterius opinionem tanquam aliis comunem habui, ſi *SIMPLICIO* credendum ſit; Quo autem fundamento innitatur hæc inſimulatio, prorſus me fugit, imo ad tale præjudicium amoliendum jam à limine diſſertationis omnem navavi operam; Lectorem circa fontes vel Authores quos adire erat neceſſe præmonendo; *Eos nempe potiſſimum, qui de Sententia cui favent recentiores edidere tractatus, ſiquidem Theologos à ſuis anteſignanis in pluribus differre, variisque opinionibus, quas illi tuebantur, valedixiſſe, experientia compertum ſit.* Quæ ut Socinianis adpliccm, (cum de his in ſpecie loquatur *SIMPL.*) nonne eos Socino in pluribus valedixiſſe, notum eſt? Nonne etiam inter Socini diſcipulos circa plura capita fuere lites? Quapropter ne quicquam præter eorum men-

diffidere, ita ſecum reputare, Revelationem in ejusmodi caſibus non pugnare cum ratione; ſed cum rationis ſive fallacis ratiocinationis qualicunque ſpecie. Unde iterum concludo, recte hæc contra illos Myſteria fidei ad rationis trutinam examinantes ſtatui, atque D. *COCHETUM* iterum falſo de noſtris Theologis quod Logomachias moveant judicaſſe; Ita niſi mihi inculcatum fuiſſet, ut brevis ſim!, etiam facilè oſtendere poſſem, *HOORNBECKIUM*, *SPANHEMIUM*, aliosque, qui doctrinam Socinianorum extus & intus noverunt, etiamſi non contra *Cat. Racov.* tamen contra *Socinianos*, rectè aſſeruiſſe, textum Authenticum S. Scripturæ plurimis locis non eſſe corruptum; D. Vir enim ut monui nunquam diſtinguit inter Homines cum quibus ipſis Lis fuit; lubens etiam oſtenderem in reliquis controverſiis, ut ſupra feci, quas Author *Logomachiis* accenſet, illum vel ſtatum controverſiæ vel ſenſum Adverſariorum non percepiſſe; ſed anguſtia ſpatii me hic ſubſiſtere jubet.

mentem ipſis adſcriberem, Eorum placita in *CATECHESI RACOV.* quam ſuæ Eccleſiæ nomine publici juris fecere anno ſalutis 1680. potiſſimum quæſivi; Quod ſi aliter quidam Sociniani ſentiant, quam illa Catecheſis, hoc neutiquam mirabitur, qui hæc in illius prœmio legit. *Unum eſt adhuc, quod te monere volumus B. L. de hac Catecheſis noſtræ editione, eam non tam novam in publicum produci quam renovatam; Eſt eadem aliquo modo illa, quæ anno ſalutis 1609. edita, ſed jam plurimis in locis aucta eſt & locupletata, quin & correcta & immutata à præcipuis Eccleſia noſtræ luminibus JOH. CRELLIO, MART. RUARO &c. Non enim erubeſcendum putamus, ſi in quibusdam Eccleſia noſtra proficiat; Non ubique clamandum credimus, ſto in filo, hic pedem figo, hinc me dimoveri ne tantillum quidem patiar; ſtoicorum enim eſt, omnia mordicus deffendere.* In Socinianorum itaque cauſa neque *SOCINUS* ipſe, neque *SMALCIUS*, neque *VOLKELIUS*, neque *WOLZOGENIUS*, neque *SCHLICTINGIUS*, neque *CRELLIUS*, neque alii ſunt audiendi, niſi quatenus prædictæ catecheſi conſentiunt; *Ex hac* (inquiunt loco ſupra citato) *Catecheſi, quam modo publici juris facimus, de noſtro in Religione ſenſu judicari volumus.* His poſitis, has omnes Controverſias cum Socinianis, quas in Logomachiarum claſſem adpoſui, revera in ea locum habere debere, ingenue fatebitur, qui veritati & paci ſtudet. Talis confeſſio equidem à *SIMPLICIO* expectanda non eſt, qui potius multiplicandis Logomachiis quam vitandis operam dat. Quid enim aliud ſunt lites, quas de vocibus *Principii*, *Reformatorum*, *Proteſtantium*, &c. excitavit, niſi meræ Logomachiæ? Verum iis nec finis nec modus unquam erit, dum illi qui ad contra ſentientium placita eruenda ſeſe accingunt, eo erunt ducti animo, ut nihil cum iis comune habere velint, ſed potius longiſſimè quantum licet ab

iis

iis recedant; Talibus minima munſtra videntur, ex voce æquivoca opinionem adverſariis affingendi anſam arripiunt, & (ut uno verbo dicam) non ſecundum veritatem, quæ non quæritur, ſed ex affectibus & præjudiciis, quibus indulgetur, judicium fertur. Tunc craſſa undiquaque prelo committuntur volumina, quorum Authores in mutua odia ſæviunt, mutuis & omnigeneris convitiis ſeſe lacerant. Tractatus autem hac methodo conſcriptos *SIMPLICIO* familiares fuiſſe, omnia ſuadent.

§. XXVIII.

Sed finis coronat opus. Denique parag. 26. ejus criſis verſatur circa quinque miſcellaneas Theſes, quæ ſub finem diſſertationis meæ occurrunt, & in ſpecie circa ſecundam, quæ ſic habet. *Temere & immerito Reformati nomen ſibi vindicat, qui ſcriptum humanum, ut controverſiarum de Religione judicem ſummum habet; Hominem enim, ſeu viva voce ſeu ſcripto loquens, cæca fide audiatur, PAPAM eſſe perinde eſt.* Illius poſterior pars ænigma *SIMPLICIO* & aliis ejus ſociis eſt, *ut ſenſum ejus ne Oedipus quidem aſſequi poſſet;* Quandoquidem verborum quibus conſtat conſtructionem hanc eſſe clarum eſt: *Perinde enim eſt, hominem PAPAM eſſe, ſive audiatur cæca fide, loquens viva voce, ſeu loquens ſcripto.* Oedipi itaque, qui hunc nodum ſolvant, non longe lateque ſunt quærendi; neceſſe non eſt ut hic *SIMPLICIUS* ad illuſtrium virorum manes evocandos Pythoniſſam Endoream agat. Concurrite & adeſte ſolummodo Linguæ Latinæ Tyrones! (g.) In

(g.) Rectè hic D. A. monet, ad verba hæc explicanda *Tyronibus* opus eſſe. talis enim his verbis latini ſermonis ineſt elegantia, ut videatur, latinæ linguæ Tyronem hoc corollarium compoſuiſſe, adeoque ejusdem illius Tyronis explicatione opus habet; nondum tamen ita clare Tyro ille, quem D. Vir advocat, ejus vero perſonam ipſe agit, corruptum hunc locum explicavit, ca-

SIMPLICII & ejus Sociorum gratiam horum verborum ſenſum & ordinem explanate! ita ut rite judicare poſſint, num *tam inviſam* (referente *SIMPLICIO*) *quibusdam Formulam Conſenſus* ob oculos habuerim. Hæc ſunt ultima criſeos *SIMPLICII*, quæ mire cum præcedentibus quadrant.

§. XXIX.

Nunc æquo Lectori dijudicandum relinquo, num nimium præcipitanter à limine reſponſi *SIMPLICIUM VERINUM* illud Eccleſiæ fidelium egregium nomen in ſuis animadverſionibus ementitum fuiſſe dixerim; nequidem umbra *Simplicitatis* Chriſtianæ & *Veritatis* in toto ejus ſermone apparet; Ejus criſis nonniſi malitia & ignorantia ſpectabilem ſeſe reddit, utriusque in ea ſingulare edidit monumentum; ita ut alias omnes hujus generis exercitationes propterea vincat. Quapropter hic duo mirari Lectorem nequaquam dubito. 1. Quidem *Methodum*, qua ſuas animadverſiones concinnavit *SIMPLICIUS*, quæ ſane à ſæculi quo vivimus moribus abhorret, nec ab ullo hodie deſideratur. Beata enim prædicantur noſtra tempora, quod ſæculorum præcedentium Barbaries victa jaceat, *ringensque ſuas mordeat irata catenas*, ſed denuo ſolutis vinculis à *SIMPLICIO* in libertatem vindicatur: Quicquid ſit de hac Methodo αντιδιαλεγομενυς aggrediendi, *SIMPLICIO* propriam eſſe & in poſterum fore exiſtimandum eſt; Ita ut quod olim *TULLIUS* de ævi ſui vitiis graſſantibus, *Vitia* nem-

ſtigavit & in ordinem redegit, ut Latinæ conſuetudini traditus dici poſſit, & idem Tyro, qui in gratiam *SIMPLICII* VERINI locum hunc explicavit, negare non audet, ſub *homine illo PAPA* latere *FORMULAM CONSENSUS*, & eo minus mihi dubium eſt, Virum Doctum naturale contra eam concepiſſe odium, quia ſilentio præterivit animadverſionem meam, quod inter Orthodoxos etiam numeret *Univerſaliſtas*.

nempe *eſſe Temporis non Hominis,* nunc dici non poſſit, quin potius, *vitium eſſe Hominis, non Temporis*, quisque percipit. 2. Ideo & aliud mirum Lectori videbitur, quod ſill. tali criſi reſponſum fecerim, verum ad id multa me moverunt; Cum Clariſſimus Editor *Tempe Helv.* huicce in ſua collectione ſpatium aliquod conceſſerit, id mihi argumento manifeſto eſt, plures ea reputaſſe quæ mihi imputat *SIMPLICIUS*; Præterea quamplurimi ſunt Lectores meam diſſertationem præ manibus non habentes, quos inermes præcipitanter de ea judicium laturos ex ſuis animadverſionibus, uti ipſe exiſtimavit adverſarius meus. Quod ſi rurſus *SIMPL.* animum hunc, ſuperbia ferocientem, furoreque inſanientem, quem nuper exhibuit, prodere vellet, ſolus in arenam deſcendat, ſilebo. Vale igitur B. L. ſtylo noſtro indulge, de rebus non de vocibus judica. *Multi enim hodie Latine, pauci Romane loquuntur.*

VI. JOH. RODOLPHI CRAMERI,

Theologi Tigur. Celeberrimi,

VITÆ FATORUMQUE Brevis Narratio. *

QUod ad vitam, fata atque virtutes *Clariſſimi Anteceſſoris* attinet, miſſis rhetoricationibus & undequaque quæſitis elogiis, ex prolixiore βιογραφίᾳ ab ipſo pie defuncto olim conſignata, ea quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, in ſummam contraham; atque ſervato temporis ordine, quantum quæque mihi noſſe datum eſt, narrabo.

Natus eſt autem *JOH. RODOLPHUS CRAMERUS*, nunc pie defunctus, Anno 1678. die 14. Februarii, *Elcoviæ*, Patre Viro admodum Reverendo *Joh. Jacobo CRAMERO*, Claſſis Elcovienſis *Camerario*, matre vero *Dorothea HULDRICA*. Jactis apud Parentem Linguæ Latinæ & Græcæ fundamentis, 1691. Tigurum miſſus, hoſpitio & menſa uſus Avunculi, Viri *Pl. Reverendi Joh. Jacobi HULDRICI, Canonici & ad ædem Sp. S. Paſtoris*. Adjutus autem eſt *Cramerus* noſter juvenis in ſtudiis ſuis promovendis a fratre ſuo *JACOBO*, *Viro poſtea Clariſſimo*, ſed præmatura morte rebus humanis exemto.

Con-

* Excerpta hæc eſt ex Clar. Succeſſoris *Joh. Jacobi ZIMMERMANNI* Oratione Inaugurali, pag. 26. ſqq. Catalogum autem Scriptorum a Cel. *CRAMERO* in lucem editorum videre licet Temp. Helv, T. II. p. 151-155. add. infra p. 160.

Conſilio optimorum Parentum & Amicorum Medicinæ vacare debuerat Studiis Noſter; at poſtquam inopina morte Parens 1693. deceſſiſſet, filius, fratri obtemperaturus, totum ſeſe ſanctioribus diſciplinis tradiderat, atque in iis ſingulari ſtudio atque animi contentione ita profecerat, itaque ſeſe Reverendis Præſidibus probaverat, ut Anno 1699. in numerum V. D. Miniſtrorum fuerit receptus. Eodem vero anno cum fratre doctiſſimo, ad docendam Theologiam *Herbornam* vocato, ad nobile hoc optimarum artium ac diſciplinarum Emporium commigravit. Hic per biennium ſubſtitit, ab ore fratris pendens, ſingulari cum fructu illius inſtitutione publica & privata uſus eſt, auditis etiam Cl. Viris, *Hildebrando*, *Florino*, *Kirchmeyero*, *Dukero* & *Schrammio*. Non leviter autem Noſtrum turbaverat peracerba mors fratris optimi atque doctiſſimi, febri hectica in ipſo ætatis flore conſumti, Tigurique Anno 1702. demortui.

Ipſe interea, ut curſum ſtudiorum abſolveret, atque fratris olim datis monitis obtemperaret, majoresque in Antiquitatibus Hebraicis progreſſus faceret, relicta *Herborna* Naſſoviorum, totius Belgii ſplendidiſſimam lucem, *Lugdunum Batavorum* contendit, atque ibi familiariter uſus eſt Cl. Viris, *Triglandio*, *Markio*, *Witſio*, optime Noſtro ob ſingularem diligentiam, fratriſque eruditionem & commendationem, cupientibus. *TRIGLANDIUS* inprimis fratris precibus motus effecerat, ut ædibus & inſtitutione Cl. *SURENHUSII*, *Prof. L. Hebraicæ Amſtelodamenſis* uti poſſet, adhibito etiam ad hæc ſtudia proſequenda *Rabbino*, *Iſaaco Polono*, quocum aliquot tractatus Talmudis, adhibitis etiam Commentariis Gemaricis, evolverat. Salutaverat noſter Amſtelodami frequen-

ter doctiſſimos Viros, *Streſonem*, *van Leuwen*, *Alphe. nium*, *Limborchium*, & *Meibomium*.

Poſtquam autem *Ampliſſimorum* Gymnaſii noſtri *Procerum* Benevolentia *CRAMERUS* noſter ad proſequenda ſtudia Philologica eximium nactus fuerat ſtipendium, hortatus eum eſt Frater, tunc temporis adhuc in vivis, ut de ſpecimine Hebraico edendo, atque *Ampliſſimo Magiſtratui* noſtro ad gratam mentem teſtandam inſcribendo, ſerio cogitaret. Cujus voluntati obſecundaturus noſter, adhibitis in conſilium Profeſſoribus Lugdunenſibus, ad vertendas *Conſtitutiones de Primitivis* ſeu *Hilcoth Biccurim*, notisque Philologicis illuſtrandas, animum adjecerat. Quem laborem per modum ſeptem diſputationum ſub præſidio Cl. Virorum, *Triglandii*, *Markii*, & *Witſii*, additis ad ſingulas diſputationes ἐπιμέτροις ex variis diſciplinis depromtis, ſumtibus *Academiæ Lugduno-Batavæ* edi curavit.

Poſtquam autem doctiſſimus Frater, ut dixeramus, præcoci nimium fato abreptus fuerat, *Ampliſſimi* & *Venerandi* Scholæ noſtræ *Proceres* abſentem noſtrum *CRAMERUM* in locum defuncti fratris ſubſtituerunt, demandata illi Linguæ Hebraicæ Profeſſoris in Collegio Inferiori, quod Humanitatis vocant, provincia.

Audito hoc læto nuncio *Noſter* ſine mora circa Junium Anno 1702. itineri ſeſe accinxit, ſalutatisque, qui in itinere occurrebant, Viris Celeberrimis, inſigni Eruditionis copia locupletatus, ſalvus & incolumis ad ſuos fuit in patriam delatus. Redux, oblato *Magnificentiſſimis Patriæ Patribus* libro in Belgio, ut dixeramus, elaborato, d. 18. Septembris novum munus auſpicatus eſt Oratione inaugurali, habita de *Philologis a Reformatione in Schola Tigurina Claris*.

An.

Anno 1703. thori ſociam ſibi adjunxerat lectiſſimam fœminam, *Dorotheam WERTHMULLER*, ex quo conjugio illi aliquot liberi nati, quorum pars mature deceſſit, relictis duntaxat in vivis filia, nupta Viro *Reverendo*, *J. Georgio HIRZELIO*, *Diacono ad ædem Sp. ſancti Vigilantiſſimo*, filioque *Joanne Jacobo*, numero V. D. Miniſtrorum ante annum adſcripto, Viro Juvene modeſtiſſimo, & ad paternam gloriam citis paſſibus graſſante.

Anno 1705. poſt diſceſſum Cl. *Suizeri*, Profeſſoris Theologiæ Heidelbergenſis, facta, ut fieri ſolet, ſtationum mutatione, demandata fuit *CRAMERO* noſtro Hiſtoriæ Sacræ & Profanæ docendi provincia, cui dignitati mox, ita volentibus *Utriusque Ordinis Ampliſſimis Præſidibus*, aliud officium adjunxerant, nimirum ut eſſet *Illuſtri Senatus Eccleſiaſtici Collegio ab Actis*, quo officio difficillimis temporibus per 13. annos ſingulari cum induſtria defunctus eſt.

Anno ſequente 1706. Profeſſionem Linguæ Hebraicæ in Collegio Carolino ornare incepit, ſubſtituto in ejus locum *H. HIRZELIO, Patre, Linguæ nunc Græcæ Profeſſore Celeberrimo*, *Canonico digniſſimo*, & *hoc quidem tempore*, *Rectore Scholæ noſtræ Magnifico*. Hoc ipſo autem anno ad emendandam & perficiendam *H. Altingii* Hiſtoriam Eccleſiaſticam animum adjecit, quam etiam, ut & Cl. *Suizeri* Chronologiam ad ſuam usque ætatem magna cum induſtria perduxit.

Poſtquam autem per aliquot annos ſingulari cum diligentia, nec minore cum ſucceſſu, demandatis ſibi officiis vacaſſet, variisque Collegiis privatis & publicis non ſolum optimarum Literarum ſtudioſos ſibi devinxiſſet, ſed inprimis *Ampliſſimis Præſidibus* ſeſe commendaſſet, anno labentis Seculi 17. in Collegium *Reverendorum Canonicorum* fuit receptus, præſtitaque

que fideliter opera Venerando *Joh. Jac. Lavatero*, *Patri*, *Theologiæ Profeſſori* Præſtantiſſimo, ſed animo & corpore tum temporis languenti, An. 1725. tandem poſt Clariſſimi hujus Viri obitum creatus eſt *Veteris*, ut vocant, Teſtamenti Profeſſor, cui dignitati Anno 1731. poſt obitum Cl. *Holzhalbii*, graviſſimum *Venerandi Canonicorum Capituli Decani* munus adjectum, & denique mortuo Cl. *Hottingero*, Eidem An. 1735. in Profeſſione *Theologica Novi Teſtamenti* ſucceſſit.

At hi ipſi concatenati labores & honores, hæc ipſa munera atque onera, ut eſt cum rebus humanis comparatum, non parum animi, potiſſimum vero corporis, cujus fulturis animus ſuſtinetur, vires attenuarunt atque fregerunt. Duo ferme anni ſunt, cum externa corporis ſpecie vigorem referente fortis tamen & lætus & alacer eſſe defineret; ex quo facile erat ad conjiciendum, intus latere, quod mortalitatem celeraret. Haud multo poſt manifeſtis indiciis proditum eſt, præſtantiſſimum Virum non bona uti valetudine, & malo corporis habitu omnia alimenta corrumpi. Ipſe ſæpenumero, inter familiares, valetudinis adverſa ita querebatur, ut quisque intelligeret, eum quotidie mori, nec pigre & meticuloſe, ſed confirmato animo ultimis appropinquare. Teſtis etiam præter hæc *Meditatio Theologica* in egregia *Pauli II. ad Corinth. V*: *1*. verba, ab Auctore in ipſo languore conſcripta & a nobis edita, cui aliæ inſuper ejusdem argumenti erant, ſi per fata licuiſſet, addendæ. Sperabant equidem Boni omnes futurum, ut hac illacve medicina languentis vires refoverentur; at aliter Sapientiſſimo omnium rerum Moderatori viſum. Poſteaquam enim pauculos dies cum invaleſcente difficultate ſpirandi, quæ hydropem pectoralem prænuntiabat, colluctatus eſſet, pridie Eidus Julias placide, nil tale, qui ægroto adſtiterant, opinan-

opinantibus, ſupremum peregrinationis diem explevit, vix dum LX. ætatis annum ingreſſus. *Fuit, Fuit* ergo *CRAMERUS* noſter, longiore via, ſi quisquam alius, digniſſimus; vocatus a ſummo totius Orbis Rectore ex tenebris ad ſplendiſſimam lucem, ad ærumnarum curarumque concatenatorumque laborum requiem, & cœlicolarum choris miſtus, delicias a Jeſu partas cœpit prælibare.

De virtutibus ipſius & eruditione ut prolixe diſſeram, neceſſe non eſt. Cum enim Vos omnes teſtes habeam, quanta cum diligentia, cura atque ſollicitudine, ſpartam utramque exornarit; quos labores & moleſtias devoraverit; quot egregios libros ſcripſerit; quanta eruditione, pietate, gravitate atque humanitate eluxerit; quam bene de Eccleſia noſtra & Gymnaſio noſtro meritus fuerit; pluribus dicere nil attinet. Deo potius O. M. æternas dicamus grates, quod *CRAMERUM* Scholæ noſtræ bono per plures annos conceſſerit, Eumque rogemus, ut tales ſemper nobis concedat Doctores, qui eruditione, pietate, morum gravitate cæteriſque Bonorum Virorum virtutibus ornati, nobilitatique ſint.

* * * * * * * * *

VII.

VII.

Nova Litteraria.

CUm jam ex aliquo tempore Celeberrimæ Academiæ Helveticæ ex obitu Clariſſimorum Virorum, ut in novis literariis Sectionis VIII. ſignificavimus, triſtes ſtarent & attonitæ, acceſſit novus dolor ex morte Viri Admodum Venerandi atque Celeberrimi, *Joh. Rodolphi CRAMERI*, S. S. Theologiæ in Academia Tigurina Prof. Primarii, atque Collegii Canonicorum Decani meritiſſimi, qui prid. Eid. Julii placidæ peregrinationis ſuæ diem explevit, poſtquam per aliquod tempus adverſæ valetudinis aſſultibus fuiſſet conflictatus. Petiit autem tanti Viri memoria, ut ejus vitæ fatorumque prolixiorem nonnihil jamjam exhibuerimus deſcriptionem. Succeſſor ipſi deſignatus in Cathedra Theologica Vir Pl. Reverendus atque Celeberrimus, *Joh. Jacobus ZIMMERMANNUS*, plurimis jam editis in orbem literatum ingenii & eruditionis haud vulgaris monumentis celebris, Hiſtor. Eccles. & Jur. Nat. hactenus Prof. cui in Hiſtoria Eccleſiaſtica ab Ampliſſimis Academiæ Tigur. Proceribus ſucceſſor datus Cl. *Joh. Henr. HIRZELIUS*, *Fil.* V. D. M. & Eloquentiæ Profeſſor. Ad vacuam vero ſedem, quæ docendo Jur. Nat. deſtinata eſt, vocatus Vir Rev. & Doctiſs. *Joh. Jacobus WYSS.*

Novi

Novi etiam in Academia Baſileenſi beate defunctis ſucceſſores dati; atque exinde Antiſtitis dignitas collata Viro Pl. Venerando atque Doctiſſimo *Joh. Rodolpho* *MERIAN*, Paſtori in Templo S. Eliſabethæ dicato meritiſſimo. Ad Profeſſionem V. Teſtamenti ſuis vocatus meritis Vir inclytus *Ludovicus FRET*, S. S. Theol. Doct. Ling. O. O. & Hiſtor. Prof. cui tandem ſurrogatus in Profeſſione Hiſtoriarum Vir Rev. & Clariſſimus *Jacobus Chriſtophorus BECKIUS*, V. D. M.

Libri vel Diſſertationes prodiere.

1. Specimen Hiſtorico-Politicum de inſtitutis militaribus Helvetiorum, quod Præſide *Joh. Rod. ISELIO* defendit *Joh. Petrus STUKELBERGER*. Baſileæ 1737. 4. plag. 4.
2. Diſſertatio Juridico - Politica de Jure Legatorum Liberæ Reipubl. Helvetiorum, quam præſide *Joh. Rodolpho ISELIO*, defendit *Emanuel FALKNER*, V. D. M. Auctor & Reſp. Baſil. 1737. 4to plag. 4.
3. Diſſertatio Philoſophica, de Judiciis Temerariis. quam Præſide *Petro RYHENERO*, Log. Prof. Ord. defendit *Petr. RAILLARD*. Baſil. 1737. 4to plag. 4.
4. Theſium Philoſophicarum Collectio 2. quam Præſide *Joh. Balth. BURKHARDO*, Rhet. Prof. defendit *Joſeph. BURCKHARD*. Baſil. 4to plag. 3. 1737.

5. Diſſertatio Philoſophico-Politica, quam ſub præſidio *Joh. Georgii ALTMANNI*, defendit Auctor *Joh. Jac. WOLFIUS*, V. D. M, Bernæ 4to plag. 9. 1737.

6. *Joh. Georgii ALTMANNI*, Diſſertatio Philologico-Exegetica de actis Apoſt. Pauli apud Epheſios, ſecunda, quam defendit Frid. Huldricus. Bernæ 4to plag. 4. 1737.

7. Examen de L'Eſſay ſur l'homme de Mr. *POPE*, par Mr. *DE CROUSAZ*, 8vo Lauſanne. Chez Bouſquet. plag. 10. 1737. Exhibet hic liber refutationem Philoſophiæ Leibnitzianæ, quam an viderit Poëta celeberr. Pope, valde mihi eſt incertum.

8. *Joh. Rod. CRAMERI*, Theologi dum viveret in Tigurinis Clariſſimi, Meditatio Sacra in verba S. Pauli, quæ 2. ad Corinth. V: 1. Beatitudinem in Domino morientium veram ac certam demonſtrat. Eam una cum annexis Theſibus Theologicis publice defendebat *Joh. Jac. Zimmermannus*, S. Theol. Prof. & Candidati ſeqq. Balth. Wolfius, Georg. Oerius, Caſp. Oſvvaldus, Caſp. Müllerus, Joh. Jac. Tſchudi, Glar. Tiguri 1737. 4to pl. 5½.

9. Die Lieblichkeit der Wohnungen Gottes, vorgeſtellet in unterſchiedentlichen Predigten, über den 84. Pſalm, zuſamt zwey Predigten, bey Anlaas der ledig- und wider beſezt-gewordenen Oberſt-Pfarr-Stell, über den 95. Pſalm, gehalten von **Johann Baptiſt Ott**, Archidiacon und der Stifft zum Groſſen Münſter, Zürich bey Joh. Heinrich Bürckli 1737. 8. 10. Bogen.

10. Grund-

10. Grundliche und Schrifftmäßige Abhandlung des VIII. XI. und XII. Capitels der Epiſtel St. Pauli an die Römer, wie ſelbige in offentlichen Predigten vorgetragen, und nun auf Begehren dem Druck übergeben worden, von **Johann Heinrich Frieß**, Pfarrer der Kirch bey St. Peter, Zürich, bey Johann Heinrich Bürckli, 1737. 4. 5. Alphabet.

11. *Joh. Jac.* REUTLINGERI Grammatica Germanico-Latina *major*. Oder grundliche Anweiſung die Art der Latein. Sprach aus und nach der Teutſchen glücklich zubegreiffen, und ſelbige auf eine anſtändige Weiſe zugebrauchen; alſo abgefaſſet, daß das meiſte in Teutſchen Haupt-Reglen, Anmerckungen und Exceptionen auf das deutlichſte und einfältigſte vorgetragen; Fehrnere Notæ ſamt der Proſodie in Lateiniſcher Sprach beygefügt, und alles mit vilen und klaren Exemplen aus den Authoribus Claſſicis erläutert und bekräfftiget wird; ſamt dienlichem Regiſter: Für die Schul zu Zürich ausgefertiget, Juſſu & Auctoritate Superiorum. Zürich, bey Heidegger und Comp. 1737. 8vo 2. Alph.

12. *Davidis* LAVATERI, Philoſ. Prof. Ord. Theologiæ Naturalis *Pars Secunda*, ſiſtens brevem delineationem Attributorum Divinorum. Reſpp. Balthaſare Wolfio, Georg. Oerio, Henr. Hottingero, Caſp. Oſvvaldo, Dav. Schmuzio, Jac. Schmidlino, Abrah. Rordorfio, & Jac. Tſchudi, Glaronenſi, Tig. 1737. 4to pl. 3½.

13. **Des Freyherrn von Canitz** Satyriſche und ſämtliche übrige Gedicht nach Herrn Königs Leſarten / auch mit deſſelben abgekürzten Hiſtoriſchen Erklärungen ; ſamt einer Vorrede von der Dicht-Art des Verfaſſers, und den Quellen des Vergnügens, das aus ſeinen Gedichten flieſſet. Zürich, in Verlag Hans Ulrich Däntzlers, 1737. 8vo 9. Bogen.

14. **Jacob Lauffers**, Profeſſ. Eloq. & Hiſtor. genaue und umſtändliche Beſchreibung Helvetiſcher Geſchichte, aus den bewährteſten Verfaſſern der alten und neuen Hiſtorien und darzu dienenden Urkunden zuſamen getragen, Zwölffter Theil / von 1600. bis zum Friede mit Savoyen. 1615. Zürich, verlegts Conrad Orell und Comp. 1737. 8vo ein Alphabet.

15. *Joh. Jacobi* ZIMMERMANNI, S. Theologiæ Profeſſ. Oratio de præcipuis Virtutibus, quibus S. Theologiæ Profeſſorem ornatum eſſe oportet ; dicta a. d. 10. Sept. 1737. quum Profeſſionis Theologicæ Munus in Athenæo Patrio ſolemniter auſpicaretur. Acceſſit brevis Vitæ Fatorumque *Joh. Rodolphi* CRAMERI, Anteceſſoris Clariſſimi, Narratio. Tiguri, ex Officina Heideggeriana, 4to plag. 5.

16. *Ejusdem* Diſquiſitionis Hiſtoricæ Theologiæ de Viſionibus, quæ primis quatuor poſt Chriſti & Apoſtolorum exceſſum Seculis, Chriſtianis quibusdam contigiſſe dicuntur ; *Pars prior.* Reſpondente Joh. Caſp. Pfenningero, V. D. M. Aſſumente

mente Joh. Henr. Goſsvveilero, S. Theol. Stud. poſtridie Synodi Autumnalis. Tiguri, ex Officina Geſsneriana, 1737. 4to pagg. 59.

****

INDEX
Sectionis Nonae.

I. *Ludovici* BURGETI Diſſertatio de vero atque genuino Juris Naturalis ſtudii uſu. pag. 9.

II. Hiſtoria Vitæ, Operum & Obitus Viri Clar. *Jacobi Chriſtophori* ISELII, S.S. Theol. & in Academia Baſil. Prof. Publ. p. 42.

III. *Joh. Conradi* FUESLINI Commentatio Philologico-Critica in Rom. V: 13. p. 61.

IV. *Joh. Georgii* ALTMANNI ΠΕΝΤΑΣ Obſervationum Græcarum ad quædam loca Novi Fœderis. p. 76.

V. *Ludovici* COCHETI, Reſponſio ad *Simplicii Verini* Animadverſiones Crit. in Diſſertationem de Syſtematibus Orthodoxorum, Remonſtrantium ac Socinianorum, Tempe Helvet. Tom. II. Sect. 2. pag. 311. contentas; Additæ ſunt ejusdem *Simplicii* VERINI Notæ ad hanc Reſponſionem. p. 96.

VI. *Joh. Rodolphi* CRAMERI, p. m. Vitæ Fatorumque brevis Narratio. p. 152.

VII. Nova Literaria Helvetica. p. 158.

Digitized by Google

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Tertii

Sectio Secunda.

TIGURI,

EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.

M DCC XXXVIII.

VIRO

Spectatisſimo, Nobilisſimo, Honoratisſimo,

MARCO MORLOT,

Illuſtrisſimæ Reipublicæ Bernenſis
Senatori Ordinario.
Collegii Spectatisſimi, quod Mercaturæ & Nundinationi præeſt, Præſidi Meritiſſimo.

Academiæ Bernenſis
Atque
Lauſannenſis
Curatori Benevolentiſſimo.

Literarum atque Literatorum
Mæcenati Optimo.

Hanc Sectionem Tomi Tertii
Secundam

MISCELLANEORUM
Theologico-Philologico-Criticorum

Eo quo par eſt cultu
Offert & conſecrat

J. GEORGIUS ALTMANNUS.

I.

MARCI MORLOTI*

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

IDOLOLATRIA

GENTILI.

Argumentum.

§. I. Neceſſitas indagandi Veterum Idololatriam ad plurima loca S. Scripturæ exponitur. §. II. Origo Idololatriæ ad poſteros Chami refertur. §. III. Ab

 his

* Scripſerat hanc Diſſertationem Vir Nobiliſſimus atque Spectatiſſimus, cui propter inſignia in Rempublicam & orbem literatum merita hanc Sectionem Sacram fecimus, anno 1688. cum in Belgio ſub ductu Celeberrimorum Virorum, præſertim autem *Herm. Witſii*, animum ſuum elegantiſſimarum literarum cognitione imbueret. Cum autem in pauciſſimis pagellis omnia ea Vir Ampliſſimus exhibuerit, quæ alii in magnis voluminibus vix tradere potuerunt, eruditam hanc Diſſertationem, cum in paucorum hodie ſit manibus, hoc loco merito recudendam eſſe exiſtimavimus. J. G. Altm.

his deſcendit Idololatria ad Chaldæos, Ægyptios & Arabes, illaque à Phœnicibus, commercium ubique exercentibus, in varia loca fuit deportata. §. IV Initia Idololatriæ fuerunt rudiora, nec ſtatim ad illum devenit cultus & ſuperſtitionis gradum. Solem primos idololatras adoraſſe probatur. §. V. Ritus antiquiſſimorum idololatriæ exponuntur. Primus uſus fuit templorum & altarium. §. VI. Mox lucorum. §. VII. Sequebatur adoratio & inter numina Heroum relatio. §. VIII. Plurima ex hiſtoria ſacra in cultum gentilem translata fuiſſe, demonſtratur. §.IX. Quænam fuerit idololatria in colendis Baalim. §. X. Devenit tandem idololatria ad ipſa animalia, quod probatur, & productis exemplis aſſeritur & explanatur. §. XI. Quomodo Deos ſuos paulatim etiam in forma animalium, hircorum præſertim, coluerint, exhibetur. §. XII. Ægyptiorum idololatria latius exponitur. §. XIII. De cultu Apidis & vituli aurei diſſeritur.

§. I.

Pythagoręorum illud, *μὴ εἶναι πρὸς πάντας πάντα ῥητὰ*, temere infregiſſe cenſebantur, quotquot curioſè nimis de Diis, ea quæ celanda eſſent, effutierunt. Hinc in Homerum ac Heſiodum tetricam hanc ſententiam ferre Pythagoras, referente divo Hieronymo, non dubitavit, ſe vidiſſe Heſiodi animam, columnæ æreæ adſtrictam, & Homeri, ex arbore ſuſpenſam, propter ea quæ de Diis dixerant. Ægyptii pervetuſti illi mythologi, eâ ſanè prudentiæ famâ apud cæteras gentes inclaruere, quod myſteria ſua miris ambagibus involvere noſſent, ne ſcil. incautum vulgus profanis ſuis oculis ea teme-

raret. Hinc Plutarchus, in libello de Iſide & Oſiride, ubique Sphinges ante templorum limina collocatas aſſerit, myſticis ſcilicet animantibus myſtica ſua ſacra indigitantes. Nimis curioſum, ac beatis noſtris temporibus parum conveniens, etiamnum forſitan quis clamabit, de antiquis Gentilium Deaſtris diſſerere, potiùs ſepeliendis quàm in medium protrahendis. Cui adſtipularer, niſi reclamarent ſacræ pagellæ, quæ quidem veterem εἰδωλοποιΐαν, non ita ſiccô prætereunt pede, quin nonnunquàm idolorum interſerant nomina, ac idololatricos perſtringant ritus. Hinc vox cantantium Exod. 32: 18. item com. 6. *ſedit populus ut manducaret ac biberet & ſurrexerunt ut luderent.* Ritus verò hos in Ægypto in honorem Apidis Memphitici, vel Mnevis Heliopolitani, uſitatos fuiſſe, cuivis vel leviter in antiquitatibus exercitato notum eſt. Hinc etiam nomina Baal, Baal-Peor, Baal-Berit, Teraphim, & alia ſatis frequentata in ſacro codice; niſi itaque vel otioſi, vel negligentes, ſcripturarum lectores velimus eſſe, omnino noſtrum eſt ſcire, quid per nomina hæc Spiritus Sanctus intelligat. Hac ergo de materia in præſentiarum agere decretum eſt, in quantum & tenue ingenium, & anguſtæ permittunt pagellæ.

§. II.

Diaboli fœtus idololatria, diluvii undis non ita potuit extingui, quin mox renaſceretur, ac renatus majora quam antea acciperet incrementa; non uno tamen partu eſt in lucem editus, nec unam tantum habuit matrem. Indubium eſt, Ægyptios, è Chami poſteris ortos, albo ipſius progenitorum jure merito inſcribi poſſe: id tradunt fere quotquot ſunt Authores profani. Sic Herodotus de Ægyptiis in Euterpe, *βωμοὺς καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς, θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους, καὶ ζῶα ἐν λιθοῖσι ἐγγλύψαι.* h. e. *Altaria, & imagines, & delubra, primos (Ægyptios ſcil.) Diis tribuiſſe, nec non primos*

mos animantia lapidibus inſculpſiſſe. Sic Diodorus Siculus Biblioth: Hiſt. Lib. 1. ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν Αἴγυπτον θεῶν τὰ γενέσεις ὑπάρξαι μυθολογοῦνται; *Siquidem in Ægypto Deos natos eſſe fabulantur.* Lucianus itidem de Deâ Syriâ, πρῶτοι μὲν ἀνθρώπων, &c. *Primi hominum quos ſcimus Ægyptii, dicuntur Deorum percepiſſe ſcientiam, templa ſtatuiſſe & lucos.* His non poſtponendi ſunt Zabii, vel Zabæi, vetuſtiſſimi illi idololatræ, de quibus multa habet Maimonides More Nevoch. Part. 1. Cap. 29. *Notum eſt, Abrahamum patrem noſtrum educatum eſſe in fide Zabiorum, qui ſtatuerunt, nullum eſſe Deum, præter ſtellas: dicunt ſtellas eſſe divinas, & ſolem eſſe Deum magnum, ita quoque dicunt, reliquos quinque planetas eſſe Deos, ſed duo luminaria majores,* &c. Per Zabios autem qui populi intelligendi ſint, non facile dici poteſt; veroſimile eſt Orientaliores populos, quales fuere Chaldæi, Aſſyrii, Arabes, hoc generali vocabulo indigitari; cum certum ſit, has gentes jam ab antiquo idololatriæ deditas ac immerſas fuiſſe. †

§. III.

Sicut Chaldæi, Ægyptii, Arabes, idololatriæ ſunt Authores, ſic Phœnices illius diſpenſatores, quique eam longe lateque per terrarum orbem propagarunt.

† Quinam ſint Zabii, vetus & difficilis eſt, ut recte omnino animadvertit Vir Ampliſſimus, apud eruditos quæſtio, hinc etiam Viri Celeberrimi in diverſas abiverunt de Zabiis ſententias; hanc difficultatem agnoſcit *Spencerus in Præfatione Lib. 2. de Legib. Judæor.* Frequens equidem Zabiorum mentio apud Scriptores Arabes, altum autem apud Græcos & Romanos ſilentium. Quinam autem per Zabios ſint intelligendi, omnium optime nobis expoſuiſſe videtur *Hottingerus Hiſt. Orient. Lib. 1. Cap. 8. p. 170.* quem etiam ſequitur ipſe *Spencerus* l. c. hoc ſolo diſcrimine, quod hic putet, limites Zabiorum latius eſſe extendendos, quam putavit Hottingerus; verba Spenceri hæc

runt. Phœnicum gens etſi non ſit obſcura, nomen tamen incertæ ac obſcuræ originis eſſe, jam dudum a Viris Doctis obſervatum eſt. An autem ſic dicti fuerint, quaſi בני ענק, eo quod inter Cananæos Anakeorum familia omnes alias & corporis mole, & virtutis ſplendore ſuperarit, quod eruditiſſimo Bocharto placet, in ſuo Canaan Cap. 1. ſive Phœnices quaſi rufi, φοίνιξ enim & purpuram & rufum ſignificat, adeo ut φοίνιξ idem ſit quod ἐρυθρός, ac reſpondeat Hebræo אדום. Sic autem vocati fuerint Tyrii, eo quod e mari rubro, ita ab Idumæis illud occupantibus dicto, primum ſolverint, quod *Gerardo Voſſio, libro de idololatria gentili 1. Cap. 54.* arridet: ſive tandem Phœnices, quaſi בני נסים, eo quod profligati Cananitæ ab Iſraëlitis, fuga ſalutem quærere coacti fuerint, hinc eorum poſteri, qui ſe in munita loca, qualia fuere Tyrus & Zidon, ut bona ſua tueri poſſint, receperunt, filii fugientium vocati fuerint: quæ non minus ingenioſa Etymologia nuper a Clariſſimo Vitringa, Profeſſore Franequerano, data eſt; hic nec noſtrum eſt determinare, nec diſquirendi locus. Nobis ſufficit, extra omnem dubitationis aleam eſſe, Phœnices mortalium primos mari potitos, rei nau-

 ticæ

ſunt. *Hottingerus aliique, Zabios illos eosdem fuiſſe cum Sabiis & Sabæis, ſentiunt, quia eorum nomen haud multum abludit à Zabiorum nomine. Ego ipſe nomine illo, ſenſu latiori ſumto Veteres Idololatras omnes, Chaldæos, Arabes, Sabæos, hoc nomine intelligendos eſſe opinor.* Sub finem autem Cap. 1. Lib. 2. concludit Spencerus, quod per Zabios intelligendi ſint Orientis populi plurimi, & quod nomen Zabiorum fuerit commune pluribus, quia tam late fuerit aſſumtum, ut nomen Chaldæorum, vel Ægyptiorum, quo titulo gaudebant omnes artis magicæ aſſeclæ. Prolixe autem de Zabiis dicere, eſſet actum agere poſt *Spencerum Lib. 2. Cap. 1. &c.* J. G. Altm.

ticæ operam dediſſe, ac colonias undique terrarum emiſiſſe, hinc una cum ritibus Orientalibus, cultum idololatricum, in ipſo Orientis ſinu ortum, in regionibus occidentalioribus propagaſſe. Περσέων μὲν οἱ λόγιοι Φοίνικάς φασι γενέσθαι τῆς διαφορῆς αἰτίους, &c. *Perſarum ſapientes dicunt, diſſenſionum Authores extitiſſe Phœnices, qui a mari, quod rubrum vocatur, in hoc noſtrum proficiſcentes, continuo navigationibus incubuerunt;* inquit Herodot. Lib. 1. ab init. Pompon. Mela Cap. 12. Lib. 1. *Phœnices* vocat *Solers hominum genus, literas & literarum operas, aliasque artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commentos.* Hinc Græci, ac penè omnes populi occidentaliores, Phœnicum ope, orientalium literas, artes, ſacra, etſi nonnihil interpolata, & quicquid ingenii humani ſapit acumen, acceperunt. Cadmum Phœnicem fuiſſe, ac ex Cadmonæis, de quibus Moſes Gen. 15:19. clariſſimè probat Celeberrimus Bochartus in ſuo Phaleg. Cap. 19. illum verò cum Phœnicibus, doctrinas ac literas non antea uſitatas Græcos docuiſſe, dicit Herodot. in ſua Terpſich οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, ἐσήγαγον διδασκάλια, καὶ δὴ καὶ γράμματα οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι ὡς ἐμοὶ δοκέει. h. e. *Phœnices illi, qui cum Cadmo venerunt, introduxerunt doctrinas, ac literas, quæ ut mihi videtur, non antea Græcis in uſu fuerunt.* Sed ne nimis à ſcopo abripiamur, hæc prælibaſſe ſufficit.

§. IV.

Ac porro notandum, idololatriæ initia fuiſſe admodum rudia: nec enim mortales tantam & vix numerabilem primitus Deorum turbam cultu religioſô proſequuti, qualem proceſſu temporis Hierophantæ, ac Diaboli ſatellites, humano generi obtruſerunt. Magnificentia ac ſplendor templorum aurô & argentô micantium, nimis etiam mores excultos ac politius redolet ingenium, quam ut primis ac ſimplicibus

poſt

poſt diluvium ſæculis adſcribi poſſit; ſimplici nimirum ætati competit ſimplex cultus divinus. Hinc divinitatem primi mortales ſenſu ac uſu metientes, eos haud dubie primum in Deorum numerum receperunt, quos optime de ſe meritos, ac quorum ope non parum commodi ac boni ad ſe provenire experiebantur. Sic Soli, magno lucis diſpenſatori, gratiſſimam lucem ac diei viciſſitudinem deberi, quotidianâ edocti experientiâ, omnium primo honorem divinum haud dubie exhibuerunt, cui mox lunam ac cætera corpora cœleſtia, tanquam Θεὺς βυλάιυς, *Deos Conſiliarios*, (ut Seldenus de Cultus Extr. prim.) ſive inferioris ordinis, adjunxere. Cum omnium penè gentium animis infixum eſſet, eorum ſuavi influxû lætas fieri ſegetes, agros fœcundari, arbores progerminare, ac vineta uberes proferre fructus. Sanè hæc ipſa ratio eſt, cur cultui ſolis ac lunæ (quam מלכת השמים vocat Jeremias) Iſraëlitæ adeo mordicus adhæſerint, quam optimè obſervat Pater R. David Kimchi, quem citat filius ad Caput 2. Hoſeæ, in hæc verba, אחרו מאהבי: ואאז״ל פי׳ ; אחרי חשמש חירח והכוכבים שהיו עובדים להם וכזונתם היתה כי הם נותנים מזונם ספוקם וכול *h. e. pater meus p. m. explicat, poſt ſolem, lunam ac ſtellas quas coluerunt, exiſtimantes, ſibi ab iis ſuppeditari cibum ac neceſſaria ſua.* Adeò ut probabile ſit, ſolem ac cætera corpora cœleſtia, prima cultûs idololatrici objecta fuiſſe; quod & ipſe magnus Rambam notat, etſi malè Henoſum inter idololatras ponat, deluſus ſcil. ſiniſtrâ interpretatione verborum Geneſ. 4. אז הוחל לקרא בשם יהוה. Verba ejus ſunt in Libr. de Idol. Gent. אמרו האל ברא כוכבים אלו והגלגלים להנהיג את העולם ונתנם במרום וחלק להם כבוד והם שמשים משמשים לפניו ראוים הם לשבחם ולחלוק להם כבוד וכו׳: h. e. *dixerunt, ſiquidem Deus creavit luminaria illa ac ſphæras ad regendum mundum, & poſuit illa in altum, & tribuit illis honorem, & ipſius*

ipſius ſunt miniſtri miniſtrantes coram ipſo, conveniens eſt ut illa laudemus, & honorem iis tribuamus, &c. Hoc & Diodori Siculi calculo comprobatum eſt, cujus in libro 1. Bibl. Hiſtoriarum hæc ſunt verba. Τὺς δ' ὖν κατ' Αἴγυπτον ἀνθρώπυς, τὸ παλαιον γενομένυς, ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας, καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεὺς ἀιδίυς τέ καὶ πρώτυς, τόν τε ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην. h. e. *vetuſtiſſimi in Ægypto mortales mundum ſupra ſe ſpectantes ac omnium rerum naturam demiratos, putaſſe duos eſſe æternos ac primos Deos, ſolem ſcil. & lunam.* Hinc Deus rigido admodum præceptô hæc idololatriæ objecta, in qua præ aliis malè ſanum ingenium humanum maximè pronum eſſe videtur, profligata voluit. Deut. 4: 19. *ne fortè tollas oculos in cælum, & videns ſolem, lunam, ac ſtellas, cum omni exercitu Cælorum, impellaris,* והשתחוית *ac incurves te coram illis, ac colas ea.* Ad quem locum R. Aben Ezra notat: השמש והירח שהם המארים הגדלים: *Sol & luna, quia maxima ſunt luminaria h. e. quæ maximè in ſenſus incurrunt, ac ad quorum cultum homo proclivis* eſt. Paulò poſt addit, ne impellaris כי יש לכול עם ועם כוכב ידוע וכן יש מזל לכול עיר ועיר. *Quoniam una quæque gens colit peculiare ſuum aſtrum, una quæque urbs peculiarem planetam:* quod verum eſſe fatebitur quivis, cui non ignotum, ſicuti cœleſtium corporum cultus primitus, ſic dein generaliter, apud omnes penè gentes locum inveniſſe. Quis enim neſcit, ſolem ab Ægyptiis ſub Oſiridis nomine (non unum tamen tantùm Numen hoc nomine Ægyptii indigitarunt) cultum fuiſſe? Phœnicibus ac Syris, ſub Adonidis involucrô, ſummâ etiam in veneratione erat. Adonidem enim Phœnicibus eundem eſſe qui Ægyptiis Oſiris, notat Celeberrimus Præſes in ſuis Ægyptiacis pag. 67. Cujus ἀφανισμὸν ſive receſſum in Menſe Junio deflebant. Hinc idem Adonis Hebræis תמוז dictus, de quo Ezechiel Cap. 8: 14. inſanarum

narum muliercularum deſcribens planctum à Deo in ſpiritu ipſi monſtratum. Pariter מולך, etſi שיקוץ בני עמון *Abominatio filiorum Ammon*, 1. Reg. Cap. 11: 7. vocetur, non tamen idolum ſolis Ammonitis proprium, ſed & cæterorum Orientalium, putà Aſſyriorum, Chaldæorum, numen fuiſſe, quo ſolem præcipuè in ſimulacro coluerunt, eruditè à Doctiſſimô Spencero obſervatum eſt Cap. 1. lib. 2. de ritibus Hebræorum: quem τεκνοθυσίᾳ placaſſe ac luſtratione igne factâ, ejus ſacris liberos initiaſſe, non uno ex locô ſcripturæ ſacræ patet. Hinc eum eundem fuiſſe cum Saturno, quem horrendâ liberorum immolatione cultum fuiſſe conſtat, etſi non ſatis firmâ conjecturâ, quidam exiſtimarunt. Sic Perſarum numen Solem fuiſſe omnes norunt, Maſſagetarum itidem Deum, & quidem ſolum, tradit Herod. lib. 1. θεῶν δὲ μοῦνον ἥλιον σέβονται, τῷ θύουσι ἵππους. Pariter Lunam penè ab omnibus Orientalibus, Ægyptiis ſub Iſidis, Zidoniis Aſtartæ, Perſis Mitræ, Aſſyriis Milittæ, Arabibus Alilat, Babyloniis Veneris nominibus, cultam fuiſſe, probat Seldenus in ſuo de Diis Syris libro. Cæterorum verò Aſtrorum cultum in Ægypto, Chaldæa, Perſia, viguiſſe, apud omnes in confeſſo eſt; ut hinc pateat, quàm longè latèque, proceſſu temporis, cœleſtium corporum cultus fuerit diffuſus. Itaque ne populus Iſraëliticus in ſacra lunæ, cui primi quique Menſis dies apud Idololatras ſacri erant, rueret, Deum Neomenias inſtituiſſe Spencerus hariolatur, quibus detinendo domi populum ſuum ac ſacris ſuis occupando, cavit, ne ſacris Gentilium, ubique receptis, ex occaſione illaquearetur.

§. V.

Sed ut in viam redeam, ſimplici cultu ac non ridiculo, variisque modis fraude Diaboli interpolatô, qui ſequioris demum eſt ævi, antiquiores gen-

tes, in Diis placandis ac propitiis ſibi reddendis uſæ ſunt. Inter vetuſtiſſimos colendi ritus, illum qui Hebræis השתחוה, quod propriè manum ori capite inclinato admovere ſignificat, non immeritò ponit Seldenus, ferè ab initio proleg. Hinc Job in Apologia ſuâ adverſus amicos, *ſi adſpexi lucem cum ſplendet*, ותשק ידי לפי *ſi manus mea deoſculata eſt os meum*, R. Aben Ezræ gloſſa ad hunc locum hæc eſt : ידי לפי ; ממיני עבודת זרה כי רוכי הקדמונים קדם באו הנבאים היו עובדים שני המאורות וכול : h. e. *hic ritus eſt Idololatriæ ſpecies : quia ante prophetarum adventum duo luminaria plerique Orientalium ſic colebant.* Pariter multò ante templorum uſum, במות Excelſa, editiora loca, colles, Antiquos idololatras ſacrificiis offerendis, precibus fundendis, ac cultui ſacro peragendo. præ aliis elegiſſe, eo magis credibile eſt, quod tempore Iſraëlitarum uſus eorum ubique ferè invaluerit. Perſuaſi nempe erant, preces ac vota eò citius à Diis ſuperis exaudiri, quo cœlo propiores eſſent. Eandem ob rationem Diis inferis poſteriori ævo ſacra facturi, humiles deligebant aras, ut minus a Diis his, quos in locis ſubterraneis ſedem habere fabulabantur, remoti, eò facilius gratiam ac favorem eorum aucupari poſſent. Morem priorem apud Perſas uſitatum fuiſſe, notat Herod. lib. 1. *ἀγάλματα μὲν καὶ νηὰς, καὶ βωμὰς ἐκ ἐν νόμῳ ποιεμένες* &c. *imagines, templa, altaria, nulla ſecundum eorum legem conſtituunt, ſolent Jovi, aſcendentes altiſſima montium, ſacrificia offerre.*

§. VI.

Lucorum uſus, qui Hebræis אשרים dicuntur, non minus antiquus eſt : quod rurſus Seldeni ſuffragiô confirmatur, Cap. 2. Syntag. 2. Morem hunc antiquiſſimum lucos aut arbores frondoſas Diis conſecrandi, ubique in Oriente receptum proceſſu temporis fuiſſe, ex frequenti mentione Script. S. colligere facile eſt : imò non intra Orientis terminos ſubſtitiſſe, ſed

ſed in Europam penetraſſe, ac inter Græcos & Romanos uſitatum fuiſſe, certum eſt. Hinc nomina, *Diana Nemorenſis*; *Jupiter* ἐνδενδρος. Germanis noſtris itidem olim familiarem fuiſſe, docet Cluverius lib. 1. German. antiquæ Cap. 54. Nec mirum eſt, Gentes pleraſque morem hunc in deliciis habuiſſe, cum luci obſcuri in regionibus præcipuè Orientalibus, ubi omnia plerumque æſtu ac ſolis ardore torrentur ac areſcunt, non potuerint idololatris non eſſe gratiſſimi: utpotè qui amœnitate ſuâ (erant enim plerumque conſiti ex Cedris, aliisque ſpecioſis arboribus) oculos plurimùm paſcebant, ac umbrâ ſuavi, æſtu laborantes, refrigerabant. Iisdem ſanè illecebris populus Iſraeliticus illectus, lucos, ac עץ רענן lignum viride, adeò deperibat, ut poſthabitô Dei præcepto Deut. 16: 21. in hunc morem laxatis habenis quâvis datâ occaſione rueret. Hinc, Jud. 5: 7. *ſervierunt Baalim & אשרות*. quanquam hoc in loco per אשרות עשתרות ex collat. Jud. 2: 15. intelligi poſſit, ſic 2. Paral. Cap. 15: 16. Jerem. 2: 20. Ezech. 6: 13. &c.

§. VII.

At in corporum cœleſtium cultu non ſubſtitit animus mortalium, ad idololatriam proclivis, ſed mox acceſſit Heroum ac Baalim cultus, cujus non una fuit cauſa & ratio. Qui beneficiis humanum genus obſtrinxerunt, vel re præclarè geſtâ, vel inventô quô multum commodi in homines redundaret, eorum memoria non potuit non eſſe poſteris chariſſima: hinc monumenta ad nomen ab interitu vindicandum erecta, acceſſerunt anniverſaria feſta, eorum virtutibus ac inſignibus geſtis celebrandis inſtituta, ac tandem proceſſu temporis, augeſcente veneratione, in Deorum numerum referebantur. Hoc Diodorus confirmat Bibl. Hiſt. libr. 1. ἄλλυς δ' ἐκ τύτων ἐπιγείυς γενέσθαι φασιν ὑπάρξαντας μὲν θνητὺς, δια δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων ἐυεργεσιαν τετυχηκοτας τῆς ἀθανασιας &c. *Sed alios*

alios eſſe præter hos, terreſtres Deos dicunt, naturâ quidem mortales, ſed mentis ſolertiâ, ac propter beneficia in homines collata, ad immortalitatem evectos. hinc paulò inferius Ἡφαῖστον ſive *Vulcanum*, ab Ægyptiis ſummo in honore habitum propter ignis uſum mortalibus commonſtratum innuit: *Iſidem* ac *Oſiridem*, ob agriculturæ ac aliorum egregiè repertorum beneficia: *Hermetem ſive Mercurium*, propter ingenii perſpicacitatem, litterarum ac blandæ orationis cultum.

§. VIII.

Sed & traditio corrupta, fabulis referta, non minima fuit Heroum apotheoſeos cauſa. In Gentilium enim ſacris, antiquæ veritatis haud pauca, licet obſcura, deprehendi veſtigia, à Doctis jam dudum obſervatum eſt: in Saturno Noachum latere, perquam eleganter oſtendit jam ſæpè laudatus Bochartus ferè ab initio ſui Phaleg. Quem etiam cum Abrahamo à Sanchuniathone ſcriptore antiquiſſimo confuſum fuiſſe, probat Celeberr. Præſes in ſuis Ægyptiacis; Jovis itidem Hammonis, cujus apud Ægyptios, Thebanos maximè, venerandum erat nomen (ſecundum illud Lucani:

Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis,
Gentibus atque Indis, unus ſit Jupiter Ammon;)

cuique oves ſacræ erant, non aliundè petenda eſt origo. Ex חם enim Hammon, & aſpiratione ablatâ, ἀμῶν factum eſſe, quis eſt qui non videt? Chamo ac poſteris Ægyptum ceſſiſſe indubium eſt, ex Genes. 10: 6. à quo forſitan χήμια denominata eſt Ægyptus, ut Plutarchus habet in libro de Iſide & Oſiride, Ægyptum in ſacris Iſidis χημίαν vocari, niſi illud malis à חמה derivare, quod calorem, ac ſolem dicit, eò quod Ægyptus Zonæ torridæ maximè propinqua, & partim ſubjacens, æſtui ac ſolis calori obnoxia ſit. Sic ex מצרים Chami filio, ſuum Oſiridem majorem

Ægyp-

Ægyptios fabricaſſe, Voſſius de Idol. gent, Cap. 27. lib. 1. vult. Cujus tamen conjectura mihi non ſatis firma videtur: cum מצרים, ſicut & כוש ac alia, non tam ſit filii nomen, quàm gentis ac nationis a Chamo oriundæ, quod a Bocharto non ſemel obſervatum eſt. Multo veroſimilius, Oſiridis ac Typhonis fabulas, plurimum hiſtoriam Moſis ac Pharaonis redolere, probavit Bochart. in Hieroz. lib. 2. Cap. 34. cum præſertim Typhonis filii, Hieroſolymus & Judæus, de quibus Plutarch. in Iſid. nimis hoc manifeſte indicent: non quidem quod Oſiris ac Typho ſint Moſis ævo recentiora numina, cum antiquiſſima Ægyptiorum eſſe conſtet, uti probat Clariſſ. Præſes in Ægypt. libro 3. ſed quod ex corrupta traditione, ea quæ Moſi conveniunt ſuo antiquo Cacodæmoni tribuerint, ac in tantum Fabulam auxerint; geſta enim (quod hic notare juvat) Deorum ſuorum adeo interpolarunt ac intorſerunt mythologi, ut tandem quid per Numina illa intelligerent ipſi neſcirent. Varias de Iſide, Oſiride, Typhone, Ægyptiorum hariolationes, legat curioſus, ſi libeat, in Plutarchi hac de materia compoſito libro, ac in Diodoro. εἰσὶν οἱ λέγοντες, inquit Plutarch. παρ' Αἰγυπτίοις νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἴσιδι συνόντα τῇ γῇ, τύφωνα δὲ μὲν θάλασσαν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται. *Sunt qui dicunt apud Ægyptios Nilum eſſe Oſirim, qui cum terra, quam Iſis deſignat, coeat, mare verò eſſe Typhonem, in quod Nilus incidens abſorbetur;* hinc τὸν ἅλα Τυφῶνος ἀφρὸν vocitant. Sunt vero alii qui Oſirim ἥλιον εἶναι λέγοντες, *Oſirim ſolem eſſe dicunt, ac Iſidem lunarem orbem. Sunt vero alii qui facultatem humectantem Oſirim eſſe ajunt, ac exſiccantem Typhonem, & quid non?* Quis itaque, in tantâ opinionum varietate, divinare poterit, quid proprie Ægyptii per ſuum Oſiridem indigitare voluerint? Veroſimile eſt, ut jam notatum, ſub Oſiridis involucrô non unum tantum Numen illos coluiſſe, at præcipue Solem ac Nilum,

qui Hebræis שיחור dictus, Eſaj. 23: 5. &c. quod paululum mutatum ac inflexum, Oſiridis nomen parere potuit: ſi quidem Doctorum non fallat conjectura. Sic ſub Typhonis nomine infauſti ac diri quidvis execratos eſſe. Atque his tandem varias ac peregrinas ita aſſuiſſe hiſtorias, ut vix quid nominibus hiſce intellectum velint ipſi ſcirent. Ea etiam quæ Mercurio tribuuntur, Canaani; quæ Baccho, Nimrodo apprime conveniunt. Bacchus enim vini patronus celebratur, ac viribus præſidere creditur: quam belle hæc in Nimrodum, ut alia taceam, cadunt? Qui cum Babylonem condiderit, ubi vinum præſtantiſſimum, non immerito ejus inventor, ac patronus, apud Ethnicos mythologos audit. Adeo ut ex dictis videre ſit, ex corruptione veræ hiſtoriæ ac traditionis, tanquam ex putida radice, non paucos progerminaſſe Gentilium Deaſtros. Sed ne nimis his inhæream, alio me converto.

§. IX.

Inter Gentilium Baalim, in ſcriptura memoratos, celebris eſt בעל פעור, Baal-Peor, Moabitarum Numen, de quo Num. 25. ויצמד ישראל לבעל פעור. *& adjunxit ſe Iſraël Baâl-Peori.* De eo non eadem omnium eſt ſententia. R. Selomo Jarchi in hunc locum commentatur. על שם שפוערים לפניו פי הטבעת ויוציאין רעי וזו היא עבודתו h. e. *Sic dictus eo quod coram ipſo diſtendebant podicem, ac educebant ſtercora, hic erat ipſius cultus.* Multi itaque Baal-Peor Numen aliquod obſcœnum, quodque ritibus impuris coleretur, faciunt, quale Priapum apud Græcos fuiſſe, cuivis, niſi in his planè hoſpes ſit, notum. Hanc ſanè ſententiam juvare videntur ſtupra ac ſcortationes Iſraëlitarum, ſeſe cum Moabitidibus commiſcentium, Num. 25. quæ de initiatione in honorem Peoris factâ intelligit Targum Jonathanis: in primum enim Capitis verſum

hæc

hæc habet : ושריאו עמא לאפסא קרושתהון ולמפער גרמיהון לסופסא דפעור וכו׳ *Et cæpit populus irritam reddere, vel profanare ſanctitatem ſuam, ac retegere corpora ſua coram imagine Peoris.* Eadem in ſententia eſt Maimonides, More Nevoch. Cap. 45. part. 3. *Porrò non te latet, qua ratione cultus idololatricus Peoris olim perficiebatur, retectione nempe: hinc præcepit Deus ſacerdotibus facere ſibi femoralia, ad nuditatem ſuam tegendam, quando cultui divino vacant.* His adſtipulantur Philo Judæus, ac inter antiquos Patres Hieronymus, qui Baal-Peor quaſi בעל פי עור *in ore habens pellem* interpretatur; ac inter recentiores quam plurimi. Hoc utique fatendum eſt, ac magno Seldeno concedendum, ex Num. 25. ritus ejusmodi obſcœnos, à quibus referendis ipſa propemodum abhorret laſcivia, in cultu Peoris uſitatos fuiſſe, equidem probari non poſſe, cum populus amore Moabitidum Amaſiarum illectus, ad cultum Baal-Peoris pellici potuerit, ut Salomon ob amorem Zidoniarum, ac Hammonitidarum, Aſtartæ ac Milcomi ſacris ſe addixit. Non pauca ſunt tamen in ſcriptura loca, ex quibus patet, Iſraëlitarum nonnullos, gentium mores æmulatos, turpi ejusmodi cultui deditos fuiſſe, ut ex Hiſtoriâ Mahacæ colligunt eruditi, 1. Reg. Cap. 15. item ex Hoſeæ Cap. 5. ſic ex præcepto Lev. 19:29. אל תחלל את בתך להזנותה: ſcil. in honorem ac cultum alicujus Dei; & Baal-Peorem tale numen fuiſſe innuere videtur Hoſeas, qui ipſius cultum cum fœdis Iſraëlitarum geſtis conjungit. Sit itaque Baal-Peor, Heros, ſive idolum aliquod, in Moabitarum monte Peor, de quo Num. 23. cultum, ſi cui ſcil. S. Jarchii & Hieronymi etymologia minus placeat. Non obſtat tamen hoc, quo minus cultu fœdo, quali ſcil. Priapus, vel Venus, apud Babylonios, quemque αἴχιςον τῶν νομων vocat Herod. lib. 1. prout communis Doctorum fert ſententia, placatus ac cultus a Moabitis fuerit. Hæc itaque de Baal Peor.

 X. Sed

§. X.

Sed nec in Baalim, ſive Heroum, cultu, ſubſtitit idololatria. Verum ſicut ad humana quævis ſe demiſit, ſecundum illud Prudentii:

Quicquid humus, pelagus, Cœlum mirabile ſignant,
Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas,

ſic præcipue Beſtias divini honoris participes reddidit, quas ſi non Deos crediderunt Idololatræ, ut Deos ſaltem venerati ſunt. Ægyptios præcipue Beſtiarum cultû inſaniiſſe, quis eſt qui neſcit? Hoc tradit omnis propemodum Hiſtoricorum profanorum caterva. Diod. Siculus Bibl. Hiſt. lib. 1. σέβονται γὰρ ἔνια τῶν ζώων Αἰγύπτιοι καθ' ὑπερβολὴν, ἐ ζῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτηκότα. h. e. *Nam animalia quædam Ægyptii, ſupra modum, non viva tantum, ſed & mortua venerantur.* Herod. lib. 2. ἐοῦσα δε Αἴγυπτος ὁμϖρος, τῇ λιβύῃ, ἐ μάλα θηριώδας ἐςι, τὰ δε ἐοντα σφι ἅπαντα ἱρὰ νενόμιςαι. h. e. *Cum Ægyptus ſit Libyæ finitima, non admodum beſtifera eſt, quæ autem ibi ſunt omnes pro ſacris habentur.* Et Mela lib. 1. Cap. 9. *Colunt effigies multorum animalium, atque ipſa magis animalia.* Sed quid hæreo in re tam tritâ? Beſtias autem colendi morem apud Ægyptios, non heri tantum natum, ſed ipſo exitu populi Iſraëlitici vetuſtiorem eſſe, non ex uno ſolum ſcripturæ loco colligi poteſt; ut enim vitulum aureum taceam, de quo inferius, id manifeſte innuit reſponſio Moſis Pharaoni data. Exod. 8: 16. *Et reſpondit Moſes non convenit ut ſic agamus,* הן נזבח את תועבות מצרים, *Ecce nos Ægyptiorum abominationem ſacrificaremus, in oculis eorum, an non lapidarent nos?* Quem locum ſic Onkelos παραφράζει; ואמר מושה לא תקן למעבר כן ארי בעירא דמיצראי דחלין ליה מיני אנחנה נסבין לדבחא קדם אלהנא h. e. *Et dixit Moſes, non commodum eſt ſic facere, quoniam ex pecoribus quæ Ægyptii colunt, acciperemus ad ſacrificandum Deo noſtro.* Eadem propemo-

pemodum habet Targum Jonathanis : ארום אמריא דהינון סעותהון דמיצראי מינהון ניסב וניקרב קדם יי אלהן; *quoniam ex Ovibus, ſive pecoribus, quæ ſunt idola Ægyptiorum, acciperemus, & ſacrificaremus Jehovæ Deo noſtro.* His concinunt Hebræi Commentatores, R. Sel. Jarchi. תועבות מיצרים יראת מיצרים כמו ולמילכום תועבת בני עמון: *Abominationem Ægyptiorum, terriculamentum Ægyptiorum; ſicut & Milcomo Abominationi filiorum Ammon,* &c. Sic Aben Eſra משה כתב כה לגנות עבודה זרה כי לא אמר לפרעה רק אלוהי מיצרים. *Sic Moſes ſcribit in opprobrium idololatriæ, quia non dignatus eſt Pharaoni illos vocare Deos Ægyptiorum.* His, ſi placet, addas interpretationem LXX, qui תועבות per βδελύγματα reddunt, vocabulo quo idola frequentiſſime deſignare ſolent. Hi itaque omnes uno ore ſupponunt, Beſtiarum cultum ante exitum populi Iſraëlitici in Ægypto receptum fuiſſe. Hoc magis planum fit ex Genes. 43: 32. non enim poſſunt Ægyptii cum Hebræis cibum ſumere, ארי בעירא, inquit Paraphraſtes Onkelos, דמיצראי דחלין ליה עיבראי אכלין *Quia Beſtias quas Ægyptii colunt, Hebræi comedunt.* Odii illius internecini, quo Ægyptii in paſtores gregis ferebantur, Genes. 46: 54. eandem cauſam reddit R. Selomo Jarchi, in comment. ſuo ad eum locum. *Propterea, ait, eſt Ægypto abominatio omnis paſtor gregis.* לפי שהם להם אלוהות *quoniam illorum Dii ſunt.* Deus itaque, ne populus ſuus ſe ad imitationem idololatrarum turpi brutorum cultu macularet, ſeveriſſimo præcepto illum proſcriptum voluit. Deut. 4: 16. 17.

§. XI.

Utut Brutorum cultus per totam Ægyptum jam ab antiquo receptus fuerit, Idololatræ tamen in deligendis Brutorum ſpeciebus fuere diſcordes. Animalia quidem omnes venerabantur, *at alii alia*, ut ait

Pomponius Mela in loco jam citato. Sic Herod. lib. 2. *θεὺς γὰρ ὐ τὺς αὐτὺς ἅπαντες ὁμοίως αἰγύπτιοι σέβονται, nam omnes Ægyptii non eosdem colunt Deos.* Qui in Thebanorum Nomo ſunt, abſtinent ovibus, ſacrificant capras, qui vero Mendeſium fanum poſſident, *ὗτοι αἰγῶν ἀπεχόμενοι, ὄις θύυσι, a capris abſtinentes oves mactant.* Τραγολατρεία inſanierunt præcipue Mendeſii, eo quod Pana inter octo Deos numerent, quem ſtatuarii Caprina facie ſculpunt; Herod. lib. 2. Addit Diodorus, Hirci Apotheoſeos cauſam, ob fœditatem hic non recenſendam, Bibl. Hiſt. lib. 1. Quæcunque hircorum cultus cauſa ſtatuatur, hoc a vero non abhorrere videtur, Dæmones olim Hircorum ſpecie Idololatris conſpiciendos plerumque ſe præbuiſſe. Hinc in præcepto Lev. 17. *non ſacrificent amplius, ſacrificia ſua* לשעירים, *Hircis*, plerique interpretantur Dæmonibus, ut Onkelos לשדין, quem ſequuntur Selomo Jarchi & Aben Eſra; quod & tradit Maimonid. More Nevoch. Cap. 47. part. 3. *Ad hunc modum ex Zabiis quidam fuerunt, qui Dæmones colebant & exiſtimabant, quod formam Hircorum habeant.* Hanc autem legem a Deo latam fuiſſe, ad præcavendum Hircorum cultum, apud Mendeſios receptum, cujus contagio jam quidam Iſraëlitarum, in eorum viciniâ degentium, infecti fuere, extra omnem dubitationem eſt.

§. XII.

At non Hircos tantum colebant Ægyptii, ſed & Boves, cum maſculos, tum fœminas. Fœminarum cultum latiſſime ſe per Ægyptum extendiſſe, dicit Herodotus, *καὶ τὰς βὸυς θηλέας Αἰγύπτιοι πάντες ὁμοίως σέβονται, προβάτων πάντων μάλιστα; Boves fœminas Ægyptii omnes ſimul venerantur omnium pecudum maxime*, quasque propterea ſacrificare non licebat, utpote Iſidi ſacras. Iſidis enim ſimulacrum *βὐκερόν ἐστι*, h. e. *Bubulis cornibus præditum.* Inter maſculos boves, duo maxime

erant celebres, Memphiticus & Heliopolitanus, hic *Apis*, ille vero *Mnevis* dictus ; τὺς δε ταύρυς τὺς ἱερὺς, λέγω δε τόν τε Ἄπιν καὶ μνεῦιν, τιμᾶσθαι παραπλησίως τοῖς θεοῖς : inquit Diod. lib. 1. *Tauros vero ſanctos, Apim & Mnevim dico, non ſecus ac Deos honorari.* Plutarchus de Iſid. & Oſi. ὁ δε ἐν Ἡλιωπόλει τρεφόμενος βῦς, ὃν μνέυιν καλῦσι, μέλας ἐςι, καὶ δευτέρας ἔχει τιμάς μετὰ τὸν Ἄπιν. *Qui vero Heliopoli nutritur Bos, quem Mnevim appellant, niger eſt, & ſecundos poſt Apim habet honores. Apim populorum omnium* (Ægyptiorum putâ) *Numen* vocat Pomp. Mela, illumque ſic deſcribit. *Bos niger, certis maculis inſignis, & caudâ linguaque diſſimilis aliorum, raro naſcitur, nec coitu pecoris, ut ajunt, ſed divinitus & cœleſti igne conceptus.* Illum autem Oſiridi ſacrum fuiſſe indubium eſt : Plutarchus enim in Iſid. vocat eum εἴδωλον τῆς ἐκεινῦ ψυχῆς : ipſius animæ ſimulachrum. Non autem eſt probabile, per Oſiridem ſuum minorem Ægyptios Joſephum intellexiſſe, uti acute ac erudite a Magno Voſſio in libro de Idolol. Gent. aſſeritur. Bovem vero ſymbolum Joſephi eſſe, multis de cauſis contendit : quia cum Joſephus tempore famis Ægyptios ſua prudentia ab interitu liberarit, non alio convenientiori ſymbolo hoc beneficium exprimi potuiſſe ; cum annona ab agriculturâ, agricultura autem a Bove dependeat. Interpretationem itidem ſomnii Pharaonis, de vaccis pinguibus & macilentis, hoc ſymbolo aptiſſime potuiſſe deſignari; huic accedit modius, quem Serapin (qui Clariſſim. Voſſio idem eſt cum Apide) in capite geſtaſſe tradit Suidas, convenientiſſimum beneficio toti Ægypto per Joſephum allato exprimendo monumentum. Harum & aliarum rationum, ut ut ſpecioſarum, vis ſubito evaneſcit, accedente hiſtoria Moſis, qui alium Regem extitiſſe dicit Exod. 1 : 8. *qui non agnoſcebat Joſephum*, h. e. qui nullam ipſius beneficii rationem habuit ; quomodo vero hoc cum Joſephi, per totam Ægyptum poſt

 ejus

ejus obitum veneratione, ac in Apide cultu, conſiſtere poſſit, non video. Quoad Serapim, illum Numen Neotericum eſſe ac Apidis ætati multum inferius, probat Clariſſ. Bochart. in Hieroz. lib. 2. cap. 34. Huic confirmando ſufficeret ſane ſilentium Herodoti, qui etſi de Apide & aliis Diis Ægyptiorum accurate diſſeruerit, ne hilum quidem de Serapi habet. Sed non tutum exiſtimo, de rebus, tantâ antiquitatis caligine circumfuſis, judicium ferre.

§. XIII.

Apidem itaque Bovem, & quidem certis gnoriſmatis ab aliis diſtinctum eſſe, ejus itidem cultum per totam Ægyptum receptum fuiſſe, conſtat. Iſraëlitas autem cultu Apidis inquinatos, coluiſſe vitulum aureum, volunt plerique Doctorum. Et ſane tot ſunt rationes, ut vix dubitari a quopiam poſſit. Non quidem ut fingamus neceſſe eſt, Iſraëlitas eo faciliu8 cultui vituli animum addixiſſe, quod ſcirent in Apide ſive Bove, Joſephum, cujus memoriam venerabantur, ab Ægyptiis coli, ac idcirco etiam Jeroboamum, è Joſephi ſtemmate ortum, hæc ſymbola aliis prætuliſſe, uti vult Grotius; cùm in aliorum gentium ſacra, quantumvis abſurda, Iſraelitas præcipites ſe dediſſe, Hiſtoria ſacra doceat. Probabilius eſt, quod Iſraelitæ, in Ægypto colentes idola Dominorum ſuorum, antiquam conſuetudinem non ita deponere potuerint, quin datâ occaſione rediret; ſecundum illud Horatii: *Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret.* Iſraelitas, dum in Ægypto verſarentur, idololatriæ lue contaminatos fuiſſe, extra omnem dubitationem ponit Joſua. Cap. 24: 14. *Amovete Deos veſtros, quos coluerunt majores veſtri trans flumen & in Ægypto.* Ac in ipſo hoc facto corde in Ægyptum averſos fuiſſe, dicit Stephanus Actor. 7: 39. Καὶ ἐςϱάφησαν ταῖς καϱ-

δίαις

διαις αὐτῶν εἰς Αἴγυπτον: Sed quid hiſce opus eſt, cum ritus in cultu aurei vituli a Moſe deſcripti, manifeſte nimis ſuperſtitionem Ægyptiacam redoleant. Aures enim Moſis, è monte cum Joſua feſtinantis, primum ferit קול ענות *vox cantantium*, quod de inconcinnô ac in multos clamores effuſo gaudio, in idolorum feſtivitatibus uſitato, interpretantur Targumiſtæ, Hieroſolymitanus, & Jonathan. Prioris hæc ſunt verba. קל מקלסן בפלחנה נוכראה *vox ridentium in cultu alieno h. e. idololatrico.* Poſterioris fere eadem קל פלחי פולחנה נוכראה. Aben Ezra idem gaudium intelligit, cum נתינות, vel *inſtrumentis muſicis*, LXX. habent τῶν ἐξαρχόντων οἴνε, *vocem compotantium* ego audio. Huc etiam faciunt ductæ Choreæ, luſus, ac tripudia Iſraëlitarum, quæ omnia, cum feſtivitates, gaudia publica, ac carmina, quibus Apis inventus, ac magnâ cum ſolemnitate Memphim ductus excipiebatur, ſapiant, unô ore clamant, Iſraëlitas Ægyptiorum mores æmulatos, vitulum aureum coluiſſe; Accedit & חרט ſive ſtilus, quo illum formaſſe dicitur Aharon. Quid enim convenientius eſt, quam hic de notis ſive maculis Apidis cogitare, quas ſimulacrô aureo, hôc inſtrumentô Aharon inſculpſerit? præferenda enim mihi videtur inrerpretatio Onkeloſi, qui חרט per זיפא, quod ſtilum ſive cælum notat, uti & LXX, reddit, interpretationi paraphraſtis Jonath. illud per שושיפא, quod ſudarium, Maſupim denotat, exprimentis: Cui accedit magnus Bochartus in ſuo Hierozoi. lib. 2. Cap. 34. Cæterum non eſt quod quemquam offendere debeat vox עגל, quæ vitulum ſignificat, cum conſtet Apidem ſive Mnevim Boves fuiſſe: Herodotus enim ipſe Apidem μόσχον vocitat libro 3. quô LXX. vocem עגל exprimunt.

Nec etiam, quod Apis fuerit Bos vivus, vitulus vero cui Iſraëlitæ ſacra fecerunt, ſimulacrum aureum: quis enim ignorat, Ægyptios non animalia viva, ac demortua tantum, ſed & effigies animalium, ut Mela habet, coluiſſe? Ea autem quæ de vitulô aureô diſſerui, dicta etiam velim de aureis Jeroboami vitulis, niſi quod hic ſuperſtitionem auxerit, ſimulacro Apidis addendo effigiem Mnevis, qui ſecundos poſt Apim obtinuit honores, ut ait Plutarchus, cujusque apud Heliopolitanos maximè venerandum erat nomen. Veritati enim accedere videtur, Jeroboamum, dum in Ægypto moras ageret, ſuperſtitionem Ægyptiorum imbibiſſe, dein regni factum compotem, cum novâ Regiminis formâ, Ægyptiorum Religionem, quorum potentiâ adjutus ſuum Regnum adeptus eſt, introduxiſſe. At anguſti his exercitiis præſcripti limites, me in immenſo illuſtriſſimæ materiæ mari velificantem, vela contrahere jubent; manum igitur de tabulâ.

* * * * *

JOH.

II.

JOH. CASPARI BRUNNERI,

Dum viveret,

Archi-Diaconi & Canonici Tigurini Plur. Venerandi,

De Spiritu non extinguendo,

Ad Locum 1. Theſſalon. V. 19.

ORATIO PANEGYRICA.

Cui ſubjungitur

Hiſtoria Vitæ Celeberrimi Authoris,

à Nepote

JOH. CASPARO HULDRICO,

Uticon. Paſtore.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

AD LECTOREM.

CUm nuper varia in Ven. Soceri mei κειμηλίω
„ latentia MScta perluſtraſſem , incidi etiam
„ in hanc quam manu teres Orationem Cel.
„ BRUNNERI Soceri ſui. Perlecta illa ſcitabar,
„ num ægre ferret Ven. Socer, ſi ejus ἔκδοσιν heic lo-
„ ci ſuſciperem ; approbavit conſilium, (non enim
„ ex illorum numero eſt qui ſibi ſoli vivunt; ſed, ſi
„ quisquam alius, Facilis, Largus, Beneficus :) eò ma-
„ gis, quum jam olim cum Viris Doctiſſimis, quos
„ inter & acutiſſimus GOTTH. HEIDEGGERUS,
„ dignam judicabat, quæ à pluribus legeretur. Pla-
„ cuit eidem V. Socero, ut Vitam C. Authoris ſub-
„ jungerem ; quam in rem mihi non ſolum præcipuas
„ circumſtantias, quas ipſe ſæpius ex ore Beati Viri
„ audivit, narravit, ſed & ſchedas, ipſa τοῦ μακαρίτου
„ manu conſignatas exhibuit, ex quibus biographi-
„ am Tibi hancce fideli calamo trado ; nullatenus
„ dubitans, quin gratiam, ſi non magnam, aliquam
„ ſaltem, apud TE hac opella inirem. Habita hæc
„ eſt Oratio An. MDCCI. d. 14. Maij. Vigilia Pen-
„ tecoſt. Patebit ex ejus lectione, nihil heic inve-
„ niri, quod ab ἀναλογίᾳ τῆς πίστεως longius quam
„ par eſt abeat, licet nonnulli id olim putarint, &
„ neſcio quæ errorum monſtra ibidem quæſiverint.
„ Hæc ſunt, de quibus TE monendum duxeram.

ARGU-

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

ARGUMENTUM.

POſt *Exordium*, à temporis circumſtantia deſumtum, pergit Cl. Author ad rem ipſam, ubi *Nexus* primò & *Scopus* Loci oſtenditur, Materia dein methodo ſequenti pertractatur. Occurrit in Textu nobis tum *Beneficium*, tum *Officium*. *Beneficium* eſt τὸ πνεῦμα. Variæ hujus vocis notiones; *Spiritus* Deus; Spiritus tertia Deitatis Perſona, cujus etiam dona Spiritûs nomine veniunt. *Officium* in Textu requiſitum: *Ne extinguite*. Spiritus Dei inſtar Ignis ſe habet atque Lucis. Quomodo Spiritus extinguatur. Spiritum non debemus extinguere A.) in nobis ipſis, ſed potius excitare. B.) in aliis. *Vindiciæ Textûs* contra I.) Patronos liberi arbitrii. II.) Patronos Apoſtaſiæ Sanctorum. III.) Enthuſiaſtas. *Elenchus* eorum qui extinguunt Spiritum, A.) Cognitionis, a.) in ſe ipſis, b.) in aliis. B.) Pietatis. C.) Charitatis. D.) Fortitudinis. *Hortatio* directa ad I.) omnes donis Spiritûs inſignitos. II.) Magiſtratus. III.) Paſtores & Profeſſores. IV.) Studioſos. Extinguendus Spiritus malus. *Peroratio.*

ORA-

ORATIO.

Summo ſemper in Eccleſia Chriſti loco fuit ſtupendum Omnipotentis Spiritus miraculum, cujus commemoratio gratiſſimis animis anno vertente celebratur. *APOSTOLI*, Eccleſiæ N. T. Patriarchæ, homines Galilæi, natura linguarum literarumque imperiti, (*a.*) nulla prævia inſtitutione, nullo exercitio, ἐκ τοῦ παραχρῆμα cœperunt loqui variis linguis, iisque omnibus deprædicare τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ. Tria ſapientiſſimus vitæ emendator, PLUTARCHUS, (*b.*) ad felicem in virtutum ſtudio & ſtadio profectum concurrere oportere, autor eſt; φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν, *naturam, inſtitutionem, uſum*, horum unum ſi deficiat, virtutem (addo & eruditionem;) mancam eſſe. φύσις γὰρ ἄνευ μαθήσεως τυφλὸν, μάθησις δίχα φύσεως ἐλλιπὲς, ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν ἀτελές. At his omnibus deſtitutos fuiſſe Apoſtolos, Sacræ Literæ docent. Deerat illis Natura, erant enim è gente rudiore & inculta; Inſtitutio, erat enim iis res paupercula, quippe qui hamiotæ, famelica hominum natio; Exercitium, nullam enim habebant cum literis hactenus rationem. Hinc quum primùm à Soſpitatore noſtro vocarentur, cœleſtis doctrinæ admodum fuere ignorantes; imò poſtquam ad triennium diſciplina Chriſti gaviſi fuiſſent, non ita ab errorum ac præjudiciorum rubigine fuere defricati, quin circa genium atque indolem regni Dei tota errarent via. Hi tamen ipſi, in alios derepente mutati homines, novis quas nunquam didicerant linguis, eximia illa & mirabilia, quæ fecit ὁ δυνατὸς, τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ Θεοῦ, ἐκ τοῦ παραλυχόντος (*c.*) magnificè concelebrarunt.

(*a.*) Act. 4:13. (*b.*) De educ. Lib. §. 7. (*c.*) Luc. 1:49. Epheſ. 3:8, 10.

Unde

Unde hæc tam ſubita mutatio? Inde, quia ex vaticinio *JOELIS*, de ſpiritu noviſſimis temporum ſpatiis effundendo, imbuti ſunt virtute ex alto, & repleti cœlitus in ipſos deſcendente ſpiritu, per quem Dominus noſter, qui majeſtatem ſuam ſupra cœlos locavit, *ex ore infantium & lactentium* (*d*) hoc eſt, hominum præ cæteris ſimplicium & proletariorum, qui ad eloquendum divina myſteria ex ſe æquè inepti erant, ac infantes & lactentes ad quidvis enuntiandum, *fundavit robur*, hoc eſt Evangelii, quod eſt potentia Dei, (*e.*) organum, per quod Deus potenter efficax eſt ad fidem & ſalutem, annuntiavit: ita ut infantes hi & lactentes non balbutierint, ſicut, qui annis adhuc innocentibus dimidiata tentare verba conſueſcunt, ſicque loquelam fundunt ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorem; ſed de rebus tam ſublimibus omnemque cogitationem excedentibus, de myſterio Dei & Chriſti, in quo omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis abſconditi (*f.*) promtè, expeditè, ad audientium ſtuporem & convictionem, verba fecerint. Qui inde Spiritus divini dotibus inſtructi, &, ſi ita loqui liceat, pleni & mixti Deo, univerſum in orbem, divitias Chriſti inexhauſtas & ſapientiam profundiſſimam omnibus monſtraturi, commearunt. Quis enim ab illo tempore locus in terra eſt, quem non Chriſti poſſederit nomen? qua ſol oritur, qua occidit, qua erigitur ſeptentrio, qua vergit auſter, totum Venerandi Numinis majeſtas implevit. Et *licet adhuc* (JULII FIRMICI *MATERNI* (*g.*) verbis utor.) *in quibusdam regionibus idololatria morientia palpitent membra, tamen in eo res eſt, ut è Chriſtianis omnibus terris peſtiferum hoc malum funditus amputetur.*

At verò incredibilis illa Spiritûs effuſio, quâ mactati

(*d.*) Pſalm. 8: 3. (*e.*) Rom. 1: 16. (*f.*) Coloſs. 2: 3.
(*g.*) De errore Prof. Relig. p. 42.

ctati ſunt Apoſtoli, quid niſi argumentum quoddam ac veluti arrha fuit Spiritûs omnibus fidelibus largè effuſèque donandi? Apoſtolorum tempore prophetia *JOELIS*, *de effundendo* ultima penè ſeculorum hebdomade *in omnem carnem ſpiritu*, impleri cœpit: continuatio *ad magnum usque & terribilem Domini diem* eſt extenſa. Et quia Apoſtoli *primitias Spiritûs* ſe habere teſtati ſunt (*h.*) poſt primitias autem Deo oblatas meſſis ſequi ſolebat; quidni poſt Apoſtolicas primitias ſimile quippiam ſequutum ac porro ſequuturum credi debeat? idque eò magis, quia Chriſtus ipſe Spiritum S. ideo ſe Eccleſiæ relinquere dixit, ut cum illa *maneat in æternum*, omnesque fideles eundem, quem Apoſtoli, habeant magiſtrum, *ſpiritum veritatis*, *ἀψευδῆ*, *qui ducat eos*, ut columna nubis & ignis Iſraëlitas, *in omnem veritatem* & virtutem, ad ſalutem ſcitu & factu neceſſariam, id eſt, efficaci mentium illuminatione & voluntatum flexu ita dirigat, ut non poſſint incidere in peccata & errores, qui ſalutem intervertant. (*i.*)

Quid autem noſtri erga illum, qui adhucdum æque ac Pater & Filius operatur, ſpiritum inter alia ſit officii, *PAULUS* Apoſtolorum Princeps nervoſe admodum *1. Theſ. 5: 19.* hiſce edocuit verbis:

SPIRITUM NE EXTINGUITE.

Non heic ulterius vos carmine longo, atque per ambages & longa exorſa tenebo: odioſa enim eſt oratio, cum rem agas, longinquam loqui. Cum hoc die, qui anniverſariam miſſi Spiritûs S. memoriam præcurrit, pro cathedra hac ſcholaſtica differendi vices, ex ordine, & Ven. Antiſtitis noſtri auctoritate, ad me ſint devolutæ, in monito iſto Apoſtolico & ipſe inveniam, quod opportunè ſatis propo-
nam,

(*h.*) Rom. 8:23. (*i.*) Joh. 14:16. 16:13.

nam, & Vos, quod, ut ſpero, ſine nauſeæ moleſtia audiatis.

Solent opulentiores apparatu recto & lautis exquiſitisque dapibus fatigati victus tenues interponere, & plebeja pulpa admonere ac reficere palatum. Vos Audit: Humaniſsimi, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει πλουτισθέντες, (k.) politas plerunque & nitidas ex hoc loco orationes audire aſſueti, in minus terſa ac limata hac vice acquieſcite, & linguis animisque favete.

Interea corrigat balbutiem noſtram Spiritus facundia, & diſpertitæ ab illo linguæ ita intellectus noſtros illuminent & labia aperiant, ut ex paucis iſtis Sacro-Sancti Canonis verbis eliciamus ſalutaria & prædicemus Dei magnalia. *Adeſto* (ita cum CYPRIANO, (l.) ex Patribus, qui in memorias exierunt, haud poſtremo, in anteceſſum oremus omnes:) *Adeſto Sancte Spiritus, & paracleſin tuam exſpectantibus illabere cœlitus; ſanctifica Templum corporis noſtri, & conſecra in habitaculum tuum; Deſiderantes Te animas tua præſentia lætifica; dignam Te habitatore domum compone: adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum; ſterne pavimenta pigmentis; niteat manſio tua carbunculis flammeis, & gemmarum ſplendoribus, & omnium chariſmatum intrinſecus ſpirent odoramenta; affatim balſami liquor fragrantia ſua cubiculum tuum imbuat, & abigens inde, quicquid tabidum eſt, quicquid corruptelæ ſeminarium, ſtabile ac perpetuum hoc facias gaudium noſtrum, & creationis tuæ renovationem in decore immarceſſibili ſolides in æternum!*

Poſtquam homo ille Dei, quem Salvator noſter parvo momento ex inimico familiarem, ex hoſte amicum, ex adverſario adminiſtrum, è lupo ovem oviumque paſtorem, denique ex Angelo Satanæ Angelum Dei reddidit, dux ac lux gentium; de decretorio

(k.) 1. Cor. 1:5. (l.) Serm. de Spir. S.

torio illo & extremo volventium ſeculorum die, ab omni æternitate præſtituto; quo ad vitam revocatis, quotquot unquam nati ſunt, Dei Filius è cœlo ad judicium exercendum multa cum majeſtate deſcenſurus, & ad utram quisque (beatorum an damnatorum?) pertineat claſſem, in celeberrimo ſuperûm inferûmque conventu lata ſententia planum facturus eſt; ſermonem habuiſſet, eum inopinanter improbos deprehenſurum, ut, qui hæc habent conſilia, ubi data eſt occaſio, rape, clepe, tene, harpaga, noctu eos opprimunt, qui ſecuri malorum omnium jacent, ſopore demerſi altiſſimo; multiplices inde deducit admonitiones, quibus animi ad pancriticum illum diem & improviſum Domini adventum parantur.

Eas inter locum occupat, quam hac hora, hoc loco, his auribus, mea denique vocatione dignum ſatis & congruum fore ratus ſum argumentum: τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum ne extinguite*,

Inſigne heîc nobis occurrit tum *beneficium*, tum *officium*.

Beneficium τὸ πνεῦμα, *Spiritus* eſt. *SPIRITUM* in genere ſumtum, quis neſcit, modo ſubſtantiam, modo effectum & affectum, in cœleſti chirographo denotare? Iſta autem *ſubſtantia* vel creator eſt Deus, vel res creata, eaque aut corporea, ut ventus, aër, ſpiritus animales, vitales, naturales in corpore humano, & quæ ſunt hujusmodi; aut corpore & omni materia vacans, ut Angelus & Anima, quæ tamen ipſa, utut ſpiritus & corpus res ſint toto genere & natura diverſiſſimæ, prodigioſo ſanè conjugio ita arctè atque intimè corpori colligata eſt, ut ad varios ejus motus varias in ſe experiri cogitationes, & varios viciſſim ciere in corpore motus poſſit. Ad *effecta* & *affecta* referuntur accidentaria, cum Dei dona interna à gratia efficaci, & externa per verbum; tum ejus-

ejuſdem judicia in hoſtibus averruncandis aut infatuandis: Hinc ſpiritus vertiginis & ſobrietatis, ſapientiæ & ſoporis, dilectionis & diſſidii, mundus & mundi.

At verò inſtituti mei non eſt in *Pneumatologiam* excurrere, ſed tantùm, quid Apoſtolus per ſpiritum notet, indicare. *Spiritum* autem *Dei*, ἐμφατικῶς τὸ πνεῦμα, illum ſpiritum, qui ἐξαίρετον Θεοῦ δῶρον, ſignificari, non eſt ut quicquam dubitandum videatur.

Parentem omnium *DEUM*; qui nec principium habet nec terminum; qui nativitatem omnibus præſtat, ſibi perpetuitatem; qui univerſa quæcunque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat; *SPIRITUM eſſe* palam eſt, imo tam clarum & apertum, ut ipſis in tanta temporum caligine, tantaque Dei & rerum divinarum ignorantia non plane occultum fuerit Gentilibus. PLATO, quaſi Philoſophorum Deus quidam, ut *Ciceroni* vocatur, in omnium rerum opifice atque moderatore νοῦν, *mentem* agnovit, quæ nullis ſubjici ſenſibus, ſed ſola concipi cogitatione queat. Jam ante eum celebris ille Philoſophus Ægyptius, HERMES, ob virtutem & doctrinam ſingularem *Triſmegiſtus* dictus, Deum eſſe docuit ἀσώματον, *nullis aſpectibus ſubjectum*. *Deum eſſe animum per naturam rerum omnem intentum & commeantem*, CICERO inter PYTHAGORÆ recenſet ſententias, quas juratos ejus diſcipulos velut totidem Pythii Apollinis oracula adoraſſe notum eſt. In Stoicorum ſchola Jupiter Spiritus mundani hujus operis eluet. Ipſe dux gregis & princeps ZENO, Deum eſſe dixerat ſpiritum per totum mundum penetrantem. Cui illud Mantuani MARONIS aſſonat, *qui principio*, ait, *cœlum & terras, & cetera mundi membra ſpiritus intus alit, & infuſa mens agitat*: (*m.*) Quem ſpiri-

(*m.*) Æneid. Lib. VI. 724-727.

ſpiritum alio loco Deum nominat, *Deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris cœlumque profundum.* (*n.*) Deus namque, ipſorum ſententia, id in mundo, quod in nobis animus ſeu ſpiritus eſt: Spiritus mundi Deus, corpus Dei mundus. Quid aliud & a nobis Deus quam ſpiritus prædicatur? Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt; nec comprehendi, tactu purior eſt; nec æſtimari, ſenſibus major eſt; Spiritus infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus quantus eſt notus, nobis vero ad intellectum pectus anguſtum eſt, & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus.

Quamvis autem, *Deum eſſe Spiritum*, rationi quodammodo pervium ſit: tamen *eſſe in Deo SPIRITUM*, qui eandem cum Patre & Filio habeat eſſentiam divinam, ſed & quædam obtineat ſibi propria, quibus a Patre & Filio tanquam diverſa ab iis Perſona diſcernitur, fruſtra in natura quæſiveris, fruſtra exſpectes ab hominibus divino lumine deſtitutis. Diſcendus eſt ex ſacris divini Teſtamenti tabulis Spiritus S. qui a Patre & Filio *ſpiratur*, h. e. ab utroque æterna proceſſione, modo, qui omnium Angelorum hominumve captum ſuperat, procedit; qui in æterno pacis conſilio, quo Filius a Patre conſtitutus eſt Sponſor & Mediator eorum, qui in Chriſto ſunt electi, intervenire voluit tanquam eorum Paracletus, atque adeo vinculum eſt noſtræ cum Chriſto unionis, ſignaculum noſtrum & arrhabo noſtræ περιποιήσεως, ſalutisque nobis conferendæ, ut ſciamus, nos in Chriſto eſſe cum Patre τετελειωμένοι εἰς ἕν; (*o.*) qui & ipſe *ſpirat*, h. e. ſolus ceu Virtus Altiſſimi vorticordia vi ſua efficit, ut veritates ſalutares clare & diſtinctè in vera ſua & nativa forma cognoſcamus, cognitas amemus, amatas vita & operibus exprimamus, & ſecun-

(*n.*) Georg. Lib. IV. 221, 222. (*o.*) Joh. 17: 23.

ſecundum eas ad imaginem Dei transformemur. Et hic Spiritus ille eſt, quo de Apoſtolo ſermonem eſſe, firma Interpretum conſenſio manet. Neque tamen ipſa intelligitur Spiritus S. Perſona, quæ, cum ſit virtutis Omnipotentis, ſuperari atque adeo extingui neutiquam poteſt; ſed Spiritus Sancti *dotes*; dona fidei, ſpei, charitatis, donum linguarum, cognitio ſalutaris, doctrina ſana, exhortatio fida, conſolatio pia, aliique afflatus & impulſus. Quæ omnia *Spiritus* nomine veniunt, quia Spiritus ea in nobis operatur, & nos internis agitat regitque motibus, ut ſtimulante divina illius gratia adducti, ad verum pulcherrimo ardore indagandum & virtutem ſummo ſtudio excolendam promti inveniamur. Quis hinc ampliſſimum ſub Spiritus nomine deſignari beneficium non agnoſcat?

At quodnam ſibi beneficium hoc depoſcit *officium*? *SPIRITUM*, inquit Apoſtolus, *NE EXTINGUITE.*

Spiritus Dei, quem nobis elargitus eſt, *ignis* inſtar ſe habet. Ideo per ignem, qui de cœlo delapſus ſacrificia accendit & conſumſit, adumbratus eſt. Et in Pentecoſte ſpiritus cum igne miſſus eſt, viſæ enim ſunt igneæ flammæ & faces, linguarum diviſarum εἶδος & formam habentes; quæ quid aliud quam efficaciam ſermonis, lucem veritatis, zelum igneum, τὴν θερμὴν ἀγάπην, aliaque dona in ſanctos effundenda denotarunt? Ignis alia quidem corpora depaſcitur, alia vero purgatiora mundioraque reddit. Spiritus Dei, qui & ipſe Deus, ignis eſt conſumens impuritatem, (*p.*) qui ſuſceptis flagitiorum ſordibus fœde contaminatos abſorbet, fideles autem expurgat, & aſſidue gliſcentes in iis concupiſcentias & vitia exurit atque excoquit. Penetrat ignis, neque facile prohi-

 beri

(*p.*) Hebr. 12: 29.

beri poteſt, ubi ſemel ſerpere cœpit & ardere: Quis retardabit progreſſum Spiritus S. & vim ejus omnia pervadentem? Qui abſcondidit ignem in ſinu, diu illud celare non poteſt: Spiritus quovis modo incluſus quærit exitum. Cum deſcendiſſet ſuper Apoſtolos, cœperunt confeſtim loqui, prout ſpiritus ille dabat effari: & quam primum cor Davidis eructat verbum bonum, lingua fiet calamus velociter ſcribentis. (*q.*) Ignis calefacit: Spiritus non ſinit eſſe frigidos aut tepidos, qui eum accipiunt, ſed facit eos ζηλῶν; Zelum in iis excitat, qui eos actionis eſt; & fermentum illius in Evangelio maſſæ, quod præparat & condit illam ad panificium: neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.

Ut autem Ignis etiam *LUX* eſt; ita & Spiritus Dei illuminat corda & cognitionem veritatis indies uberiorem eis præbet, & ad eam quærendam per charitatem incitat: inſuper radiis ſuis pectora mirifice recreat, & omnia nobis læta reddit. Dum lampas ſeu candela ſuum noctu in conclave immittit lumen, omnia illuſtrat & ſplendentia ſiſtit, quæ ad ornatum periſtromata ſtragulaque auro intertexta parietes veſtiunt; ea autem abſente vel extincta, quanquam pretioſiſſimo auro atque argento omnia obducta ſint & ornata, in caligine omnis ſplendor jacet, nec cognoſci poteſt decus, quod ad loci ornamentum pertinet. Haud aliter, ubi Spiritus S. gratia nobis affulget, omnia in noſtris actionibus ſplendeſcent, & decus nobis lætitiamque ex illa benignitate communicant: ſed ubi præſentiæ vultum nobis aufert, tum veluti nocte & tenebris ſepulti, nullam amplius cognoſcimus jucundis in rebus ineſſe pulchritudinem, inquietoque dolore anxii agnoſcimus, præſentiam Spiritus S. unicum vitæ noſtræ eſſe ſolamen, ſine quo nihil nobis amœnum, ſed cuncta videntur mortua, quæ alias maximo proſecuti ſumus amore. (*q.*) Pſal. 45: 2.

Que-

Quemadmodum autem ignis, ſive caloris ſive lucis gratia accenſus, vel ſubtracto alimento, vel injecto pulvere, vel ſuper infuſa aqua, vel venti flatu, vel olei defectu *extinguitur;* ita Spiritus, ſive per charitatem moveat, ſive mentes illuſtret, ſive gaudium impertiat, idque in nobis agat, vel in aliis ad ædificationem corporis Chriſti, *EXTINGUITUR*, quando gratia ejus exinanitur, ſtudium charitatis ſive Zelus minuitur, aut cognitio impeditur; quod in nobis ipſis fieri poteſt per γογγυσμοὺς καὶ διαλογισμοὺς, per vanas cogitationes & curas ſeculares, per malas cupiditates, per crapulam atque ebrietatem, per deſidiam & ignaviam, qua bonum otium conteritur, & dona Dei in nihilum rediguntur, cum profectu quotidiano accenſæ a Deo ſcintillæ magis ac magis excitari & continuo uſu foveri deberent; & omnino curando atque cogitando magis ea quæ ſunt carnis quam quæ ſunt ſpiritus. In aliis vero, qui tanquam lucernæ in candelabris poſitæ non ceſſant ſe conſumere, ut alios illuſtrent; ab iis, qui ipſorum ſtudium in opere bono, ἐν τῷ παρακαλεῖν καὶ οἰκοδομεῖν non modo non adjuvant, ſed potius remorantur, ut ita vel minus ardeant & alios accendant, vel minus luceant; qui pios conatus frangunt, ardorem reprimunt, puſillanimes reddere conantur: qui præclara ingenia nec fovent, nec pro officii ratione, ut excolantur, curant.

Ex his conjectu proclive eſſe autumo, quis monelæ Apoſtoli inſit ſenſus. Non Theſſalonicenſes modo, ſed omnes Eccleſiæ filios, qui diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in ſapientiæ & veritatis lucem emerſere; in quos divinum Lumen & Numen virtute Spiritus S. qui ignis vel lampadis inſtar in eorum animis relucet, varia & ſingularia contulit dona; cavere jubet, ne ea, quibus neque melius neque amplius aliud in natura mortalium eſt, inculta atque

ſocordia torpeſcere ſinant, & vel ambitione, vel rixis & contentionibus, vel curis terrenis, vel ſecuritate carnali, aliisque atrocibus peccatis præſocari patiantur, ſicque ipſum Spiritum S. quantum in ſe eſt, in animo ſuo extinguant, atque adeo in horrendam cœcitatem incidant, qua eos, qui ſemel illuminati fuerunt, ubi tam pretioſum Dei donum reſpuunt, vel clauſis oculis ſe in mundi vanitatem abripi ſinunt, percuti cernimus, ut ſint aliis in exemplum. Hunc in modum emuncti & ſubacti judicii Commentatores Apoſtoli verba explanarunt. CALVINUS: *Eſtis Spiritu Dei illuminati, videte, ne veſtra ingratitudine lux iſta vobis pereat.* VATABLUS: *Dona Spiritus ne ſinatis interire.* CLARIUS: *Spiritum nolite extinguere, tanquam lucernam, quæ in caliginoſo loco ambulantibus ſit neceſſaria.*

Dum autem Spiritum extinguere vetat Apoſtolorum omnium laborioſiſſimus, quid aliud eum ex adverſo præcipere putamus, quam ut dona Spiritus foveamus & *excitemus*, cordisque januam cuſtodiamus, ne malignus ille Spiritus ſubingreſſus ſalutarem lampada extinguat? ut meminerimus ἀναζωπυρεῖν τῦ Θεῦ χαρίσματα? quo vocabulo admodum emphatico erga Timotheum ſuum utitur Apoſtolus. (*r.*) Ἀναζωπυρεῖ, qui ſopitos ſuſcitat ignes, qui ignem cineribus tectum & quaſi emortuum reſuſcitat, ſive ignem alit; quomodo DIONYSIUS HALICARNASSÆUS ſcripſit, prudentes Reip. præſides ἀεί τινας ἐκ τῶν ἀλλοεθνῶν ἀναζωπυρεῖν ἔχθρας, *ſemper alere aliqua externorum bellorum ſeminaria.* (*s.*) Elegans omnino metaphora! Ut enim ſcintillæ cineribus coopertæ facile moriuntur, quæ eædem follibus admotis flatuque levi adjutæ ignem ſuum explicant, & appoſitis lignis in ardentes tandem flammas excreſcunt; Ita dona ſpiritus, ſecuritatis & negligentiæ quaſi cineribus ſepeliuntur, quæ

(*r*) 2. Tim. 1: 6. (*s.*) Lib. 8. Antiq.

quæ precibus, gratiarum actione, aſſidua verbi meditatione, indefeſſa diligentia, jugi operatione, & perpetuo pietatis ſtudio ſuſcitata neſcio-quid ignei ſpirant, & flammarum ſuarum calore aſtantes etiam calefaciunt. Hanc ipſam autem hortationem aliis verbis ſcite expreſſit Apoſtolus noſter: Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος; ἐνδυναμοῦ ἐν τῇ χάριτι τῇ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. (*t.*) & quando tria iſta conjungit τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροὶ, τῷ πνεύματι ζέοντες, τῷ κυρίῳ δουλεύοντες, (*u.*) quid aliud poſtulat, quam ut ſtudio minime pigri, ſed ſpiritu ferventes Deo inſerviamus? In quo autem fervor ſpiritus multiplicata iniquitate & charitatis frigore non tepeſcit, in eo ſpiritus neutiquam extinguitur, ſed curæ illi eſt illud Servatoris, πρωὶ ἔννυχον λίαν, (*x.*) *mane valde diluculo*, ut mature penſum aggrediatur, quia mane quod tu occœperis negotium agere, id totum procedit diem, & ferme ut quisque rem accurat ſuam, ſic ei procedunt poſt principia denique.

Sed & ea Apoſtolo mens eſt, nec dona Dei *in aliis* per nos ſint infructuoſa, ſed potius operam demus, ut ii, qui ea acceperunt, occaſionem habeant talentum ſuum bene collocandi, quo ita dona Dei ad plurimorum redundent utilitatem, & Deus illuſtrius glorificetur. *Hoc dicit,* inquit AMBROSIUS, *ut non facile alicui per ſpiritum loquenti interdicatur; (extinguitur enim, ſi incipientis loqui fervor contradictione ſopitur.) ne forte non intelligentes dici ab eo ſpiritualia injuriam faciant Spiritui S. & peccent per ignorantiam.* Etiam majores noſtri, quorum illuſtrior gloria eſt, quam ut eorum merita verborum laudibus repenſari poſſint, locum noſtrum de non extinguendo in aliis ſpiritu, & quidem ſpiritu Prophetico, ſeu explicationis SS. Literarum, intellexerunt. ZUINGLIUS, *Si*, inquit, *ſpiri-*

O 5

(*t.*) 1. Tim. 4: 14. 2. Tim. 2: 1. (*u.*) Rom. 12: 11.
(*x.*) Marc. 1: 35.

ſpiritus alicui revelarit ſenſum ſcripturæ, quem hactenus alii non attigerunt, hunc audite, & hoc donum ne ſpernatis, ne ſupprimatis, quisque manſuete audiat alium de rebus divinis differentem. (y.) Et BULLINGERUS, *Solent*, inquit, *oriri non nunquam diſſidia ex diverſitate donorum, dum quibusdam nihil probatur, niſi quod ipſi fecerint. Hi aliorum dicta & ſcripta etiam pia vel palam improbant, vel apud ſeſe contemnunt. Contra horum inſolentiam, arrogantemque contemtum aliorum, Apoſtolus Spiritum ait ne extinguatis, ſubdensque ſuæ ſententiæ expoſitionem dicit: Prophetias ne aſpernemini.* Et poſt: *Spiritus per Prophetas fideliter ſemper dona ſua in nos transfudit. Hodie quoque variis donis ingeniisque locupletavit nos divina bonitas, Jam quis tam iniquus, qui hæc dona extinguat, & prophetas loqui prohibeat, niſi qui ſe ſuaque quærens ambitione quadam invidet omnibus?* Iterum: *At ſi pius aliquis vel ſui oblitus, vel occaſionibus certis ſibi ipſi ereptus effutivit aliquid imprudentius, prudenter & cum reverentia quadam ab illo declinemus. Neque enim impudentius & procacius ſuggillandi ſunt propter unum atque alterum lapſum, qui per omnia Eccleſiæ Dei & veritati bene voluerunt.* Hæc ſapientiſſime ὁ πάνυ BULLINGERUS noſter. (z.)

Hactenus monelam Apoſtoli fuſe ſatis, &, ut opinor, perſpicue explicatam tradidi. Jam major mihi rerum naſcitur ordo: majus opus moveo, ut vobis oſtendam, tum quid ex illa *falſi* eliciatur, tum quid contra illam *mali* committatur, tum quid ſecundum illam *boni* a nobis omnibus requiratur.

FALSUM ex illa eliciunt, qui, ut gratiæ efficaciam deprimant, & *liberi arbitrii* facultates extollant, inde colligunt, in hominis arbitrio eſſe, vel extinguere vel fovere lucem oblatam. Quamvis enim efficaciter in electis ſuis operetur Deus, neque lucem tantum illis admoveat, ſed &, ut videant, oculos men-

(y.) Oper. Tom. III. p. 524. (z.) Comment. in h. l.

mentis aperiat, apertosque teneat; quia tamen ſemper ad deſidiam caro inclinat, & ſe luxui atque inertiæ dat corrumpendam, exhortationum ſtimulis opus habet. Verum quod Pauli voce Deus mandat, intus ipſe præſtat. Interea partes noſtræ ſunt, ardentibus humilis & a Deo unice pendentis animi precibus continuo divinam opem implorare, & a Domino petere, ut lampadi in nobis accenſæ oleum ſuppeditare, ellychnium purum ſervare, nobisque ſua dona amplificare dignetur. Non ergo fruſtra ſunt admonitiones, ſi Deus omnia in nobis operatur. Nam ad hoc ipſum Deus verbum ſuum & admonitionem fidelium ordinavit, ut abundet gratia & frugifera ſit.

Perperam dein, qui *Apoſtaſiam Sanctorum* aſtruere contendunt, ipſi facti Apoſtatæ, ex Apoſtoli verbis, ſpiritum ne extinguite, concludunt, ſpiritum extingui poſſe, atque adeo ad ſemel renatos non eſſe ſic alligatum, ut non queat flagitiorum turpitudine excuti. Nam, ut AUGUSTINI verba habent, *de ſpiritu, qui nullo modo poteſt extingui, dictum eſt tamen, ſpiritum nolite extinguere, h. e. quantum in nobis, nolite ſic agere, tanquam conemini ſpiritum extinguere.* (a.) Equidem, quod quidam ſpiritum extinguant, minime inficiamur; nempe fideles nominales, externa profeſſione, judicio charitatis, in foro ſoli, κατὰ δόξαν & ſpecietenus, coram Eccleſia renati; quos, quia intus hypocritæ ſunt, non fideles reales, vere, interne, in foro poli, κατ' ἀλήθειαν & coram Deo regenerati, dona ſpiritus communia & externa extinguere poſſe, lubentes concedimus. Neque dubitamus, quin ipſi regeniti aſtu ſatanæ, propria negligentia & nativa corruptione in horrenda ſæpe peccata incidant, ſicque Spiritum Dei contriſtent & tantum non extinguant. Attamen in maximis ipſorum lapſibus ſemen gratiæ non penitus eradicatur, nec ſpiritus totaliter extinguitur,

(a.) Lib. 2. contra Ep. Parmen. c. 13.

tur, ſed ſub cinere variarum tentationum deliteſcit, ſimilisque eſt animæ, quæ ita hæret corpori, ut non raro cum ipſa morte luctetur, & in eas redigatur anguſtias, ut corpus relinquat non diſſimile mortuo, omni motu privatum, & omni ſenſu pro tempore orbatum, cum tamen in univerſa hac lucta non receſſerit a corpore, ſed æque tota in eo fuerit atque in alio, cujus pleniſſima eſt ſanitas, ſed tantum infirmior, a qua infirmitate & ſenſuum & motuum oritur defectus. Quin imo & hoc fateri cogimur, vere fideles ſpiritum penitus extinguere poſſe quoad omnia dona, ſi ſibi permitterentur. Quid enim voluntate humana mutabilius? Quid viribus arbitrii imbecillius? Quid carnis & mundi illecebris potentius? Quid Satanæ furore violentius? Inde tamen neutiquam periclitatur perſeverantia ſanctorum, quippe quæ non nititur viribus hominum, ſed gratuita Dei benevolentia, efficaciſſima Chriſti interceſſione, & conſolationis pleniſſima Spiritus S. obſignatione, qui ea dona, quæ ſunt ἀμεταμέλητα, quale eſt donum fidei & ſanctificationis, tanquam autor eorum, ita fovet & refocillat ſemper, ut extingui non poſſint. Neque tamen, quia certiſſima perſeverantiæ ſpes eſt, exhortationes ad eam ſunt ſupervacaneæ, quia non ſunt cadendi, ſed cavendi & perſeverandi media, quibus fides conſervatur, carnalis ſecuritas depellitur, & nos noſtræ imbecillitatis admonemur.

Tandem longiſſime de vicinia veritatis errant *Fanatici* & *Enthuſiaſtæ*, cœleſtibus revelationibus gravidi; qui ſuis opinionibus, doctrinæ aut factis, extraordinarium divini ſpiritus prætendunt & mentiuntur afflatum, cui ſi contradicatur, ſpiritum exſibilari & extingui quiritantur. At vero Apoſtolus noſter, dum Theſſalonicenſes hortatur, ne ſpiritum extinguant, non ſublimiter eos arripit ad inanes ſine verbo ſpeculationes, ſed continuo ſubjicit, non ſpernendas vel

nul-

nullius faciendas prophetias : quo procul dubio innuitur, ſpiritus lucem præfocari ſimul atque in contemtum veniunt prophetiæ. Quid ad hæc tumidi Enthuſiaſtæ, qui hanc unam reputant eximiam illuminationem, ubi ſecure omiſſo ac valere juſſo Dei verbo, quicquid ſtertendo conceperint, non minus confidenter, quam temere arripiunt ? Filios certe Dei longe alia decet ſobrietas, qui, ut omni veritatis luce ſine Dei ſpiritu orbatos ſe vident, ita non ignorant, verbum eſſe organum, quo ſpiritus ſui illuminationem Deus diſpenſat. Alium autem ſpiritum neſciunt, quam qui in Apoſtolis habitavit & locutus eſt, cujus oraculis aſſidue ad verbi audientiam revocantur : qui ita ſuæ, quam in ſcripturis expreſſit, veritati inhæret, ut vim tum demum ſuam proferat atque exerat, ubi ſua conſtat verbo reverentia ac dignitas. Mutuo enim quodam nexu Dominus verbi ſpiritusque ſui certitudinem inter ſe copulavit, ut ſolida verbi religio animis noſtris inſidat, ubi affulget ſpiritus, qui nos illic Dei faciem contemplari faciat ; ut viciſſim nullo hallucinationis timore ſpiritum amplexemur, ubi illum in ſua imagine, h. e. in verbo recognoſcimus. Non enim verbum hominibus communicavit Deus, quod ſpiritus ſui adventu extemplo aboleret, ſed eundem ſpiritum, cujus virtute verbum adminiſtraverat, ſubmiſit ; qui ſuum opus efficaci verbi confirmatione abſolveret.

Sed & quid contra admonitionem Apoſtolicam *MALI* deſignetur, diligenti æſtimatione perpendendum venit. Dies me deficeret, omnia perſequi tentantem. Omnia igitur, quæ ita extra rem ſunt, ut nec circa rem quidem ſint, relinquam, & ea ſaltem, quæ ad rem ſunt, extremis, quod ajunt, digitis attingam.

Malum ſine dubio, *extinguere ſpiritum ſapientiæ & cogni-*

cognitionis. At quam multi extinguunt illum in ſe ipſis? Qui nimirum, poſtquam animus captus pravis cupidinibus ad inertiam & voluptates corporis peſſumdatus eſt, per ſocordiam vires, tempus, ingenium defluere ſinunt, & dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam ætatem agunt; nec minus tædio inveſtigandæ penitus veritatis cuilibet potius opinioni temere ſuccumbunt, quam in explorando pertinaci diligentia perſeverant; & dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, ſine delectu aſſentiuntur dictis omnibus, nec a rectis falſa ſecernunt, neſcientes, ineſſe & in incredibili verum & in veriſimili mendacium; vel ſi quid agunt, ingenium inter irrita exercent, & diſputationibus nihil profuturis otium terunt; cùm, cui ingenium eſt omnium bonarum artium capaciſſimum, hoc ipſum melioris ingenii pignus ſit, non corrumpi bonitate ejus, ut illo male utatur. Torpent ecce cumprimis, idque parentum culpa, qui liberos luxurioſe nimisque liberaliter habent, ut inſueſcant amare, potare, ſacra profanaque omnia polluere, divina atque humana promiſcua, nihil penſi neque moderati habere, ingenia deſidioſæ juventutis, nec in ullius honeſtæ rei labore vigilatur; Cantandi ſaltandique ſtudia effœminatos tenent, & capillum frangere pulvereque aſpergere odorifero; fluctuantes jubas leunculorum more auris & euris agitandas oſtentare bene pectinatas, diſcriminatas, in annulos coactas ſerpentesque, ad muliebrès blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, immundiſſimis ſe excolere munditiis, helluari, totos dies perpotare, curſando atque ambulando totas conterere noctes, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt: cum iſthoc illecebroſius nihil fieri poſſit, nox, mulier, vinum homini adoleſcentulo. At nimis homo nihili eſt, qui piger eſt & voluptarius, & ſi, cum faciem videas, videa-

videatur eſſe quantivis pretii : vigilare decet hominem, qui vult ſua tempori conficere officia. Nulli erit impune, talentum quodcunque fidei ſuæ concreditum terra obruiſſe; nulli non piaculum, lucernam in candelabro ad uſum erigendam ſub modio nequiter occultaſſe.

Sed & indignandum indoleſcendumque eſt, jam inde a longo tempore in exteris Eccleſiis ſcholisque Spiritus Prophetarum contra ſe invicem inſurgere, ut vix dici queat, cujus ſpiritus ſint, qui, ſive diro livore perciti, ſive ambitione, quæ inter prima bonæ mentis impedimenta, turgidi, ſive præjudiciis occæcati, ſive zelo ſine ſcientia & charitate abducti, ſpiritum in aliis extinguunt, inque eo ſibi laudem eunt quæſitum, ſi procace in ſumma capita libertate inſultare, magna nomina tanquam animalia gloriæ & venalia rumorum mancipia infamare, omne acerbitatis virus aut magno laterum niſu eructare, aut inani tumore & vaniſſimo verborum ſtrepitu perituris chartis faſtidioſe illinere, & manibus pedibusque obnixe omnia facere poſſunt, iis ut incommodent, qui non ſaltant ad ipſorum fiſtulam, etiamſi incertiſſimum edat modulamen.

Et ſi noſtra nobis vineta cædere non diſpliceat, vereor ſane, ut Apoſtolicæ admonitioni ſatisfiat ab iis, qui obliti, vetera & nova ita eſſe diſponenda, ut & vetera a nobis recipiant nitorem, & nova a veteribus autoritatem, ita a novitate abhorrent, ut eo ipſo omnem in cognitione veritatis profectum velint diminutum, & aliis, qui in Reformatæ Eccleſiæ ſententiam non ſolum pedibus, ſed & manibus, imo toto pectore libentiſſime eunt, hac ſolum de cauſa volunt male, quia in explanandis ſcripturis multa obſervarunt, quæ a prioribus fuerunt prætcrita, atque adeo ſeorſim abire neceſſe habuerunt. Cœperunt

boni

boni (ita ut ſit, ubi quid in animo eſt moleſtiæ;) ſuper hoc aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in pejorem partem, redeuntque ad illos, qui dicunt, quid ſi nunc cœlum ruat? Eſt certe Scriptura Theſaurus, qui a nullis unquam, vel veteris vel recentioris ævi, Interpretibus ita eſt exhauſtus, ut nihil amplius novi ex illo depromi poſſit; & ad unumquemque noſtrûm pertinet mandatum Chriſti, quod eſt in ore omnium, *Scrutamini Scripturas;* cujus vi obligati ſumus, ut in primis etiam ex iis addiſcamus mirabilia Dei opera in fatis Eccleſiæ conſpicua, quæ manu Prophetarum ita ſunt præformata & prædelineata, ut Hiſtoria futurorum appellari poſſint; quorum quædam ſua luce adeo radiant, ut in omnium fere oculos ſeſe ingerant, modo ſua ſponte non claudant, quod facere ſolent Judæi, qui Meſſiam in ſcripturis non vident, & regnum ejus ſpirituale ignorant; quædam vero nubibus ſunt obducta, alia tenuioribus, alia craſſioribus, quæ detegenda & evolvenda ſunt majore quadam difficultate, adhibita antecedentium vaticiniorum luce, quæ ut prædicta olim ſub V. T. nunc impleta ſub Novo conſpiciuntur; cum quibus ſi cohæreant, quæ vel alii ante nos viventes impleta videre, vel nos nunc impleri videmus, idque certa quadam ſerie prophetica & ordine, non eſt quod dubitemus, nos in intelligendis SS. Literis profeciſſe, Sunt præterea plurima alia in ſcripturis, in quibus hæſerunt Interpretes; ſponte fatentes, nondum a ſe ſalebras omnes ſuperatas, in quæ inquirere non poteſt eſſe περιεργία ἀχρήςυ πράγματος. Imo quis unquam tam feliciter & accuratè vel unum ſcripturæ locum examinare aut interpretari poſſit, ut nemo valeat vel ipſum clarius explicare, vel aliquid amplius in eo obſervare, quod ad doctrinam, aut cohortationem, aut aliorum locorum conciliationem faciat? Digna, quæ heîc allegentur, ſunt verba Venerabilis BEZÆ, *ex*

Epiſto-

Epiſtola ejus ad ANDREAM DUDITHIUM; *An nunc Deus O. M. Spiritus ſui lucem intelligendis ſcripturis parcius quam antea largitur? Minime profecto; quanquam ſi hoc faceret, juſte profecto faceret. Et hoc ſpero mihi conceſſuros, quicunque vel unicum linguarum donum noſtri temporis hominibus collatum tanti fecere, quanti fieri debet; & (abſit verbo invidia) multorum noſtræ memoriæ ſcripta cum veteribus etiam excellentiſſimis comparabunt.* Hæc ſcripſit vir ille Dei anno temporis noviſſimi ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo. Quid illum, ſi hoc tempore poſt centum triginta & quod excedit annorum decurſum viveret, dicturum putamus, quo ſtudium linguarum principum ἀκμὴν quaſi conſcendit? Annon illum plurima hodiernorum ſcripta Theologica cum ſui temporis etiam præſtantiſſimis comparaturum exiſtimamus, cum intelligentia ſcripturæ abundantior poſtremis reſervata ſit temporibus? (*b.*) Haud igitur exſufflandus videtur illorum conatus, qui (ad quod aliquoties excitat, ab omnibus attendendus & ſequendus inter candelabra aurea Peripateticus, *qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicet Eccleſiis*;) in animæ ſolamen piè, modeſte, & debitis mediis, ea eruere ſatagunt, quæ ſpiritus eo fine tradidit, ut inveſtigantis induſtriam utilitate compenſaret. Certe accuratius ſcripturæ ſcrutinium contemnere, & chariſmata Spiritus S. in ſcriptis magnorum virorum, penes quos acumen in imam penetrans veritatem, ubique fere intermicantia negligere, imo (horreſco referens!) tanquam nugas & proprii cerebelli phantaſmata ſusque deque facere, quid aliud ſit quam ſpiritum extinguere, & prophetiam (per quam fit, ut verbum Chriſti copioſe habitet in Eccleſia, atque ita cognitio Dei abundet, ut terra ea impleatur, ſicut fundus maris aquis:) (*c.*) pro nihilo habere, non video.

(*b.*) Dan. 12: 4. 9. 10. (*c.*) Eſaj. 11: 9.

Sed quid de *Spiritu pietatis & timoris Domini?* Equidem non diffitendum eſt, nonnullos (id quod ſuæ, quam moliuntur, ſeparationi ab Eccleſiis noſtris prætexunt;) haud immerito conqueri, ſinceram atque illibatam pietatem, præcipuum ſpiritus donum, & omnium virtutum clariſſimam, per quam cæteræ fulgent & digniſſima luce ſe commendant, tantum non *extinctam* inter nos jacere. Chriſtus olim ἐν πνεύματι πνεύμασιν ἐκήρυξεν. (*d.*) Et nobiſcum ſpiritus Chriſti contentionis ſerram adhucdum reciprocat. At quot ἀπειθεῖς, qui ſpiritui contumaciter reluctantur? Nunquam vel lamentari vel iraſci deſinet pius, ſi ſemel cœperit; hebeſcit virtus, omnia ſceleribus ac vitiis plena ſunt, neque quicquam hîc vile nunc eſt niſi mores mali; eorum licet jam meſſem metere maximam: plurimi mores majorum laudant, ſed eosdem lutulant, quos collaudant. Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine; major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt. Expulſo melioris æquiorisque reſpectu, quocunque viſum eſt, libido ſe impingit, nec furtiva jam ſcelera ſunt, præter oculos eunt, adeoque in publicum miſſa nequitia eſt, & in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, ſed pene nulla ſit. Plerique homines, quos, cum nihil refert, pudet, ubi pudendum eſt, eos deſerit pudor, cum uſus eſt, ut pudeat.

Quid inſuper *de Spiritu Charitatis*? *Extingui* illum magis magisque, charitatem perfrixiſſe, & Chriſti nomen profeſſos in mutua odia ſævire, res ipſa loquitur. Alter alterius imminet exitio, & fratrum quoque gratia rara eſt. Nemo nemini verum loquitur ex amore, blandimentorum venena nobis propinamus promiſcue, latitante interim odio internecino & zelo plusquam amaro in corde, qui ſubinde nullo lenitatis ſpiritu adhibito in maledicta erumpit; iſthic enim eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus, ut

(*d.*) 1, Petr. 3; 19.

quæ-

quæſtui habeant male loqui melioribus. Ubi is eſt Amicus, qui in re dubia re juvat, ubi re eſt opus? Quid ſe retulit beneficum eſſe oratione, ſi ad rem auxilium emortuum eſt?

Quid denique de *Spiritu roboris & fortitudinis?* qui ſuperveniens ſuis, mundum per eos arguit iniquitatis admiſſæ, æquitatis prætermiſſæ, & ſuorum omnium ſcelerum, ſed & illos contra omnia ſatanæ machinamenta & ſatellites animoſos reddit? Annon *extinguunt* illum Δειλοί, timidi & meticuloſi, qui, ſi homines capiundos ſibi inimicos eſſe ſciant, impoſtorum inſtar, alienam mentiri perſonam, quam quod credunt profiteri, malunt; quibus formido obſtat, quo minus id quod oportet loquantur aut faciant, vel audeant ſe iis opponere, qui veritati pietatique reſiſtunt, quia illos defendit numerus junctaque umbone phalanges: vel purum putum Dei ſermonem tradere, quum homines veritate non gaudent, ſed quærunt doctores ſecundum pruritum aurium: qui, quum ſecundæ res ſunt maxime, haud ſecum meditantur, quo pacto adverſam ærumnam ferant, pericla, damna, exilia, mortem; ideoque quod fors fert, æquo animo ferre non poſſunt?

Reliquum eſt, ut, quid ſecundum Apoſtoli admonitum a nobis omnibus *BONI* requiratur, paucis expediamus.

Omnes, qui præclaris a Deo inſigniti ſunt ſpiritus donis, decet ante omnia, obſecrare quotidie Deum, ut hoc conſtanter poſſint gaudere bono; dein ſumma ope niti, ne vitam ſilentio tranſeant, ſed ut Dei gloriam proximique commoda promoveant, ad gloriam virtutis via graſſentur, & integerrima vita, ſuaviſſimo conſortio, pulcherrima conſcientia famam ſibi perpetuam conficiant, ſicque ceteris præſtent ingenii, doctrinæ, & virtutis gloria hominibus;

Luceat Lux illorum coram hominibus, nec ſit ſpiritus in iis, ſicut lampades fatuarum virginum, quæ ſub adventum ſponſi extinctæ ſunt, quia oleum ad manus non habuerunt; (ſcitum eſt, periclum ex aliis facere, tibi quid ex uſu fiet:) ſed ut Lucerna mulieris ſtrenuæ, quæ noctu non extinguitur: (*e.*) imo ut ignis, qui diu noctuque in altari olim ardebat.

Quos ab aliis diſtinxit divina benignitas, & majoribus donorum ornamentis ſuſtulit, PATRES PATRIÆ, communis juſtitiæ & æquitatis Præſides; illud ſubmiſſiore agnoſcant animo, ſeque tanto magis obſtrictos agnoſcant, ne *ſpiritum extinguant*, ſed ut a ſe removeant ſcelera & flagitia, & cogitationes improbas, & avida conſilia, & libidinem cœcam, & alieno imminentem avaritiam, quæ, ubi in animos Magnatum veluti tabes invaſerit, in polypos eos convertit, qui ſibi quicquid tetigerint tenent; qui magnitudine pecuniæ a bono honeſtoque in pravum facillime abſtrahuntur; quorum animis avidis atque inſatietatibus neque lex neque tutor eſt, qui capere poſſit modum: ut diſcant continentiam augere, luxuriam coërcere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aſpicere, ſpes effrænatas & animum in futura eminentem velut ſub vinculis habere; bonum publicum privatæ gratiæ anteferre; non unam modo, ſed & alteram partem audire; juſtitiam ita adminiſtrare, ut nec propter invidiam adimant diviti, nec propter miſericordiam addant pauperi; ut ſint ſermone affabiles, acceſſu faciles, vultu venerabiles, æquis deſideriis propenſi. Eam demum felicitatem ac ſupremum illud bonum judicent, non quod in opibus, honoribus, purpura ac ſceptro conſiſtit, ſed quod propius mentem conjungit Deo, caſtamque & illibatam conſcientiam cœlo imponit. Sic iis feliciter cuncta provenient, opulentia,

(*e.*) Prov. 31:18.

lentia, pax, copia, ſanitas, & divina majeſtate protecti ſubditos felici gubernabunt imperio.

Sed & iisdem curæ ſit, dona ſpiritus in aliis fovere. Summa ſæpe ingenia in occulto latent, ſub ſordido palliolo & paupere tecto ſæpe etiam virtus ingenioſa latet; At haud facile emergunt, quorum conatibus obſtat res anguſta domi. Ne igitur illorum dona extinguantur, & generoſo in cœlum ferversque pectus honeſto refrigeretur, præmiis excitandi, muneribus decorandi ſunt; neque exiſtimandum, in bidental abjici ſumtus, qui alendis iis fovendisque impenduntur. Decet omnino principe loco poſitos, homines magnæ ſpei haud inſuper habere, ſed lætis aſpicere oculis, & virtuti favorem debitum non infi-ciari. Neque enim, qui vitæ formandæ apti nati ſunt, vitæ commodis carere verum eſt, ut nihil iniquius, quam ut, qui ſe vitiis dedecoravere, bonorum præmia ereptum eant.

In veſtris quoque auribus nunquam non inſonet Apoſtoli vox, *ſpiritum ne extinguite*, VIRI FRATRES, ſive jam erudiendæ pubi ſcholaſticæ vacetis, quæ ſemet ipſam miniſterio verbi divini in Eccleſia addixit; ſive fidelem plebem doceatis ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & profectum urgeatis in ulteriori doctrinæ veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem, cognitione, & mores ipſorum informetis in timore Dei & charitate erga proximum. Si ſub modio deliteſcat lux veſtra, vel in tenebris plus non dirigat quam ligna putrida & lampyridum ſtricturæ, fruſtra *lux mundi* vocamini. Sacris igitur meditationibus impalleſcite; Legem Dei in ſcripturis revelatam, quo nomine legem fidei & quæ ei ſuccenturiantur intelligimus, diligenter ſcrutamini, ut ita tanquam homines Dei ad omne opus bonum ſitis inſtructi. Sit apud vos ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως πνευ-

πνευματικὴ καὶ δυνατὴ, quæ, quia habet comitem Spiritum S. divina potentia armatum, non in veſtibus hæret, ſed in interiores cordis receſſus penetrat, & præjudicia extirpat; non tumultuantes affectus, qui impediunt animum, ne poſſit cernere verum, excitat, ſed eos potius ſub obedientiam Evangelii ſubjugat; intellectum illuſtrat, ut cœleſtem bonorum ſuavitatem percipiat, & voluntatem flectit, ut illa firmo aſſenſu & fiducia amplectatur, iisque innitatur imperterrita, neque ullis minis, promiſſionibus, ullave vi humana ſe inde abſtrahi patiatur. Ne veritatem quærentibus præſtringant oculos clara nomina & autoritas, quæ liberum non relinquit animum ad ſpecioſa ſtupentem; nec expectentur teſtimonia humana, cum præcedunt divina ſuffragia. Sicut in Paradiſo innocentiæ ſignum fuit nuditas, ita hucusque veritas Dei melius ſpectatur nuda, quam humanis velaminibus obtecta. Abſit a nobis illa Joſuæ indignatio, qui Eldad & Medad prophetantes in caſtris a Moſe cohiberi petiit, at reſponſum accepit dignum Moſe, dignum omnium ſeculorum memoria: *An invides tu mea cauſa? Utinam totus populus eſſent Prophetæ, indente illis ſpiritum ſuum Jehova.* (*f.*) Hinc JACOBUS Apoſtolus, *An putatis*, inquit, *ſcripturam* κενῶς, *inaniter dicere: An ad invidiam fertur ſpiritus, qui ſedem poſuit in nobis? ſed majorem affert gratiam.* (*g.*) q. d. An Spiritus S. quo regeniti, quo Chriſtiani facti ſumus, cujus nos ſacra ſedes & templum ſumus, cujus nutu regi nos oportet, & an ſpiritus ille vel ſuapte inclinatione fertur, vel eos, in quibus habitat, vitioſa cupiditate impellit ad invidiam, ut aliorum bonis & donis indoleant? Abſit: imo vero majorem dat gratiam, facitque, ut quisque bonis proximi gaudeat, plura & majora ei apprecetur, ex iis uti ſuis voluptatem capiat, & ipſe denique ita inſtituens gratiæ divinæ

(*f.*) Num. 11: 28, 29. (*g.*) Jac. 4: 5.

vinæ incremento augeatur. Vix dubitandum, quin *Jacobus* ad id digitum intenderit, quod *Moſes* ſpiritu Dei plenus de ſpiritu illiusque operationibus loquens *Joſuæ* invidenti aliis communionem ſpiritus dixit: Ecquid tu mea cauſa invides, meque ad invidiam excitas? An hoc dignum eo ſpiritu, qui in me, qui in te ſedem fixit, & in aliis figet pro lubitu? Bona invicem concordia atque ſincera amicitia alter alterum colat obſervetque, damnatis mutuis odiis infeſtoque deſpectu, quum omnes pariter ad decorandam Dei Eccleſiam civitatemque accerſiti ſimus. Diverſi generis columnæ æquo ornamento unum inſigniunt palatium, dum quæque ſua poſita loco, ſuisque deſtinata uſibus, majore excellentia auget ſtructuræ dignitatem, præſtanti diverſitate inſignem. Nos quoque, qui imparibus gaudemus donis, oportet deſpicere neminem, aut proximi expolitas minus eminentesque faſtidire virtutes, ſi ipſi altioribus præſtamus dotibus, quum & illum ſuo loco decorum Deus collocet, etſi tantis eum muneribus non ornaverit. Sed & eadem poſtulat ratio, ne alteri ſuas invideamus virtutes, & diro hinc livore contabeſcamus, quum, etſi minores nobis adſint dotes, loco tamen noſtro pulchri inſignesque ſtemus. Si nos quibusdam videmus antecellere virtutibus, quæ alteri haud acceſſere, animadvertamus, nos forte etiam quibusdam implicatos vitiis, quæ alios non contaminant. Ita quisque ſua bona ac mala poſſidet, omnesque nævis noſtris laborantes, nihil habemus quod non alter alteri exprobrare poſſit. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjiciantur,* (*b.*) neque ex hominum placitis, ſed ex ſcripto Spiritus S. dictamine ſapiamus; depoſitum ſolicite cuſtodiamus; externum mundi typhum interni hominis tranquillitati poſtponamus; exſuſcitemus gratiam nobis collatam, & obliviſcentes ea quæ retro ſunt,

 exerto

(*b.*) 1. Corinth. 14: 32.

exerto quaſi collo, irretorto oculo & conſtanti greſſu, ad deſtinatum ſupernæ vocationis brabæum noſmet ipſos extendamus, nec magna ſolum loquamur, ſed & vivamus; maximum enim hoc eſt & officium ſapientis & indicium, ut verbis opera concordent, neque orationi vitá diſſentiat. Qui legem Dei veluti certiſſimam dirigendæ vitæ cynoſuram aliis commendatam vult, ipſe vero curſum ſuum alio obliquat, lineas præſcriptas turbat aut tranſilit, ad legem & teſtimonium non attendit, quem inſtitutionis ſuæ polliceri ſibi auſit fructum?

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum;

ſi addas, *At fateor monitis ſum minor ipſe meis*; confeſſionis hoc quidem ſpeciem ſæpe habet, ſed ſcandalum non tollit. Impoſita ſunt patriæ ab impietate & impudenti diſſolutius vivendi licentia vulnera, ea ſunt a nobis ſancti zeli, pietatis, integritatis, & ſcientiæ mediis ſananda. Toleremus invicem in ſpiritu charitatis, & cum unanimes ſimus in fundamento, liceat in cæteris diſſentire ſalva gratia, ſi ſalva conſcientia conſentire non ſemper poſſumus.

Diverſum ſentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Sed ad vos me converto, Studioſi & Candidati ornatiſſimi, qui foro vos & honoribus paratis, in quibus ipſa quæ ſperantur timenda ſunt. Magna eſt hominum opinio de vobis, magna commendatio ingenii, magna ſpes induſtriæ: magnus Literarum, cumprimis ſacrarum, ſcientia campus, omnibus apertus ad laudem curſus. Vita brevis, ars longa, iter longinquum, parum viatici; multa reſtant peragenda, & nox appropinquat, in qua (monente Servatore) nemo poteſt operari. Si huic occaſioni tempus ſeſe ſub-

ſubterduxerit, nunquam quadrigis albis indipiſcetis poſtea. Macti igitur nova virtute; *Spiritum ne extinguite; ἀναζωπυρεῖτε*, quæ in vobis, chariſmata ejus; excitate, quos habetis, igniculos; ſtudete opprimere hanc, quæ obvenit, occaſionem: facite, ut, quod recto conſilio ac flagranti cupiditate ingreſſi eſtis, id peracri contentione exequamini usque ad extremum. Sunt prope in ſpeculis homines, & omnes obſervant, quomodo ſe gerat unusquisque veſtrum; nec tantum vos amici & ſtudioſi veſtrarum laudum, ſed etiam obtrectatores & malevoli intuentur: pudeat ab illis veſtram accuſari, ab his videri, negligentiam & levitatem; facite, ut alteros juvet bene velle, alteros invidiſſe pœniteat; hæc vobis cura ſuſcipienda, hæc opera ſumenda eſt; nihil aliud agite, nullum aliud veſtrum eſſe officium ducite, niſi ut, quo abundatis ingenio, cum re ita ſtudium certet, ut in difficili exiſtimatione, utrum præſtet alteri, utriusque non modo laudem ſed & admirationem conſequamini. Nolite quæſo per ignaviam amittere, quod vobis eſt in manibus; tanta vobis ſit bonarum rerum cura, quanto ſtudio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculoſa alii petunt, & eo magnitudinis procedite, ubi pro mortalibus gloria æterni fiatis. Proſpicite vobis, proſpicite exiſtimationi, proſpicite æternitati: viget ætas, ad ſummam laudem omnibus rebus ornata; animus valet, quem nihil niſi excelſum magnificumque delectat; magnum quiddam eſt, quod a vobis veſtrum & genus & ingenium, quod hi Mecœnates, quorum conſiliis veſtra ſtudia reguntur, quod omnes, qui hîc adſunt & veſtris favent conatibus, Clariſſimi Viri, non exſpectant ſolum, ſed & poſtulant, qui etiam vos taciti mecum hortari videntur; &, ſi quæ vobis propoſita eſt merces multo magis, quam cujusquam oratio, incitare debeat; Næ illi falſi ſunt, qui diverſiſſimas

res pariter exſpectant, ignaviæ voluptatem & præmia virtutis! Ambulat inter candelabra ἐργοδιώκτης vobis & ἀγωνοθέτης, qui laboranti, vincenti, perſeveranti, coronam, thronum, ſtellam matutinam, alba veſtimenta, gratis porriget, quæ nemo auferet. Eritis ut mons Zion, qui æternum non movebitur, ut palma vel cedrus in Libano extendetis ramos; non defluet folium, non areſcet radix, non extinguetur lucerna; fluet unda de ſitulis veſtris ad multorum refrigerium. Eja igitur excitet quivis quod in ſe eſt donum ſpiritus, & quotidie pridie caveat, ne faciat, quod pigeat poſtridie. Semper tu hoc facito cogites, id optumum eſſe, tute ut ſis optumus: ſi id nequeas, ſaltem ut optumis ſis proximus.

Sed

Adſunt & illic Spiritus,
Sunt ſed magiſtri criminum,
Veſtræ & ſalutis aucupes,
Vagi, impotentes, ſordidi.
Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas. (*i.*)

Hi ſpiritus, poſteaquam ſimplicitatem ſubſtantiæ ſuæ onuſti & immerſi vitiis perdiderunt, ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinunt perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati à Deo inductis pravis religionibus à Deo ſegregare. Itaque quia in ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur, omnia inſidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent. Inde ab orbe condito ad hunc uſque diem nihil prætermiſit Diabolus cum Angelis ſuis & ſpiritibus ſeductoribus, quod hominem miſerum aut debilitaret aut perderet; ideo ſe in omnes formas multiplici diverſitate convertit; ideo ſe diverſi

(*i,*) Prudent. in Vincent. Mart. v. 77. ſqq.

verſi generis calliditate compoſuit, ut variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimeret. Ex illius inſtinctu infelicem animum nunc ſuperbia inflamus, nunc cupiditate diſtendimus; alias voluptate laxamus, alias ſolicitudine exurimus. Hic ſpiritus ille veterator eſt, cujus pravas ſuggeſtiones, hic nequam ille ſpiritus, cujus ſpicula & jacula ignita (k.) per fidem extinguere debemus. Sanguis autem Chriſti per fidem hauſtus ſalutare remedium eſt, quod à Dei plebe mortiferum ſerpentis antiqui virus excludit, & ignem extinguit, qui perpetua tormentorum continuatione graſſatur.

Sed ad finem decurrit noſtra oratio.

Sit Tibi, o benignum NUMEN, Sancte Spiritus, Domine & Gubernator mentium Angelicarum & humanarum, laus & gloria pro tua in nos gratia; perficiatur tua virtus in noſtra infirmitate; da cautelam periculis, morbis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatium calamitatibus, laboribus levamentum; inſpira ſalutares motus: manuduc nos per omnes hujus mundi anfractus, ut non intelligamus tantum, ſed & ſentiamus & palpemus ea, quæ Deus nobis eſt gratificatus: præſerva nos ab erroribus, qui ſaluti damnum inferrent; concede nobis iſtam σύνεσιν, qua perpendamus ea quæ audimus, ut per nos ipſos ex certis principiis, quid rectum ſit & veritati revelatæ congruum, ad amuſſim decernamus: dirige tanquam Lucifer exoriens noſtris in cordibus τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν, ſincerum mentis noſtræ judicium, ut expergefiat juxta ſacra monita ad devotum veritatis ſcrutinium; Confer αἰσθητήρια γεγυμνασμένα, exercitatos ſenſus, qui per habitum a lacte ſolidiorem cibum, à malo bonum noverint expedite diſtinguere. Qui quaſi

(k.) Epheſ. 6: 16.

quaſi gallina maturandis ovis primigeniis incubabas aquis, omnes nos ſub alis tuis collige, & ſemper fove; leva ſuper nos lucem vultus tui, & Facies tua gratioſa nobis præluceat in omnibus conatibus & cœptis noſtris; qui deſcendiſti ſicut columba ad Servatoris lavacrum, inde pectoribus noſtris manſuetudinem iſtam ſimplicem & columbinam, qua & amicis grati, & hoſtibus non ſuſpecti, beatitudinis ſcalam à Servatore propoſitam aſcendamus. Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hunc hortum, ut fluant illius aromata in omnes Eccleſiæ, Scholæ, Reipublicæ angulos, quæ carnes nimium ferinas, otio & luxuria putreſcentes ſalubriter & ſincere condiant, & à fœtore conſervent. Sanctifica nos magis magisque indies, & ita in omnem veritatem virtutemque dirige, ut reficiantur quaſi & inebrientur corda noſtra non interrumpendo ſolatio, donec Deus nos à corporis miſeri carceribus emiſſos beato cœlitum choro permiſceat, ubi Deo pleni æternum gaudebimus & ſolidum gaudium.

D I X I.

* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

JOH.

JOH. CASPARI BRUNNERI VITA.

JOH. CASPARUS BRUNNERUS patriam ſortitus eſt, veterem illam optimorum ingeniorum, ad omnis eruditionis laudem efflorefcentium, nutriculam, TIGURUM noſtrum. Patrem habuit ex honeſtiſſima & vetere Familia JOH. CASPARUM BRUNNERUM, Paſtorem Zollickonenſem per quadraginta & quod excurrit annos Vigilantiſſimum, & in Templo Cathedrali Præconem facundiſſimum. Matrem verò REGULAM WYSSIAM, ſanctiſſimam ac præſtantiſſimam fœminam, quam vel ex Filio agnoſcas. Avus Paternus fuit JOH. RODOLPHUS BRUNNERUS, Art. LL. in Collegio, quod ab Humanitate nomen habet, Profeſſor Celeberrimus: Maternus vero Reverendiſſimus quondam Tigurinorum in Æde Abbatiſſana Eccleſiaſtes, FELIX WYSSIUS, variis ingenium, eruditionem & pietatem ſpirantibus ſcriptis Clariſſimus atque Celeberrimus. Non ergo BRUNNERUS noſter obſcure natus fuit; natus autem fuit prid. Id. Decembris. An. MDCXLIX.

Puer provide & curate à laudatiſſimis Parentibus educatus, eumque in finem ab ephebis pædagogeo immiſſus eſt, cujus claſſes omnes non ſine modeſtiæ ac diligentiæ ſingularis laude ſuperavit, donec ad ſuperiora illuſtris Gymnaſii phrontiſteria rite promotus fuiſſet: Ubi tunc ſtudiis Humanioribus Philoſophicisque primum, dein præcipue Theologicis, ſub ductu Clariſſimorum Dn. Profeſſorum, cum primis Virorum de Eccleſia Jeſu Chriſti & Rep. Literaria meritiſſi-

ritiſſimorum CASP. SUICERI, JOH. HENR. HOTTINGERI (*cujus præmaturum & tragicum exitum ſolenni deploraverat oratione;*) JOH. LAVATERI, J. H. HEIDEGGERI, JOH. MULLERI, adſiduam felicemque navavit operam; ſecuto profectuum non mediocri ſpecimine, Diſputatione *De Baptiſmo pro mortuis*, An. MDCLXVIII. Mox, cum in Examinibus votis Ven Præſidum abunde feciſſet ſatis, Miniſtrorum Verbi Divini albo V. Kal. Mart. An. MDCLXIX. inſertus eſt.

Quum vero non omnis ferat omnia tellus, nec unus angulus omnia præclara ſibi vendicet ingenia, noluit ὁ μακαρίτης noſter paternæ domus ſemper cuſtos eſſe, quapropter ad pertexendam ſtudiorum telam capeſſendumque majorem animi cultum, (Socio Excellentiſs. poſtea M.D. Phyſices in Athenæo noſtro Profeſſore & Canonico, DN. SALOM. HOTTINGERO;) III. Kal. April. An. MDCLXIX. iter inſtituit literarium, per Germaniæ, Belgii, Angliæ & Galliæ Academias. Lugduni Batavorum cumprimis per aliquod tempus commoratus, Viros toto orbe Celeberrimos, COCCEIUM (*cui a Cl. HEIDEGGERO & HOFMEISTERO intime commendatus erat. Vide ſis Ep. CCCCLI. & CCCCLII. Tom. II. Oper. Poſthum. p. m. 796, 797. inſertas.*) & HEIDANUM, audivit. Londini viros itidem doctiſſimos conſuetudine ſua ſibi devinxit. Oxoniæ verò Cel. THOM. BARLOW, Collegii Reg. Oxon. Præpoſitum & pro D. Margarita SS. Theologiæ Profeſſorem publicum, EDUARD. item POCOCKIUM, Lingg. Græc. Hebr. & Arab. Prælectorem doctiſſimum, aliosque qui inter doctos eruditosque principatum obtinebant ſalutavit, menſa ſaleque uſus Cel. THOM. HYDE,

HYDE, Protobibliothecarii Bodlejani, (*Tractatum tunc de Ludo Latrunculorum meditantis*;) cujus manuductione per bimeſtre Bibliothecam Bodlejanam, eodem quo GUILHELMUS, *Haſſiæ Landgravius*, Pariſiis poſtmodum diem functus, tempore, ſedulo luſtravit. Oxonia relicta LUTET. PARISIORUM appulit; ubi itidem varias Bibliothecas, & publicas & privatas, inſpexit atque perreptavit; Hinc prid. Kal. IXbris profectus per Burgundiæ Comitatum, vulgo *Franche Comté*, patrios petiit lares, ſuorumque amplexibus eſt redditus An. MDCLXX. exeunte.

Reverſus Chriſtum frequenter ex ſuggeſtu prædicare magno cum ſucceſſu & applauſu orſus, Ven. Parentis aliorumque, Rev. cumprimis MURERI, Paſtoris in Buchs emeriti, vices alacriter ſuffulcivit; quo tempore tantam eruditæ pietatis ſibi famam conciliavit, ut ex Ven. Præſidibus eſſent, qui illum & ad Ephoratum & ad Profeſſionem Theologiæ Catecheticæ promoveri cupiebant.

Cum ad conſtituendam deinceps familiam animo cogitationeque ſe NOSTER converteret, Nobiliſſimam ſuique Sexus ornamentis decoratiſſimam Virginem CATHARINAM HOSPINIANAM, Viri plur. Venerandi, RODOLPHI HOSPINIANI, *Collegii Carolini quondam Præpoſiti, & Ludimagiſtri*, Gnatam, Magni illius Polyhiſtoris R. HOSPINIANI, ut & Theologi JAC. HULDRICI ex Filia abnepten, ſibi An. MDCLXXII. Conjugem legit, quacum pie atque jucunde annos plusquam unum & viginti vixerat; Hæc illi, larga Dei benignitate, ſeptenam progeniem dedit, at liberorum

torum tres tenelli fere diem ſuum obierunt, Filiæ vero tres tribus (*a.*) etiam Paſtoribus nupſerant, de quibus ſigillatim dicere inſtituti non eſt; Filius autem unicus (*b.*) Paſtor Rorbacenſis, (ubi lucem primo aſpexit, ubi & Pater, ut mox videbimus, Paſtoris officio functus erat) fuit creatus.

Menſe VIIbri An. MDCLXXVI. Paſtor Rorbacenſis Murer miſere necatus atque truncatus una cum Sorore & ancilla in ædibus paſtoralibus inveniebatur; quis flagitii hujus immanis atque nefandi autor fuerit, in hunc usque diem, exactiſſime licet inquiſitum ſit, ignoratur. Hujus loco ſuffectus fuit Venerandus noſter, qui etiam in hoc ſuo munere recte laudabiliterque tuendo, omnes, ut par eſt, nervos ætatis, ingenii, induſtriæque exſeruit; ſtudebat namque docta atque igne caritatis incenſa oratione ex animis hominum vitiorum radices evellere, & contrarias illis virtutes inſerere; privatis vero ſermonibus non ceſſabat ſuis opem afferre, afflictos conſolari, errantes in viam reducere, peccata in odium adducere, pacem componere, ad diſcordiam cauſas, ſi quas inter aliquos intercedere noverat, funditus tollere. Quæ oratio apud ſuos gravior habebatur, quod cum ejus vita mirabiliter congruebat. Cumque per luſtra duo, magna ſanctitatis cum laude

(*a.*) Vel quatuor, maxima nimirum natu *Catharina*, primo Conjuge gaviſa eſt D. Antonio Kittio, Paſt. Mediolacenſi, ſecundo D. Rod. Rhanio, Paſt. Rikenbacenſi; altera, *Regula* nomine inſignita, nupſit D. Joh. Conrado Reutlingero, Paſt. Altſtettano & Ven. Claſſis ad Lac. Tig. Camerario, Socero Colendiſſ. tertia vero *Eſther*, D. J. Jac. Oerio, Paſt. Delliconenſi; Earum nonniſi prima adhuc ſuperſtes eſt.

(*b.*) *Rodolphus*, qui obiit 1721.

de, inter Rorbacenſes ſuos vixiſſet, factum eſt, ut a Venerabili Canonicorum Collegio ad Diaconatum Eccleſiæ Cathedralis An. MDCLXXXVII. Id. Februarii vocaretur.

Denata fidiſſima thori Socia, ſecundas vere ſecundas iniit nuptias cum honeſtiſſima Matrona DOROTHEA SPÖNDLINA, Domini CASPARI SPÖNDLINI *Plebis Tribuni* Filia, ex octo primogenita, (ex hiſce binæ binis Conſulibus DD. JAC. ESCHERO & JAC. HULDRICO nupſerant;) CASPARI CLINGLERI, Fratris ANTONII CLINGLERI S.S. Theol. Doct. pereximii atque Eccleſiæ Antiſtitis, relicta vidua.

Tandem tandemque maximo ſuo merito Canonicus atque Archi-Diaconus I. fuit creatus Anno MDCCIV. XIV. Januarii. (*c.*) Munus hoc ſuum ſingulari diligentia, & fide ac dexteritate pari adminiſtravit, nihil ſedulitatis & curæ defugiens, ut EccleſiæChriſti prodeſſet. Concurſus civium ad eum audiendum haud leves erant, omnia quippe aderant in eo, quæ in Oratore ſacro deſiderantur; formæ dignitas, oris decor, orationis elegans copia, verborum ſane bonorum curſus, quæ non magis ſuaviter in aures influerent, quam cum pondere in animos caderent; Vitæ probitas & integritas, ſine qua omnia, quæ ſunt in Præcone bona, vileſcunt; quibus virtutibus aſſequebatur, ut voluntates Auditorum ſibi mire conciliaret.

At, quæ humana inconſtantia eſt, non diu officio huic præfuit, corpus quippe habuit male conſti-

 tutum,

(*c.*) Concionem Inaug. habuit d. 9. Martii, in 2. Tim. 2; 3.

tutum, ægrum, infirmum & acerbiſſimo podagræ & calculi dolori (cui minime par fuiſſet perferendo, niſi Deus animi robur ipſi inſpiraſſet,) fere ſemper obnoxium, quo factum eſt, ut celerius quam ætas illius, nondum morti matura, poſtularet, vitæ munus impleret; Feſto enim omnium ſanctorum, pridie Synodi, An. MDCCV. inter devotas preces & ſuſpiria, poſtquam integris ſenſibus nihilque prorſus turbata mente, crucis onus ſe patienter ferre, quin imo CHRISTUM JESUM crucifixum in corde habere, ultimis verbis teſtatus erat, (*d.*) divinam illam animam DEO Creatori & JESU CHRISTO Redemtori lubens reddidit, atque ſic ad *μυριάδας ἀγγέλων; πανήγυριν καὶ ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων* diſceſſit, expletis in hac mortali vita annis ſex ſupra quinquaginta. Quantum & quam triſte Doctrinæ, Probitatis, Eloquentiæ, Prudentiæque deſiderium ſuæ bonis omnibus reliquerit, is facile cogitatione aſſequetur, qui ſapientis illius dicti meminerit, *tum denique noſtra nos intelligere bona, cum, quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.*

Plura ingenii & pietatis monumenta reliquit, quæ tamen, ſingulari quadam animi magnitudine, a rerum omnium humanarum deſpicientia ducta, typis

(*d.*) Inter intenſiſſimos atque effrenatos calculi dolores *μακαρίτης* noſter, paucis ante beatam *ἀνάλυσιν* momentis, ex noto illo Hymno Eccleſiaſtico. Ach Gott und Herr! wie groß und ſchwer, ꝛc. miſericordiam miſericordis ſummi Sacerdotis hiſce implorabat atque expoſcebat verbis: Solls ja ſo ſeyn, daß Straff und Peyn auf Sünde folgen müſſen, ſo fahr hie fort, und ſchone dort, und laß mich hie wohl büſſen! Gib, Herr! Gedult, vergiß der Schuld, verleih ein ghorſam Hertze, ꝛc. ꝛc.

piſ mandare noluit ; ſpectant huc Meditariones in GENESIN Tomis V. in EXODUM Tom. III. in PROVERB. decem priora capita Tom. II. in CANTIC. capita ſex & partem ſeptimi Tom. I. in Matth. capp. XII. priora Tom. III. In Nov. Teſt. Fragmina, de quibus videatur Præfatio Viri pl. Venerandi JOH. HEINRICI FRISII Paſtoris ad D. Petri Vigilantiſſimi meritiſſimique Tom. I. Oper. Bibl. Schrifftmäßige Erklärung und Zueignung des gantzen Neuen Teſtaments. pag. 7. ſeq. taceo alia minora. Ex hiſce operibus, ut jamjam monui, publici juris nihil fecit, niſi Diſſertationem ſupra citatam & Concionem in funus Nobiliſſimi Hans Meiſen, Domini de Rorbaß, Teuffen und Freyenſtein, ex Philipp. I: 21. die 30. VIIIb. 1680. habitam. זכר צדיק לברכה׃

TANTUM.

* * * * * * * * *
* * * * * *
* * *
* * * * * * * * *
* * *
* *

III.

LUDOVICI TRONCHINI.

V. D. M. ut & S. S. Theologiæ in Academia Genevenſi Profeſſoris Publici,

ORATIO

Inauguralis,

De requiſitis Doctoris Evangelici.

In 2. Tim. II: 23-25.

Cui adjecta Vitæ, Fatorum, Obitus & Operum

V. Cl. JOH. ALPHONSI TURRETTINI

DESCRIPTIO.

IN quacunque Diſciplina vel diſcenda vel docenda, præter ingenii ac animi dotes neceſſarias, duo ſunt, ſine quibus aliquis ſucceſſus vix poſſit exſpectari, quæque juncta maximam vim a ſe invicem mutuantur, *Regulæ* & *Exempla.* Ope *Regularum* aperitur via, qua propoſitus finis certius, promtius, felicius attingitur, & obſtacula, quæ occurrunt, devitandi aut

aut ſuperandi modus indicatur : *Exempla* vero Regularum uſum viamque ſequendam velut digito commonſtrant, & eam in animis ingenuis æmulationem ingenerant, qua ad præſtantium & clarorum virorum imitationem potentiſſime feruntur. Ab utroque illo ſcientiarum acquirendarum medio materiam dicendi in præſentiarum ſumere, me, *Profeſſionem Theologicam* auſpicantem, maxime decet. Verba *PAULI* mox lecta optimam cœleſtis hujuſce Diſciplinæ tractandæ normam præbebunt, a qua declinare ſit nefas; & Magni *TURRETTINI*, quem lugemus, commemoratio efficaciſſimum nobis erit incentivum, ut eximii illius Doctoris Chriſtiani veſtigiis toto conatu noſtro inſiſtamus. His duobus conſtabit Oratio: Et prius quidem ſine mora aggredior, iis parum utilibus exordiis, quibus, qui publice dicunt, Auditorum benevolentiam captare ſolent, prætermiſſis, ne longius quam par eſt procedat Oratio, & ut veſtræ patientiæ conſulam.

PAULUS a Doctore Chriſtiano *tria* deſiderat, 1. Ut ſapientem habeat delectum inter ea dogmata, illas diſquiſitiones, quæ ad res Theologias vulgo referuntur. *Rejice*, inquit, *ſtultas & ineruditas diſquiſitiones, quæ, ut ſcis, pugnas gignunt* &c. 2. Ut Doctor Chriſtianus ſit διδακτικός, i. e. ad cœleſtem diſciplinam aliis inſtillandam idoneus. 3. Ut erga eos, qui controverſiam ipſi movent, & quidem erga contumaces, placidum, tolerantem ac lenem ſe præbeat. Hæc tria leviter attingenda.

I. In primis Doctori Chriſtiano ſapiens habendus eſt delectus eorum, quæ ad Theologiam vulgo referuntur. Theologia Chriſtiana, qualis a Chriſto ipſo & ejus Apoſtolis fuit tradita, divina quadam nitebat ſimplicitate, paucisque conſtabat momentoſis capitibus, quibus mens attenta, veritatis amans, de Dei

voluntate obſervanda ſerio cogitans, de ſalute æterna obtinenda vere ſollicita, promte ac ſincera cum fide acquieſcebat, ſtatim atque ipſi credenda proponerentur. Verum jam a temporibus Apoſtolicis hæc cœleſtis Diſciplina infuſcari & deturpari cœpit a quibusdam inſanis hominibus, qui ſpuriis cum ſcholæ Judaicæ, tum Ethnicorum Sophiſtarum opinionibus ac placitis imbuti, ea in Religionem Chriſtianam, ad quam acceſſerant, temere intulerunt, graviſſimoque quo laborabant, quæſtionum morbo Eccleſiam infecerunt. In hos falſos Doctores frequenter ac vehementer inſurgit *PAULUS* ſuis in omnibus Epiſtolis, & præſertim in duabus ad Timotheum. Iis exprobrat, quod (*a.*) *diverſam* a vero Evangelio *Doctrinam doceant*, quod *attendant animum fabulis* . . . *quæ potius quæſtiones præbent quam ædificationem Dei, quæ eſt per fidem;* quod *a ſcopo aberrantes divertant ad vaniloquentiam, & putantes, ſe eſſe Doctores egregia præditos intelligentia, neſciant omnino nec quæ loquuntur nec de quibus aſſeverant.* Hujus acerbiſſimi mali principiis Apoſtoli, quamdiu vixerunt, totis viribus obſtiterunt. At prævaluit hominum audacia ac malitia, & quo numeroſior evaſit Eccleſia, quo magis a Sæculo Apoſtolico receſſit, eo etiam ſpuriis placitis, ſtultis ac inutilibus quæſtionibus magis laboravit, quibus purum Evangelium pene fuit obrutum. Hinc quot & quanta orta ſint diſſidia, quibus Eccleſia diſcerpta fuit, quot horrenda bella, quot deteſtanda facinora, nemo veſtrum ignorat, nec eſt animus referre.

Ergo hoc præcipuum eſto Doctoris Chriſtiani officium, ut χόρτον καὶ καλάμην, *fœnum, ſtipulam, ſordes* ab *auro & argento* ſedulo diſtinguat atque ſecernat: μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ, inquit Paulus; *ſtultas & ineruditas*, i. e. quæ ad bonam inſtitutionem nequaquam inſerviunt, *quæſtiones rejice.*

(*a.*) 1. Tim. 1: 3 - 7. vide etiam cap. 6: 3 - 5. & 20. 21.

Stultas appellat, quæ ob earum abſurditatem, impietatem vel ſummam futilitatem, omnino & cum indignatione ſunt prætermittendæ, quales a Scholaſticis Theologis non ita pridem agitabantur.

Ad Quæſtiones vero *ineruditas*, vel quæ ad rectam Chriſtianæ Diſciplinæ inſtitutionem non conducunt, eæ pertinent, quæ verſantur circa res ſupra mentis humanæ limites poſitas; Eæ, quibus ſatisfieri non poteſt ſine expreſſa Dei Revelatione, quam hominibus denegavit; tum illæ, quæ ſolos Veteris Teſtamenti Fideles reſpiciunt, & ad nos noſtramque ſalutem non attinent.

Omnes has & ſimilis generis quæſtiones, quarum exempla proferre non vacat, nec eſt neceſſe, Doctor Theologus prudens omittat, ut quæ ad ſanam Doctrinam non pertineant: vel ſi de iis omnino ſilere ipſum non deceat, eas leviter attingat & unicuique ſuum verum aſſignet pretium, aut potius de illarum inutilitate Auditores ſedulo moneat. Uno verbo, veram Evangelicæ Doctrinæ naturam introſpiciat, germanumque ejus ſcopum ſemper animo præſentem habeat. Quænam autem eſt natura, quis ſcopus Evangelii? ſcilicet, ut homines per fidem in Jeſum Chriſtum, per pœnitentiam & ſanctimoniam, ad Deum & ſalutem æternam adducantur. Quicquid eo tendit, inter momentoſa capita reponi debet, illud urgendum, illi inſiſtendum; cetera, ut curioſa potius quam utilia parvi facienda. Si iſtius ſimpliciſſimæ ac æquiſſimæ regulæ aliquam habuiſſent rationem Doctores Chriſtiani, longe melius cum Eccleſia fuiſſet actum, & etiamnum ageretur.

II. Delectu ſapienter facto eorum, quæ ad διδασκαλίαν τὴν ὑγιαινοῦσαν, i. e. *Doctrinam ſanam* vel *ſalubrem* pertinent, ſequitur alterum, quod *PAULUS* a Doctore Theologo requirit, ſcilicet ut ſit διδακτικὸς, *ad docen-*

hinc faceſſant vana illa & inania ſermonis ornamenta, *meteωra orationis* a Clariſſimo quodam Theologo (c.) lepide dicta, quæ φαντασίαν quidem movent ac oblectant, ſed ad veritatis lumen mentibus inferendum nequaquam conducunt, quin potius ipſi quam maxime obſunt; eo enim inflato, & ut ita dicam phalerato, dicendi genere, parum fideles, imo & identidem falſiſſimæ rerum divinarum notiones excitantur, quibus mens incauta in errorem facile inducitur; Nec alia quærendà eſt cauſa plerumque falſorum dogmatum, quibus purum Evangelium fuit contàminatum, quæque a magna Chriſtianorum parte etiamnum pertinaciter retinentur.

III. Doctori Theologo non ſufficit, ut ſalutarem Doctrinam accurate & apte tradiderit; ejus eſt præterea, illam ab adverſariorum petitionibus defendere. Quo autem modo quave mentis diſpoſitione Theologus has partes agere debeat, *PAULUS* docet; *Non oportet*, inquit, *ſervum Dei pugnare*, ſed eſſe ἤπιον, *placidum*, ἀνεξίκακον, *tolerantem*, ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, *cum lenitate erudientem adverſarios vel contumaces.* Jam dicta ſi probe obſerventur, plurimum conducent ad pleraſque controverſias præcidendas. Verum, ut ſunt homines, cum controverſiæ omnino nequeant vitari, cum res Theologo plerumque ſit habenda cum adverſariis varii admodum ingenii, & quidem quandoque malignis, pertinacibus, hoc tertium caput diſtinctius nobis eſt conſiderandum.

Quando igitur ipſi controverſia movetur; in quo ſita ſit, ante omnia perpendat Theologus, an in rebus ipſis, num forte in vocum ambiguitate. Si in vocibus, poſtquam, quo ſenſu eas ſumat, declaraverit, eo ipſo finem controverſiæ faciat; quid enim pueri-

(c.) D. *SAMUELE WERENFELSIO*.

puerilius, quid ſtolidius, quid Doctori præſertim Chriſtiano indignius, quam λογομαχειν? hanc in rem nequeo mihi temperare, quominus Clariſs. *WERENFELSIUM* adducam præclare diſſerentem; (*d.*) „ Dum frivolis his controverſiis tempus terimus, inquit ille, quot utiliora, quot neceſſaria prætermittimus? Monſtrat nobis Theologia ſalutis viam; proficiendum in cognitione Dei, in cognitione noſtri; proficiendum non in eruditione modo ac ſapientia, ſed in fide, in ſpe, in charitate: Et nos cum tantum penſum habeamus, quaſi nihil eſſet quod ageremus, puerorum inſtar litteris & ſyllabis ludimus. Quin ingredimur denique veræ ſapientiæ viam? omnis hic mora periculoſa eſt; ſatis litibus eſt datum, ſatis diſputationi; incipiatur aliquando actio; mors inſtat, quanto ſatius eſt ut ab ea deprehendamur agentes, quam de verbis concertantes? Oh ſapiens, oh vere Chriſtianum monitum! Si vero de rebus ipſis controverſia ſit, earum momentum ſedulo attendat Theologus; ſcilicet num res, de quibus agitur, ad mentis humanæ captum, an forte ſupra ſint poſitæ. Si ſupra, ita ut inſuperabilibus difficultatibus utrobique ſcateant, ſobrius Theologus & veri amans ab his judicium cohibere quam de his temere pronunciare, controverſiam declinare quam ſuſtinere, longe ſatius ducit, oſtenſisque hinc inde ſcopulis, promte loco cedit, ignorantiam ingenue faſſus. Sunt controverſiæ de rebus, quæ ad Dei gloriam, ad Evangelicæ Doctrinæ finem, ad hominum ſalutem parum conferunt, nec niſi oblique ac e longinquo pertinent; adeo ut de iſtis, quoquo modo quis ſentiat, neque Dei Majeſtas offendatur, neque Evangelium temeretur neque ſalutis periculum ſubeatur. In illos, qui de his controverſiam nobis movent, cur excandeſceremus? quin potius

(*d.*) Diſs. de Logomach. Cap. IV. pag. 489.

ritiſſimorum CASP. SUICERI, JOH. HENR. HOTTINGERI (*cujus præmaturum & tragicum exitum ſolenni deploraverat oratione;*) JOH LAVATERI, J. H. HEIDEGGERI, JOH. MULLERI, adſiduam felicemque navavit operam; ſecuto profectuum non mediocri ſpecimine, Diſputatione *De Baptiſmo pro mortuis*, An. MDCLXVIII. Mox, cum in Examinibus votis Ven Præſidum abunde feciſſet ſatis, Miniſtrorum Verbi Divini albo V. Kal. Mart. An. MDCLXIX. inſertus eſt.

Quum vero non omnis ferat omnia tellus, nec unus angulus omnia præclara ſibi vendicet ingenia, noluit ὁ μακαρίτης noſter paternæ domus ſemper cuſtos eſſe, quapropter ad pertexendam ſtudiorum telam capeſſendumque majorem animi cultum, (Socio Excellentiſs. poſtea M.D. Phyſices in Athenæo noſtro Profeſſore & Canonico, DN. SALOM. HOTTINGERO;) III. Kal. April. An. MDCLXIX. iter inſtituit literarium, per Germaniæ, Belgii, Angliæ & Galliæ Academias. Lugduni Batavorum cumprimis per aliquod tempus commoratus, Viros toto orbe Celeberrimos, COCCEIUM (*cui a Cl. HEIDEGGERO & HOFMEISTERO intime commendatus erat. Vide ſis Ep. CCCCLI. & CCCCLII. Tom. II. Oper. Poſthum. p. m. 796, 797. inſertas.*) & HEIDANUM, audivit. Londini viros itidem doctiſſimos conſuetudine ſua ſibi devinxit. Oxoniæ verò Cel. THOM. BARLOW, Collegii Reg. Oxon. Præpoſitum & pro D. Margarita SS. Theologiæ Profeſſorem publicum, EDUARD. item POCOCKIUM, Lingg. Græc. Hebr. & Arab. Prælectorem doctiſſimum, aliosque qui inter doctos eruditosque principatum obtinebant ſalutavit, menſa ſaleque uſus Cel. THOM.

HYDE,

HYDE, Protobibliothecarii Bodlejani, (*Tractatum tunc de Ludo Latrunculorum meditantis*;) cujus manuductione per bimeſtre Bibliothecam Bodlejanam, eodem quo GUILHELMUS, *Haſſiæ Landgravius*, Pariſiis poſtmodum diem functus, tempore, ſedulo luſtravit. Oxonia relicta LUTET. PARISIORUM appulit; ubi itidem varias Bibliothecas, & publicas & privatas, inſpexit atque perreptavit; Hinc prid. Kal. IXbris profectus per Burgundiæ Comitatum, vulgo *Franche Comté*, patrios petiit lares, ſuorumque amplexibus eſt redditus An. MDCLXX. exeunte.

Reverſus Chriſtum frequenter ex ſuggeſtu prædicare magno cum ſucceſſu & applauſu orſus, Ven. Parentis aliorumque, Rev. cumprimis MURERI, Paſtoris in Buchs emeriti, vices alacriter ſuffulcivit; quo tempore tantam eruditæ pietatis ſibi famam conciliavit, ut ex Ven. Præſidibus eſſent, qui illum & ad Ephoratum & ad Profeſſionem Theologiæ Catecheticæ promoveri cupiebant.

Cum ad conſtituendam deinceps familiam animo cogitationeque ſe NOSTER converteret, Nobiliſſimam ſuique Sexus ornamentis decoratiſſimam Virginem CATHARINAM HOSPINIANAM, Viri plur. Venerandi, RODOLPHI HOSPINIANI, *Collegii Carolini quondam Præpoſiti, & Ludimagiſtri*, Gnatam, Magni illius Polyhiſtoris R. HOSPINIANI, ut & Theologi JAC. HULDRICI ex Filia abnepten, ſibi An. MDCLXXII. Conjugem legit, quacum pie atque jucunde annos plusquam unum & viginti vixerat; Hæc illi, larga Dei benignitate, ſeptenam progeniem dedit, at liberorum

rorum tres tenelli fere diem ſuum obierunt, Filiæ vero tres tribus (*a.*) etiam Paſtoribus nupſerant, de quibus ſigillatim dicere inſtituti non eſt; Filius autem unicus (*b.*) Paſtor Rorbacenſis, (ubi lucem primo aſpexit, ubi & Pater, ut mox videbimus, Paſtoris officio functus erat) fuit creatus.

Menſe VIIbri An. MDCLXXVI. Paſtor Rorbacenſis Murer miſere necatus atque truncatus una cum Sorore & ancilla in ædibus paſtoralibus inveniebatur; quis flagitii hujus immanis atque nefandi autor fuerit, in hunc usque diem, exactiſſime licet inquiſitum ſit, ignoratur. Hujus loco ſuffectus fuit Venerandus noſter, qui etiam in hoc ſuo munere recte laudabiliterque tuendo, omnes, ut par eſt, nervos ætatis, ingenii, induſtriæque exſeruit; ſtudebat namque docta atque igne caritatis incenſa oratione ex animis hominum vitiorum radices evellere, & contrarias illis virtutes inſerere; privatis vero ſermonibus non ceſſabat ſuis opem afferre, afflictos conſolari, errantes in viam reducere, peccata in odium adducere, pacem componere, ad diſcordiam cauſas, ſi quas inter aliquos intercedere noverat, funditus tollere. Quæ oratio apud ſuos gravior habebatur, quod cum ejus vita mirabiliter congruebat. Cumque per luſtra duo, magna ſanctitatis cum laude

(*a.*) Vel quatuor, maxima nimirum natu *Catharina*, primo Conjuge gaviſa eſt D. Antonio Kittio, Paſt. Mediolacenſi, ſecundo D. Rod. Rhanio, Paſt. Rikenbacenſi; altera, *Regula* nomine inſignita, nupſit D. Joh. Conrado Reutlingero, Paſt. Altſtettano & Ven. Claſſis ad Lac. Tig. Camerario, Socero Colendiſſ. tertia vero *Eſther*, D. J. Jac. Oerio, Paſt. Delliconenſi; Earum nonniſi prima adhuc ſuperſtes eſt.

(*b.*) *Rodolphus*, qui obiit 1721.

de, inter Rorbacenſes ſuos vixiſſet, factum eſt, ut a Venerabili Canonicorum Collegio ad Diaconatum Eccleſiæ Cathedralis An. MDCLXXXVII. Id. Februarii vocaretur.

Denata fidiſſima thori Socia, ſecundas vere ſecundas iniit nuptias cum honeſtiſſima Matrona DOROTHEA SPÖNDLINA, Domini CASPARI SPÖNDLINI *Plebis Tribuni* Filia, ex octo primogenita, (ex hiſce binæ binis Conſulibus DD. JAC. ESCHERO & JAC. HULDRICO nupſerant;) CASPARI CLINGLERI, Fratris ANTONII CLINGLERI S. S. Theol. Doct. pereximii atque Eccleſiæ Antiſtitis, relicta vidua.

Tandem tandemque maximo ſuo merito Canonicus atque Archi-Diaconus I. fuit creatus Anno MDCCIV. XIV. Januarii. (*c*.) Munus hoc ſuum ſingulari diligentia, & fide ac dexteritate pari adminiſtravit, nihil ſedulitatis & curæ defugiens, ut EccleſiæChriſti prodeſſet. Concurſus civium ad eum audiendum haud leves erant, omnia quippe aderant in eo, quæ in Oratore ſacro deſiderantur; formæ dignitas, oris decor, orationis elegans copia, verborum ſane bonorum curſus, quæ non magis ſuaviter in aures influerent, quam cum pondere in animos caderent; Vitæ probitas & integritas, ſine qua omnia, quæ ſunt in Præcone bona, vileſcunt; quibus virtutibus aſſequebatur, ut voluntates Auditorum ſibi mire conciliaret.

At, quæ humana inconſtantia eſt, non diu officio huic præfuit, corpus quippe habuit male conſti-

(*c*.) Concionem Inaug. habuit d. 9. Martii, in 2. Tim. 2; 3.

tutum, ægrum, infirmum & acerbiſſimo podagræ & calculi dolori (cui minime par fuiſſet perferendo, niſi Deus animi robur ipſi inſpiraſſet,) fere ſemper obnoxium, quo factum eſt, ut celerius quam ætas illius, nondum morti matura, poſtularet, vitæ munus impleret; Feſto enim omnium ſanctorum, pridie Synodi, An. MDCCV. inter devotas preces & ſuſpiria, poſtquam integris ſenſibus nihilque prorſus turbata mente, crucis onus ſe patienter ferre, quin imo CHRISTUM JESUM crucifixum in corde habere, ultimis verbis teſtatus erat, (*d.*) divinam illam animam DEO Creatori & JESU CHRISTO Redemtori lubens reddidit; atque ſic ad *μυριάδας ἀγγέλων, πανήγυριν καὶ ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων* diſceſſit, expletis in hac mortali vita annis ſex ſupra quinquaginta. Quantum & quam triſte Doctrinæ, Probitatis, Eloquentiæ, Prudentiæque deſiderium ſuæ bonis omnibus reliquerit, is facile cogitatione aſſequetur, qui ſapientis illius dicti meminerit, *tum denique noſtra nos intelligere bona, cum, quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.*

Plura ingenii & pietatis monumenta reliquit, quæ tamen, ſingulari quadam animi magnitudine, a rerum omnium humanarum deſpicientia ducta, typis

---

(*d.*) Inter intenſiſſimos atque effrenatos calculi dolores *μακαρίτης* noſter, paucis ante beatam *ἀνάλυσιν* momentis, ex noto illo Hymno Eccleſiaſtico. Ach Gott und Herr! wie groß und ſchwer, ꝛc. miſericordiam miſericordis ſummi Sacerdotis hiſce implorabat atque expoſcebat verbis: Solls ja ſo ſeyn, daß Straff und Peyn auf Sünde folgen müſſen, ſo fahr hie fort, und ſchone dort, und laß mich hie wohl büſſen! Gib, Herr! Gedult, vergiß der Schuld, verleih ein ghorſam Hertze, ꝛc. ꝛc.

pis mandare noluit ; ſpectant huc Meditationes in GENESIN Tomis V. in EXODUM Tom. III. in PROVERB. decem priora capita Tom. II. in CANTIC. capita ſex & partem ſeptimi Tom. I. in Matth. capp. XII. priora Tom. III. In Nov. Teſt. Fragmina, de quibus videatur Præfatio Viri pl. Venerandi JOH. HEINRICI FRISII Paſtoris ad D. Petri Vigilantiſſimi meritiſſimique Tom. I. Oper. Bibl. Schrifftmäßige Erklärung und Zueignung des gantzen Neuen Teſtaments. pag. 7. ſeq. taceo alia minora. Ex hiſce operibus, ut jamjam monui, publici juris nihil fecit, niſi Diſſertationem ſupra citatam & Concionem in funus Nobiliſſimi Hans Meiſen, Domini de Norbaß, Teuffen und Freyenſtein, ex Philipp. I: 21. die 30. VIIIb. 1680. habitam. זכר צדיק לברכה׃

TANTUM.

* * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * *
* *

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

III.

LUDOVICI TRON-CHINI.

V. D. M. ut & S. S. Theologiæ in Academia Genevenſi Profeſſoris Publici,

ORATIO

Inauguralis,

De requiſitis Doctoris Evangelici.

In 2. Tim. II: 23-25.

Cui adjecta Vitæ, Fatorum, Obitus & Operum

V. Cl. JOH. ALPHONSI TURRETTINI

DESCRIPTIO.

IN quacunque Diſciplina vel diſcenda vel docenda, præter ingenii ac animi dotes neceſſarias, duo ſunt, ſine quibus aliquis ſucceſſus vix poſſit exſpectari, quæque juncta maximam vim a ſe invicem mutuantur, *Regulæ* & *Exempla.* Ope *Regularum* aperitur via, qua propoſitus finis certius, promtius, felicius attingitur, & obſtacula, quæ occurrunt, devitandi aut

aut ſuperandi modus indicatur : *Exempla* vero Regularum uſum viamque ſequendam velut digito commonſtrant, & eam in animis ingenuis æmulationem ingenerant, qua ad præſtantium & clarorum virorum imitationem potentiſſime feruntur. Ab utroque illo ſcientiarum acquirendarum medio materiam dicendi in præſentiarum ſumere, me, *Profeſſionem Theologicam* auſpicantem, maxime decet. Verba *PAULI* mox lecta optimam cœleſtis hujuſce Diſciplinæ tractandæ normam præbebunt, a qua declinare ſit nefas; & Magni *TURRETTINI*, quem lugemus, commemoratio efficaciſſimum nobis erit incentivum, ut eximii illius Doctoris Chriſtiani veſtigiis toto conatu noſtro inſiſtamus. His duobus conſtabit Oratio: Et prius quidem ſine mora aggredior, iis parum utilibus exordiis, quibus, qui publice dicunt, Auditorum benevolentiam captare ſolent, prætermiſſis, ne longius quam par eſt procedat Oratio, & ut veſtræ patientiæ conſulam.

PAULUS a Doctore Chriſtiano *tria* deſiderat, 1. Ut ſapientem habeat delectum inter ea dogmata, illas disquiſitiones, quæ ad res Theologias vulgo referuntur. *Rejice*, inquit, *ſtultas & ineruditas disquiſitiones, quæ, ut ſcis, pugnas gignunt* &c. 2. Ut Doctor Chriſtianus ſit διδακτικός, i. e. ad cœleſtem diſciplinam aliis inſtillandam idoneus. 3. Ut erga eos, qui controverſiam ipſi movent, & quidem erga contumaces, placidum, tolerantem ac lenem ſe præbeat. Hæc tria leviter attingenda.

I. In primis Doctori Chriſtiano ſapiens habendus eſt delectus eorum, quæ ad Theologiam vulgo referuntur. Theologia Chriſtiana, qualis a Chriſto ipſo & ejus Apoſtolis fuit tradita, divina quadam nitebat ſimplicitate, paucisque conſtabat momentoſis capitibus, quibus mens attenta, veritatis amans, de Dei

voluntate obſervanda ſerio cogitans, de ſalute æterna obtinenda vere ſollicita, promte ac ſincera cum fide acquieſcebat, ſtatim atque ipſi credenda proponerentur. Verum jam a temporibus Apoſtolicis hæc cœleſtis Diſciplina infuſcari & deturpari cœpit a quibusdam inſanis hominibus, qui ſpuriis cum ſcholæ Judaicæ, tum Ethnicorum Sophiſtarum opinionibus ac placitis imbuti, ea in Religionem Chriſtianam, ad quam acceſſerant, temere intulerunt, graviſſimoque quo laborabant, quæſtionum morbo Eccleſiam infecerunt. In hos falſos Doctores frequenter ac vehementer inſurgit *PAULUS* ſuis in omnibus Epiſtolis, & præſertim in duabus ad Timotheum. Iis exprobrat, quod (*a.*) *diverſam* a vero Evangelio *Doctrinam doceant*, quod *attendant animum fabulis* .|. . *quæ potius quæſtiones præbent quam ædificationem Dei, quæ eſt per fidem;* quod *a ſcopo aberrantes divertant ad vaniloquentiam*, *& putantes, ſe eſſe Doctores egregia præditos intelligentia, neſciant omnino nec quæ loquuntur nec de quibus aſſeverant.* Hujus acerbiſſimi mali principiis Apoſtoli, quamdiu vixerunt, totis viribus obſtiterunt. At prævaluit hominum audacia ac malitia, & quo numeroſior evaſit Eccleſia, quo magis a Sæculo Apoſtolico receſſit, eo etiam ſpuriis placitis, ſtultis ac inutilibus quæſtionibus magis laboravit, quibus purum Evangelium pene fuit obrutum. Hinc quot & quanta orta ſint diſſidia, quibus Eccleſia diſcerpta fuit, quot horrenda bella, quot deteſtandâ facinora; nemo veſtrum ignorat, nec eſt animus referre.

Ergo hoc præcipuum eſto Doctoris Chriſtiani officium, ut χόρτον καὶ καλάμην, *fœnum, ſtipulam, ſordes* ab *auro & argento* ſedulo diſtinguat atque ſecernat: μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ, inquit Paulus; *ſtultas & ineruditas*, i. e. quæ ad bonam inſtitutionem nequaquam inſerviunt, *quæſtiones rejice.*

(*a.*) 1. Tim. 1: 3-7. vide etiam cap. 6: 3-5, & 20. 21.

Stultas appellat, quæ ob earum abſurditatem, impietatem vel ſummam futilitatem, omnino & cum indignatione ſunt prætermittendæ, quales a Scholaſticis Theologis non ita pridem agitabantur.

Ad Quæſtiones vero *ineruditas*, vel quæ ad rectam Chriſtianæ Diſciplinæ inſtitutionem non conducunt, eæ pertinent, quæ verſantur circa res ſupra mentis humanæ limites poſitas; Eæ, quibus ſatisfieri non poteſt ſine expreſſa Dei Revelatione, quam hominibus denegavit; tum illæ, quæ ſolos Veteris Teſtamenti Fideles reſpiciunt, & ad nos noſtramque ſalutem non attinent.

Omnes has & ſimilis generis quæſtiones, quarum exempla proferre non vacat, nec eſt neceſſe, Doctor Theologus prudens omittat, ut quæ ad ſanam Doctrinam non pertineant: vel ſi de iis omnino ſilere ipſum non deceat, eas leviter attingat & unicuique ſuum verum aſſignet pretium, aut potius de illarum inutilitate Auditores ſedulo moneat. Uno verbo, veram Evangelicæ Doctrinæ naturam introſpiciat, germanumque ejus ſcopum ſemper animo præſentem habeat. Quænam autem eſt natura, quis ſcopus Evangelii? ſcilicet, ut homines per fidem in Jeſum Chriſtum, per pœnitentiam & ſanctimoniam, ad Deum & ſalutem æternam adducantur. Quicquid eo tendit, inter momentoſa capita reponi debet, illud urgendum, illi inſiſtendum; cetera, ut curioſa potius quam utilia parvi facienda. Si iſtius ſimpliciſſimæ ac æquiſſimæ regulæ aliquam habuiſſent rationem Doctores Chriſtiani, longe melius cum Eccleſia fuiſſet actum, & etiamnum ageretur.

II. Delectu ſapienter facto eorum, quæ ad διδασκαλίαν τὴν ὑγιαινέσην, i. e. *Doctrinam ſanam* vel *ſalubrem* pertinent, ſequitur alterum, quod *PAULUS* a Doctore Theologo requirit, ſcilicet ut ſit διδακτικὸς, *ad docen-*

docendum idoneus, quod indicat & Methodum qua res diſponendæ ſunt, & ſtilum vel loquendi modum quò in iis exponendis utendum.

In qualicumque diſciplina progreſſus omninò pendent a Docentis *Methodo*, adeo ut prava tantum obſit quantum recta inſervit; quod obviò exemplò patebit. Si quis Arithmeticam docens a diviſione, vel proportionum regula, inciperet, prætermiſſis adjectionis, ſubtractionis ac multiplicationis regulis, quas in poſterum tradendas reſervaret; tyrones ita inſtitutos num in arte numerandi multum profecturos putatis? Immo vero hac methodi inverſione, eos neceſſe eſſet concipere maxime confuſas numericarum proprietatum notiones, quibus in errorem continuò inducerentur, ita ut nuda iis ignorantia fuerit potior. Eadem eſt ratio ceterarum omnium diſciplinarum, ac ſpeciatim Theologiæ, in qua tradenda maxime neceſſaria eſt recta Methodus, cujus præcipuos *Canones* paucis indicare, non abs re erit.

1. Quædam primariæ dantur veritates, quæ ſunt inſtar fundamenti, quo nititur totum Theologiæ Syſtema, ita ut, niſi quis eas jam habeat probe cognitas, ad cetera Dogmata tuto pervenire non poſſit; manifeſtum eſt, ab his veritatibus primariis initium eſſe faciendum.

2. Cum Deus pro ſua ſumma Sapientia ſeſe hominibus revelaverit (*b.*) πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis vicibus*, *multisque modis*, cumque harum Revelationum aliæ aliis magis aut minus ſint claræ ac perfectæ; cavendum, ne inter ſe confundantur, ſed unaquæque in ſeipſa & ſeorſim a ceteris ſpectanda eſt, ut accurata illius habeatur notitia. Iſtius Canonis neglectu factum eſt, ut quidam Theologi priſcis Revelatio-

(*b.*) Hebr. 1:1.

lationibus eandem ferè lucem, eandem perfectionem attribuerint, quæ ultimæ per Chriſtum Revelationi unice competit; quod manifeſto falſum, ſummoque generis humani Doctori injurium.

3. Cum aliquod Theologiæ Chriſtianæ dogma tractat Doctor Theologus, primum nitidam ejus notitiam det; dein illud ſolidis probet argumentis, ex recta ratione fluentibus, & quæ ad id dogma fulciendum allegabit e ſacro Codice depromta teſtimonia, ſecundum ſanæ critices regulas applicet. Quam frequenter in id a viris Theologis fuerit peccatum, taceo; at hoc unum quantumvis tritum obſervari velim, quod maximi ſit momenti, nempe, nihil veritati magis officere quam imbecillia argumenta & teſtimonia perperam allata; inde enim fit, ut vel firmiſſimæ rationes, vel certiſſima teſtimonia in vani ac falſi ſuſpicionem apud incredulos veniant. Illa autem ad quoddam Religionis dogma confirmandum ſelecta argumenta & teſtimonia ita ſunt ordinanda, ut, quantum fieri poterit, poſterius aliquid priori addat, & cum ipſo quandam quaſi cognationem habeat & connexionem, unde efficiatur veluti probationum concatenatio, cujus tanta eſt vis, ut mens ſubattenta ipſi reſiſtere non valeat.

Non modo Methodi, ſed & *Stili*, ſeu dictionis, ratio eſt habenda Theologo, ut ſit διδακτικὸς. Dicendi genere utatur puro, ſimplici, nitido; voces adhibeat, quarum ſenſus apertus ſit & auditoribus familiaris; & ſi de aliquo momentoſo dogmate agatur, illud tradat ipſiſſimis, quantum fieri poterit, S. Scripturæ verbis, ne humano ſermone utens in periculo ſit veritatem cœleſtem adulterandi: Hinc faceſſant illa Scholaſtica vocabula, ab uſu vulgari alieniſſima, barbara, & ſenſu vacua, quibus Theologia tamdiu inhorruit, quæque denſam ipſi caliginem affuderant;

hinc faceſſant vana illa & inania ſermonis ornamenta, *metepra orationis* a Clariſſimo quodam Theologo (*c.*) lepide dicta, quæ φαντασίαν quidem movent ac oblectant, ſed ad veritatis lumen mentibus inferendum nequaquam conducunt, quin potius ipſi quam maxime obſunt; eo enim inflato, & ut ita dicam phalerato, dicendi genere, parum fideles, imo & identidem falſiſſimæ rerum divinarum notiones excitantur, quibus mens incauta in errorem facile inducitur; Nec alia quærendà eſt càuſa plerumque falſorum dogmatum, quibus purum Evangelium fuit contàminatum, quæque a magna Chriſtianorum parte etiamnum pertinaciter retinentur.

III. Doctori Theologo non ſufficit, ut ſalutarem Doctrinam accurate & apte tradiderit; ejus eſt præterea, illam ab adverſariorum petitionibus defendere. Quo autem modo quave mentis diſpoſitione Theologus has partes agere debeat, *PAULUS* docet; *Non oportet*, inquit, *ſervum Dei pugnare*, ſed eſſe ἤπιον, *placidum*, ἀνεξίκακον, *tolerantem*, ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, *cum lenitate erudientem adverſarios vel contumaces.* Jam dicta ſi probe obſerventur, plurimum conducent ad pleraſque controverſias præcidendas. Verum, ut ſunt homines, cum controverſiæ omnino nequeant vitari, cum res Theologo plerumque ſit habenda cum adverſariis varii admodum ingenii, & quidem quandoque malignis, pertinacibus, hoc tertium caput diſtinctius nobis eſt conſiderandum.

Quando igitur ipſi controverſia movetur; in quo ſita ſit, ante omnia perpendat Theologus, an in rebus ipſis, num forte in vocum ambiguitate. Si in vocibus, poſtquam, quo ſenſu eas ſumat, declaraverit, eo ipſo finem controverſiæ faciat; quid enim pueri-

(*d.*) D. *SAMUELE WERENFELSIO.*

pueriliuſ, quid ſtolidius, quid Doctori præſertim Chriſtiano indignius, quam λογομαχειν? hanc in rem nequeo mihi temperare, quominus Clariſs. *WERENFELSIUM* adducam præclare diſſerentem; (d.) „ Dum frivolis his controverſiis tempus terimus, inquit ille, quot utiliora, quot neceſſaria prætermittimus? Monſtrat nobis Theologia ſalutis viam; proficiendum in cognitione Dei, in cognitione noſtri; proficiendum non in eruditione modo ac ſapientia, ſed in fide, in ſpe, in charitate: Et nos cum tantum penſum habeamus, quaſi nihil eſſet quod ageremus, puerorum inſtar litteris & ſyllabis ludimus. Quin ingredimur denique veræ ſapientiæ viam? omnis hic mora periculoſa eſt; ſatis litibus eſt datum, ſatis diſputationi; incipiatur aliquando actio; mors inſtat, quanto ſatius eſt ut ab ea deprehendamur agentes, quam de verbis concertantes? Oh ſapiens, oh vere Chriſtianum monitum! Si vero de rebus ipſis controverſia ſit, earum momentum ſedulo attendat Theologus; ſcilicet num res, de quibus agitur, ad mentis humanæ captum, an forte ſupra ſint poſitæ. Si ſupra, ita ut inſuperabilibus difficultatibus utrobique ſcateant, ſobrius Theologus & veri amans ab his judicium cohibere quam de his temere pronunciare, controverſiam declinare quam ſuſtinere, longe ſatius ducit, oſtenſisque hinc inde ſcopulis, promte loco cedit, ignorantiam ingenue faſſus. Sunt controverſiæ de rebus, quæ ad Dei gloriam, ad Evangelicæ Doctrinæ finem, ad hominum ſalutem parum conferunt, nec niſi oblique ac e longinquo pertinent; adeo ut de iſtis, quoquo modo quis ſentiat, neque Dei Majeſtas offendatur, neque Evangelium temeretur neque ſalutis periculum ſubeatur. In illos, qui de his controverſiam nobis movent, cur excandeſceremus? quin potius

(d.) Diſs. de Logomach. Cap. IV. pag. 489.

tius modeſtiſſime, moderatiſſime, amiciſſime cum iis contendamus; quin animo placido & ab omni affectu vacuo rationes afferamus, quibus noſtra nititur ſententia, & incommoda oſtendamus, quibus ſententia contraria noſtro judicio laborat; quo peracto, ſi eos ad partes noſtras trahere non valemus, eos ideo tanquam cariſſimos in Chriſto fratres habere ac tractare ne deſiſtamus.

At alii dantur adverſarii, erga quos non ita facile videtur, hanc, quam præcipit *PAULUS*, animi lenitatem ac tolerantiam ſervare; qui nempe in rebus magni momenti a nobis diſſident, qui pro exitiali errore contendunt, aut veritatem, a qua ſalus hominum omnino pendeat, acriter impugnant, quorumque pertinacia nulla ratione, vel evidentiſſima, vinci poteſt. Nec minus, Auditores, cum ejusmodi adverſariis placide, comiter, patienter eſt agendum, ita tamen ut cœleſtem veritatem ignave non deſeramus, ſed eam, ut par eſt, fortiter tueamur. Quid enim apud adverſarios tuos proficere te putas tu, qui tantopere in eos efferveſcis, tu qui inter cauſam tuam defendendam indignationi, acribus rixis, convitiis, intemperantius te permittis? In hac, qua es, animi perturbatione, num de recto controverſiæ ſtatu inter vos convenire poterit, quo non intellecto aer inaniter vapulat? num ſolidiora ad veritatem firmandam & contrariam opinionem evertendam argumenta invenire, ſeligere, illaque urgere valebis, qui mentis compos non ſis? num te adverſarium ab exitiali errore ſuo redimere & ad veritatem flectere poſſe præſumis, qui ea uteris methodo, qua nulla eſt aptior ad illum a te tuaque ſententia quam longiſſime avertendum? Nec dicant acres illi doctores, Dei gloriæ, ejus Religionis, ejus Eccleſiæ, *zelo* ſe ardere; Caveant, ne quem affectum *zelum* vocant, is potius

potius ſit κακοζηλια ; Caveant ne dum Dei gloriam, Religionis & Eccleſiæ ſalutem conclamant, immodeſto potius partium ſuarum ſtudio teneantur, & propriæ famæ, propriis commodis inſervire cogitent.

Is demum verus eſt ac germanus Dei zelus, qui honeſte ac moderate ſe gerit ; qui cum ea, quam ſuis Chriſtus adeo impenſe præcipit, caritate eſt conjunctus ; qui hominum ignorantiam, errorem, pertinaciam, ſincere & ex animo dolet ; qui non, ut ipſe vincat, ſed ut adverſarii ab evidentia vincantur, ſerio cupit & quærit, quique a pravis omnibus ac violentis ſententiam ſuam propagandi modis ſummopere abhorret ; qui vel maxime pertinaces eo amore, eo ſtudio proſequitur, ut ſumma cum patientia illos ad viam revocare, illos erudire, admonere pergat, (*e.*) *experturus, num aliquando daturus ſit eis Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis.* Hic zelus cum eximiis erga diſſentientes affectibus a *PAULO* Doctori Chriſtiano præceptis optime conſentit.

Hoc *PAULI* monitum, non pro ejus momento, ſed pro circumſtantia præſenti, leviſſime attigimus : Aliud enim eſt quod a nobis potiſſimum requiritur ; &, ut præſtantiſſimi Theologi, nuper, heu! acerbo fato nobis erepti, piiſſimam memoriam recolamus, moræ forte impatientes exſpectatis. Oh! ſi nobis contingeret aliquanta pars facundiæ, qua pollebat magnus ille Vir! At, utut in dicendo rudes, hoc triſti officio pro virili fungamur : ad *TURRETTINUM* recte decantandum non opus eſt oratore, ſimplex ſufficit & candidus narrator, quodque a parte ingenii deerit, id forſan ſupplebit animi affectus.

Si laudes a *Majoribus* deſumendæ ſint, *Noſter* ſane hinc habuit, ut quiſquam alius, de quo poſſet gloriari ; utpote ab antiqua & nobili Reipublicæ Lucenſis

(*e.*) 2. Timoth. 2; 25.

ſis familia oriundus, quæ veritatis Evangelicæ cauſa jam a pluribus annis Genevam ſe recepit; res procul dubio ſic dirigente Providentia, huic Urbi ſingulariter favente, de quo beneficio eſt cur ipſi gratias immortales habeamus: Quam multi enim præclari Viri ex hac familia prodiere, qui tum de Eccleſia & Academia, tum de Republica optime ſunt meriti. Verum iis immorari parum videretur decorum, & *Noſtro* pene injurium, quaſi non eſſet in eo ſatis ampla dicendi materia.

Patre *Franciſco Turrettino*, Matre *Eliſabetha de Maſſe* in lucem editus eſt *JOANNES ALPHONSUS TURRETTINUS*, Menſe (*f.*) Auguſto, anni 1671. Eximias dotes, quas a benigniſſimo Creatoris numine una cum vita acceperat, Parentes ejus optima coluerunt inſtitutione, ipſeque a teneris annis ſua diligentia, aſſiduitate, induſtria, magis ac magis perfecit. Et hic obſervare eſt, ut quis ad ſcientiarum apicem perveniat, vel feliciſſimas ingenii dotes nequaquam ſufficere, ni adſit ſedula cura, labor impiger, in hac prima vitæ periodo, quæ ad ingenuas artes addiſcendas eſt aptiſſima; qui hanc ætatem deſidioſe præterlabi ſivit, fere in caſſum deinceps litteris inſudat, ſaltem e ſemidoctorum vulgo ſe eximere non valet, quod conſtans experientia plus ſatis probat. Puer his raris animi dotibus ornatus, eo paterno inſtituto ac exemplo adjutus, eo vehementi, quo ipſe ferebatur, in Litteras affectu, non poterat, quin maximum in iis, prout ætas ferebat, profectum faceret, ita ut vel doctiſſimorum ſingularem benevolentiam ea ratione ſibi conciliaret.

Cum 16. ætatis annum ageret, (*g.*) amiſit, Deo ſic volente, Venerandum Patrem, qui, cum ſe in ultimo

(*f.*) Die Menſis 13. ſecundum veterem tempus computandi rationem. (*g.*) d. 28. Sept. 1687.

timo vitæ termino verſari ſentiret, filium pluribus allocutus eſt, ac, præter varia, hæc inprimis illi præſcripſit, (*b*) *Eccleſiæ Dei curam, ſi aliquando ad ſacrum vocaretur Miniſterium, Veritatis amorem, humilitatem & caritatem.* Oh ſapientem, oh vere paternam, ſanctoque Dei ſervo digniſſimam adhortationem! ad quam Noſter cogitata, dicta, ſcripta, facta, ad finem usque vitæ ita religioſe conformavit, ut eam conſtanter animo præſentem & quaſi ante oculos poſitam habuiſſe viſus fuerit.

Tunc temporis Philoſophiæ ſtudio incumbebat, duce & auſpice præſtantiſſimo Viro *JOANNE ROBERTO CHOUET*, primum Academiæ, deinde Reipublicæ ſplendidiſſimo jubare, qui primus in hac Urbe Philoſophiam a Scholæ ſordibus ac tricis, quibus ſqualebat, defœcavit, & germanam ratiocinandi normam mira cum arte miroque cum ſucceſſu tradidit. Sub tanto Magiſtro talis Diſcipulus quantos brevi progreſſus fecerit, nemo non facile percipit: Eo tempore Magiſter & Diſcipulus arctiſſimam inter ſe neceſſitudinem inierunt, quæ nonniſi alterius morte finiit.

Sic optime in Philoſophicis exercitatus, (*i.*) ad Theologiam animum appulit, eam tum docentibus *PHILIPPO MESTREZATIO*, ſolidiſſimo Theologo, qui paulo poſt e vivis exceſſit, *BENEDICTO PICTETO*, de noſtra Eccleſia, vel, ut rectius loquar, de omnibus Eccleſiis Reformatis, optime merito, qui non ita pridem *FRANCISCO TURRETTINO* ſucceſſerat, & *LUDOVICO TRONCHINO*, Avo meo, qui, quanti pretii Noſter eſſet, optime ſenſit, & cum eo intimam conjunxit amicitiam, Duo-

(*b.*) In Oratione Parentali, quam Cl. *PICTETUS* de *FRANCISCO TURRETTINO* habuit, pag. 22.

(*i.*) Anno 1689.

Duobus circiter annis, in rebus Theologicis maxima cum diligentia impenſis, Turrettinus de itinere ad exteras gentes faciendo cogitavit, (*k.*) annos 19. & aliquot menſes natus. Hac juvenili ætate, in qua, qui juris ſui facti peregre mittuntur, ex ſuis, ut plerumque accidit, itineribus plus damni quam emolumenti reportant, Noſter eam præ ſe ferebat ſapientiam, eam ad omnia, quæ cernebat quæque audiebat, in ſuos uſus convertenda ſagacitatem, quæ a viro maturo & experto potuiſſet exſpectari. Lugduni Batavorum ſtupendum ingenii ac eruditionis, pro ætate, ſpecimen dedit in Theſibus, *Pyrrhoniſmus Pontificius* inſcriptis, quas in lucem protulit (*l.*) & ſub Clariſs. *FRID. SPANHEMII* præſidio defendit; quarumque *BAYLIUS*, cui placuiſſe non ultima laus eſt, in ſuo *Dictionario* (*m.*) perhonorifice meminit. Ex Hollandia diſcedens, in Angliam trajecit, omnigenarum ſcientiarum veluti centrum, & ubi ſpeciatim vigebat eximia τȣ Θεολογεῖν Methodus, adeo ut Noſter, peritiſſimus in iis judex, dicere ſoleret, „ Ex omnibus Theologis Anglos Religionis Chriſtianæ indolem optime percipere, & verum ejus ſcopum quam „ proxime attingere ſibi viſos fuiſſe. Non vacat, nominatim numerare omnes Viros Doctrina & Muneribus Eccleſiaſticis conſpicuos, a quibus Noſter in ea beata regione comiter ac certatim fuit exceptus. At ſilentio premi non debet Illuſtriſs. *BURNETUS*, Epiſcopus Salesburienſis, qui Noſtrum Salesburiam ſecum deductum per aliquot hebdomadas hoſpitio amiciſſimo recepit, eumque commendavit & conciliavit Doctiſſimis Viris *LLOYDIO*, *WHITBY*, *ALLIXIO*, & ſpeciatim ſumme Reverendo *WHILIELMO WAKE*, dum viveret, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, quocum Turrettinus conſuetudinem junxit, quam

(*k.*) Febr. 1691. (*l.*) Mai. 1692. (*m.*) In Art. *Turrettin* (Franç.) & pag. 2223. litt. b. ad Marg. in artic. *Nicole*.

quam deinceps ad illius mortem usque coluit frequenti Epiſtolarum commercio. Ex Anglia Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, ubi omnes alicujus nominis Doctos frequentavit: magnus præſertim ipſi fuit uſus cum Abbate *DE LONGUE RUE*, Linguarum Orientalium peritiſſimo, a quo Linguam Arabicam didicit; adeo ardenter omnia ſcire cupiebat. Tandem (*n.*) iter Patriam verſus direxit, magnam, ubicunque locorum peregrinatus fuerat, ſui exiſtimationem poſt ſe relinquens, & pretioſiſſimam omnis generis cognitionum meſſem ſecum reportans.

Paulo poſt ejus reditum (*o.*) Sacro Miniſterio fungendi poteſtatem a Venerando Cœtu accepit; paucis menſibus elapſis, in ipſum Cœtum honoris cauſa fuit admiſſus, & biennio poſt in *Paſtorum Urbanorum* (*p.*) numerum aggregatus eo ſolemni quo utimur more: Verum Paſtoris Munus ordinarium non ſuſcepit, quod obſtaret tenuis, qua erat, valetudo; Nihilominus tamen ſatis frequenter concionabatur, & ſemper eo auditorum concurſu ac applauſu, eo fructu, ut nullus concionator majorem unquam habuerit.

Interea, ſcilicet anno 1697. (*q.*) Ampliſſimus Senatus Genevenſis, utilitati publicæ indeſinenter invigilans, Turrettino noſtro *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* docendi provinciam demandavit, & illius cauſa novam erexit Cathedram. Non multo poſt (*r.*) *Rector Academiæ* conſtitutus, hoc ſplendidum Munus per decem annos continuos exercuit; & hinc, Auditores, illæ cedro digniſſimæ Orationes, quas, quo Artis Oratoriæ quis eſt peritior & eſt eloquentior, eo majore cum voluptate atque admiratione legit. Dum ea dignitate Academica fuit inſignitus, Bibliothecæ publi-

(*n.*) An. 1693. vel 94. (*o.*) 30. Mart. 1694. (*p.*) *les Paſteurs de la Ville.* (*q.*) 12. Mart. (*r.*) 20. Maji 1701.

cæ, adhuc velut in cunis jacenti, utiliſſimam impendit curam, ita ut quòd meliore ſtet loco, quod amplior ſit ac rectius ordinata, id præſertim ipſius operæ tribui debeat. Cum autem anno 1705. ſub finem vergente (*s.*) Avus meus vitam hancce momentaneam cum æterna feliciter commutaſſet, quem quidem Turrettinus multis deflevit lachrymis, ob intimam, quæ ipſi cum illo intercedebat, conſuetudinem ac familiaritatem; in defuncti locum a Venerando Cœtu ſuffectus, *Profeſſionem Theologicam* ſuſcepit, quam per triginta & duos annos exercuit; qua doctrina atque induſtria, quo ſucceſſu, nemo ignorat niſi qui de Academia Genevenſi ne verbum quidem audivit. Inter plurimos egregios, quos inſtituit, diſcipulos, eminuit dulciſſimæ recordationis *SAMUEL TURRETTINUS*, omnibus iis dotibus præditus ac virtutibus, quæ Theologum eximium conſtituunt. Illum jam a teneris annis velut in ſinu ſuo Noſter foverat, formaverat, & ita impenſe diligebat, ut omnium conſiliorum ſuorum faceret conſcium; eo quoque felicitatis pervenerat, ut hunc haberet Collegam & quidem digniſſimum. At oh! vita hominum quam eſt incerta, quam fragilis & caduca! Jubar iſtud, per paucos annos Academiæ & Eccleſiæ noſtræ conceſſum, in medio ſuo curſu extinguitur, ſicque Noſtro dimidia pars animæ ſuæ eripitur; hunc gravem ac fatalem caſum quam vivide ſenſerit, vix dici poteſt. Inde non parum increvit illud tædium vitæ, illud æternæ quietis deſiderium, quo jam a longo tempore tenebatur, ob valetudinem fractam tot frequentibus aſthmatis quo laborabat παροξυσμοῖς ſeu acceſſibus, qui ſæpe illum in mortis periculum adducere viſi ſunt. Pia ejus anima, divinum quid ſpirans, cœlum anhelabat votiſque aſſiduis anticipabat, hæc aut talia volvens.

(*s.*) 8. Sept.

vens : (*t.*) „ Quid habet vita commodi ? quid non „ potius laboris ? ſed habeat ſane ; habet certe tamen „ aut ſatietatem aut modum ; . . . . Non me vixiſſe „ pœnitet, quoniam ita vixi, ut non fruſtra me na- „ tum exiſtimem, & ex vita diſcedo tanquam ex ho- „ ſpitio, non tanquam ex domo ; commorandi enim „ natura diverſorium nobis, non habitandi, dedit. O „ præclarum diem, cum ad illud divinorum animo- „ rum concilium cœtumque proficiſcar, cumque ex „ hac turba & colluvione diſcedam ! Vota Deus exaudivit ; lenem aliquot dierum febrim Turrettino immiſit, quæ (*u.*) infirmi corpuſculi compaginem facile ſolvens egregiam ejus Animam in eam, quæ ſola vera eſt, libertatem vindicavit, eaque felici donavit immortalitate, quam illę una ante morbum hebdomade publice, & quidem, ut ſolebat, validiſſime aſſeruerat ac defenderat, quaſi his in cogitationibus ac meditationibus occupatus a morte deprehendi voluiſſet, ſecreto quodam eventus futuri præſagio admonitus. Sic nobis periit Magnus *TURRETTINUS*, ætatis annum agens 66. Viduam relinquens, generis nobilitate ac virtutibus commendatiſſimam, quæ ſuaviſſimo adjumento conſtanter ad extremum usque halitum ipſi fuit, & Filium, in quo hi optimi demonſtrantur animi habitus, hi lenes atque commodi mores, qui eum maxime amabilem & ad Civilem Societatem aptiſſimum reddunt.

Quæ ad *TURRETTINI* vitam ſpectant hiſtorica, breviter perſtrinxi, pluribus ſcienter prætermiſſis. Nunc ſummum illum *Theologum* attentius contemplari & tenui Minerva delineare animus eſt.

Ut ab eo exordiar, quod eſt fundamentum, quo male poſito nemo vir præſtans evaſit ; *TURRETTINUS*

(*t.*) *CICERO* de Senectute. Vol. 10. pag. 3757. Edit. Verburg. (*u.*) Mortuus die 1. Maji, anno 1737.

TINUS omnis generis eruditione ac ſcientia erat inſtructiſſimus, ſic ut eo reſpectu pauci cum ipſo poſſint comparari; ad quod multum contulit proſpera, qua fruebatur, fortuna, quæ Bibliothecam egregiam a Patre acceptam augendi, complendi, poteſtatem ipſi fecit. Hæc liberalium artium ac diſciplinarum inſtrumenta non erant, ut fere aſſolet, ad oſtentationem; peritiſſimus artifex iis uti ſciebat incredibili cum diligentia atque induſtria; adeo ut præter plures, quas callebat, linguas, & præſertim Latinam, in cujus elegantiis erat verſatiſſimus, nihil eſſet, ſaltem alicujus momenti, tum in Philologicis, tum in Hiſtoricis tum in Philoſophicis, tum ſpeciatim in Theologicis rebus, quod eum fugeret. Sunt qui magnam quidem eruditionis copiam congeſſerunt, at indigeſtam & inordinatam molem, quæ Cahos rectius quam ſcientia dici mereatur, quæque memoriam oneret non ornet, mentisque facultatibus officiat potius quam inſerviat: hæc vero copioſiſſima, quæ Noſtrum decorabat, eruditio, ab illa vaniſſima quam longiſſime diſtabat; quippe quicquid legiſſet, quicquid meditatus eſſet, id ita bene concoxerat, digeſſerat, &, eo acri quo erat judicio, apud ſe ita ordine poſuerat, ut de omnibus nitidiſſimas ac promtiſſimas haberet notiones, ſicque, cum daretur occaſio, de quacumque re propoſita ſcite admodum, appoſite, eleganter, verba faceret, magna cum voluptate ac utilitate audientium.

Verum ad noſtrum propoſitum propius accedamus; Quis Theologus extitit, in quo magis eminuerunt ii caracteres, ii animi habitus, quos Paulum a Doctore Chriſtiano exigere oſtendimus? Mihi illum audire videor eadem monentem, quæ olim *PAULUS* ſuum Timotheum; *ſtultas atque ineruditas quaeſtiones fuge*, ſis in docendo *didacticus*, ſis erga *diſſentientes placidus*, *tolerans*, *eos cum lenitate erudiens.*

Si

Si primo delectum attendamus eorum quæ in Theologia vulgo tractantur, neſcio an quisquam fuerit qui unicuique dogmati ſuum pretium, unicuique quæſtioni ſuum momentum aſſignare melius noverit, qui ſalubris Doctrinæ fundamentalia capita a non fundamentalibus, germana ejus placita a ſpuriis vel dubiis, aurum & argentum a fœno ac ſtipula ſapientius, accuratius ſecreverit, (*x.*) *Omnia explorans, & quod bonum eſt id ſolum retinens*, prout præcipit Paulus. Ut verbo dicam, neſcio an quisquam fuerit, qui res divinas nobiliore, diviniore modo perceperit, attigerit; in eo autem amplificationis culpam non timeo, qui dicam apud vos, Reverendi in Chriſto Patres ac Fratres, quibus Noſter erat notiſſimus; ſi vero quis malevolus de eo me vocaret in cauſam, eum ad Viri ſcripta ſimpliciter amandarem.

Ut in rebus Theologicis peritiſſimus erat ac ſagaciſſimus, ſic etiam maxime διδακτικός, ad cœleſtem Diſciplinam mentibus infundendam aptiſſimus, quæ ars longe difficilior, longe rarior eſt, quam vulgo putatur. Optima qua utebatur methodo, omnia quæ tractabat, quantumvis per ſe ardua, ſublimia, quantumvis culpa hominum intricata, ita fiebant perſpicua, ut vel luſci & lippi ea cernere cogerentur; Quæ ad veritatem firmandam adhibebat teſtimonia & argumenta, ita conſulte eligebat, ita plene urgebat, ita induſtrie inter ſe diſponebat, connectebat, ut inde completa & fere irreſiſtibilis demonſtratio emergeret. Cum aliquem S. Scripturæ Librum vel Locum ſuſciperet explanandum, ipſiſſimum Authorem S. putaſſes te audire loquentem, dubia tua enodantem, quæ tibi erant obſcura elucidantem; adeo recte ſcopum authoris habebat perſpectum, & ad intimum ejus ſenſum penetrabat. Hanc exquiſitam res Theologicas

(*x.*) 1. ad Theſſal. 5 : 21.

cas tractandi methodum comitabatur ſtilus maxime didacticus, ſimplex, purus, ab omni barbarie ac præſertim ab horridis & ſenſu vacuis Scholæ vocabulis ac formulis quam maxime expurgatus, ſuaviter fluens, ut rivus cujus aquæ limpidæ ſuper argenteam arenam lente & quaſi numeroſo pede volvuntur. Eo utebatur ſtylo didactico ſuis in Prælectionibus. Verum cum in diebus Solemnibus, velut in noſtris Academicis, Oratio ipſi eſſet habenda, tunc nobile, grande, ſplendidum, adhibebat dicendi genus, quo Auditorum animos percellebat, accendebat & extra ſe ipſos veluti rapiebat, ita bene noverat ſtylum ſuum rebus & circumſtantiis adaptare, quod ſane Eloquentiæ caput eſt. Apud populum identidem concionabatur, raro, ſi Eccleſiæ deſiderium, ſatis frequenter, ſi infirmam ac ægram ſpectes valetudinem; cum autem ad iſtud publicum Doctoris Chriſtiani munus accedebat, quam digne, quam potenter eo fungeretur, vos omnes teſtes appello, Auditores Præſtantiſſimi. Non illi erat eruditionis faſtus, non ingenii oſtentatio, non ea ſermonis lenocinia, quæ mundum, non Deum ſapiunt, quæque a φιλαυτίᾳ, non a ſincero veritatis ac pietatis ſtudio procedunt. Hæc omnia ſummopere aſpernabatur Noſter, & indignabundus reſpuebat; Exiſtimabat enim, ea quæ Religio præcipit credenda & facienda, vano illo præſidio non indigere, utpote quæ ſatis per ſe ponderis, ſat efficaciæ habeant, ad homines excitandos, movendos, dummodo ea, prout ſunt, ipſis candide proponantur: Id ergo potiſſimum intendebat, ut, quod dicebat, ad captum uniuscujusque eſſet accommodatum, ſicque vel ab infantibus intelligeretur; ſimul & ſermonem ita temperabat, & tametſi parce, ita ornabat, ut auribus delicatioribus maxime placeret; ipſam dixiſſes Veritatem ac Virtutem de ſuggeſto loqui, & ut ad ſe accederent ſeque amplecterentur, homines dulce invi-

invitare. Huic potiſſimum acceptum referre debemus gravem illum & accuratum concionandi modum, qui apud nos in uſu eſt, & ab Exteris laudatur; de quo caveamus, ne paulatim obſoleſcat, & in ejus locum comta, fucata, ſecularis eloquentia ſenſim ſubrepat.

Ea autem circa Religionis controverſias tolerantia, illud concordiæ inter Chriſtianos, quantum ſalvo Evangelii fundamento ſalvaque hominum ſalute fieri poteſt, inſtituendæ ſtudium, quas virtutes Doctori Theologo Paulus impenſe commendat, hæ in intimis Turrettini præcordiis inſidebaut. Veri amantiſſimus, & a quocumque quomodocumque offerretur, illud amplecti paratiſſimus, modeſtiſſime de ſe ipſo ſentiens, *varia eſſe hominum ingenia*, magnamque in ea vim educationis atque authoritatis probe penſitans, ab omni partium ſtudio abhorrebat, diſſentientibus facilem præbebat aurem, cum iis agebat leniter, amice, ita tamen ut veritas, ſalubris Doctrina, nihil inde pateretur detrimenti. Hæc aurea axiomata continuo cum in ſermonibus tum in ſcriptis iterabat, urgebat, ita ut ea ſemper animo præſentia habere videretur. (*y.*) *Dogmatum Theologicorum momenta ac pondera ſedulo expendenda eſſe, ne muſca in elephantem convertatur*; (*z.*) *Chriſtianiſmum non in obſcuris quibusdam notionibus, non in ſcholaſticis argutiis, ſed in Nova Creatura, hoc eſt, in vera pietate & probitate ſitum eſſe.* (*a.*) *Controverſias non multiplicare, ſed quantum fieri poteſt, minuere, viri Chriſtiani officium eſſe*; (*b.*) *Eos neſcire quid ſit credere, qui a ſe diſſentientibus iraſcuntur*; *Miſereri errantium, non eos odiſſe Chriſtianum decere.* His ſapientiſſimis ac vere divinis principiis nixus, ab una parte Religionis Chriſtianæ cauſam adverſus Incredulorum conatus ſuſcepit,

(*y.*) Nub. Teſtium Præf. in init. pag. 9. (*z.*) Diſs. de Artic. Fundam. cap 10. art. 1. pag. 55. (*a.*) Cogit. de Controv. &c. art. 7. (*b.*) ibid. art. 11.

& tanta cum vi ac evidentia defendit, ut nullum iis effugii locum reliquerit, in illo, quem publici juris fecit, Tractatu *de Veritate Religionis Chriſtianæ*, nuper a diſertiſſimo hujuſce Urbis Paſtore (*c.*) pereleganter, cum additamentis, in linguam Gallicam translato, quo immortali opere Noſter Chriſtiani orbis, imo & Gentium omnium Doctor evaſit. Ab altera parte nihil non tentavit, nihil non movit, ut Proteſtantium diſſidiis compoſitis fraterna inter eos inſtitueretur concordia; quod ſcilicet de levibus vel non neceſſariis inter eos controverti probe animadverteret; & quidem ſplendida de eo monumenta reliquit cuivis obvia. (*d.*)

Hac ratione, Auditores, hanc Turrettinus perennem ſibi famam fecit, longe lateque per omnes oras Chriſtianas ſparſam, quæ ad Academiæ ac Eccleſiæ decus plurimum contulit. Magnum illum Virum quanti facerent, Potentiſſimi Principes, Florentiſſimæ Reſpublicæ, ipſi frequenter ſignificarunt, tum litteris, tum numismatibus dono datis, ex quibus unum lubet indicare, quod ſcilicet a Sereniſſimæ Anglorum Reginæ munificentia non ita pridem acceperat. Eo amiſſo quantam fecerimus jacturam, etſi nos lateret, docerent ſane Epiſtolæ ab Eccleſiis Helveticis ad Cœtum noſtrum nuper miſſæ, in quibus noſtrum dolorem vivide dolent & defunctum maximis extollunt laudibus.

Hactenus *TURRETTINUM* tantummodo ut *Theologum* ſumus contemplati; Quid autem, ſi ceteris reſpectibus eum vellemus conſpicere? quam multa notatu digniſſima, quæ ob temporis anguſtias ſilentio premere cogimur? Quid diceremus de ſingulari

(*c.*) D. *VERNET.* (*d.*) Præcipua ſunt, Oratio de Pace Proteſtantium &c. Habita ann. 1707. & Nubes Teſtium, edita ann. 1719.

gulari ejus in rebus Eccleſiaſticis prudentia? Quid de urbaniſſima ejus erga omnes comitate, facilitate? Quid de conſtantiſſima ejus fide erga eos quibuſcum amicitiam connexerat? Quam (e.) *qui e vita tollit, ſolem e mundo tollere videtur*, quaque a Deo immortali nihil melius habemus, nihil jucundius: nemo ſane illius jura & officia melius novit, ſanctius ſervavit, religioni magis habuit, ſic ut eam ad amicorum ſuorum poſteros extenderet, quod ego quidem immeritus ab infantia mea usque ad ejus obitum indeſinenter expertus fui.

Quid de rara ejus circa res Politicas intelligentia, ſapientia, quam quavis data occaſione, & ſpeciatim cum coram Ampliſs. Senatu vel in Populi Comitiis ipſi dicendum eſſet, mire demonſtravit. Denique quid de ardenti ſuo in cariſſimam Patriam ſtudio, cujus commodis ſemper pro virili & quidem valde utiliter inſerviit; cujus periculoſa, quæ a civilibus diſſenſionibus nuper accepit, vulnera lacerato corde fuſisque lachrymis deploravit, cujus ſanationem, ſalutem, pacem, eo vehementi affectu exoptabat, ut omnia ſua, vitam ipſam, pro ea impendere fuiſſet paratus; quod norunt, qui eo familiariter utebantur, & de his colloquia cum eo habuerunt.

Ad Sermonis exitum celeriter propero, Auditores Præſtantiſs. & quidem vereor, ne vos plus æquo detinuerim, veſtramque exhauſerim patientiam: At me habeatis excuſatum rogo; Magni *TURRETTINI* commemorationem paucioribus verbis abſolvere quam difficile, quam impoſſibile fuerit, vos ipſos ſumo judices. Hoc ſupereſt, ut me totum vobis committam, veſtram implorans benignitatem, quam ſi denegatis, quo refugiam neſcio, & animum deſpondere neceſſe habeo: Quippe meæ tenuitatis conſcius,

(e.) *CICERO* de amicitia.

ſcius, quot quantaque mihi deſint ad provinciam demandatam non indignè obeundam, tremebundus circumſpicio; immenſumque video inter Deceſſorem & Succeſſorem diſcrimen, nulla arte ſuperandum. At τȣ̃ Μακαρίȣ veſtigia citato, quantum potero, greſſu premam; At quod deeſt, id quadantenus ſupplere conabor ſedula ea diligentia, eo aſſiduo ac indefeſſo labore, quo nihil non perficitur, nullum non obſtaculum vincitur; At tandem fervidas ad Patrem luminum fundam preces, ut infirmitates meas virtute ſua ſublevet.

Singulares vobis debeo gratias, Ampliſſimi Proceres, quod tot gravibus negotiis, Reipublicæ cauſa, implicati Auditorium noſtrum præſentia veſtra condecorare, mihique dicenti benevolas aures præbere dignati ſitis. Magni *TURRETTINI*, quem una cum nobis lugetis, obitu, non modo Eccleſia & Academia ſplendidum amiſit lumen, ſed & Respublica optimum, ſi ullus unquam fuit, civem, Patriæ eximioque illi Regimini, quod a Majoribus accepiſtis, devotiſſimum, pacis ac tranquillitatis cum publicæ tum privatæ cultorem ſumme aſſiduum: In his, cum in cæteris omnino non poſſim, in his ſaltem me magni illius Viri æmulum profiteri, & cum eo de his contendere audebo. Hæc a Parentibus meis, una cum vita, velut transfuſa imis hærent medullis, & hærebunt, quamdiu *ſpiritus hos reget artus*. Eo quidem reſpectu, ſi non alio, apud vos, Patriæ Patres, aliquantulum in gratia eſſe merebor; hac ergo veſtra humanitate, quam multoties expertus ſum, me proſequi pergatis, oro: Ut & vobis veritatis ac fidelitatis vindicibus publicis ſancte polliceor, me totum fore in eo, ut munus concreditum aliquo cum fructu adimpleam, & ideo nec operæ, nec vigiliis, nec, ut verbo dicam, iis omnibus, quæ in mea poteſtate poſita erunt, parciturum.

Ad

Ad vos quoque me converto, Patres ac Fratres in Chriſto plurimum Reverendi atque Colendi, ut meum in vos gratiſſimum animum publice teſter, pro innumeris veſtris in me collatis beneficiis, quibus veluti culmen nuperrime poſuiſtis hoc momentoſo munere, quod ſuffragiis veſtris mihi delatum eſt. Quem a primis ſtudiis ad hunc usque diem foviſtis, ſuſtentaſtis, cui facilem ac fraternum vobiscum convictum permittitis, hujus tenuitas, imperitia, vos non latet. Sane, cum apud me perpendo, quid ad ſingularem illam erga me benevolentiam vos impulerit, facile agnoſco, me illam potiſſimum debere Majoribus, Proavo & Avo meo, qui eandem olim Cathedram Theologicam per multos annos, non ſine laude, ut fertur, occuparunt, & quorum piæ memoriæ hoc, ſi ita loqui liceat, tributi genus pendere voluiſtis: tum etiam ſperaſtis, me illorum exemplo domeſtico extimulatum, omnia tentaturum & conaturum, ne in eadem ſtatione poſitus, ab eorum virtute atque exiſtimatione, ſi quæ fuerunt, admodum degenerare viderer. Quicquid ſit, Viri Reverendi, in id totus incumbam, ut expectationi veſtræ reſpondeam; me Deus amet, ut id ſincere & ex animo apud me ſtatuo: At vos in onere portando mihi ſuccurrere, vos monitis, conſiliis, me adjuvare, adhortationibus excitare ne recuſetis; has novas veſtræ erga me totum vobis mancipatum benevolentiæ notas a vobis etiam atque etiam efflagito. Addam, & hoc eſſe officium, quod vobis imponit ea Eccleſiæ & Academiæ cura quam geritis, ea Dei gloria, ea hominum ſalus, quibus adeo gnaviter invigilatis.

Vos vero, Ornatiſſimi Theologiæ Candidati, vos mœſtiſſimo Turrettini deſiderio moveri quam maxime decet, qui Doctore illo incomparabili ſitis orbati. Equidem dulcia vobis præbent ſolatia Veneran-

nerandi Collegæ, Præſtantiſſimi Theologiæ Profeſſores, & Vir Spectatiſſimus atque eruditiſſimus, qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ docendæ partes ſuſcepit: Verum quis ego ſum, ut ad luctum veſtrum levandum quoquomodo conferre queam? hoc unum aſſerere poſſum, me fore ſtudiorum veſtrorum fidem comitem, adjutorem, inſtigatorem, qui ceteris omnibus poſthabitis, utilitati veſtræ indeſinenter, publice, privatim, inſerviam: A vobis viciſſim poſtulo, ut me in amicitiæ partem admittatis, utque veſtra in ſtudiis ſedulitate, aſſiduitate, induſtriam meam adjuvetis, mihique animos adjiciatis.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

JOH. ALPHONSI TURRETTINI

In Eccleſia & Academia Genevenſi *Paſtoris*,
S. Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
Profeſſoris,

OPERA,

Quæ diverſis temporibus * lucem adſpexerunt, & paulo ante Ejus mortem An. 1737. *tribus Voluminibus* in Forma, quam vocant, Quarta majuſcula junctim typis Barillot & Fil. Genevæ edita ſunt.

Volumen Unum Paginis 360. continet

ORATIONES ACADEMICAS.

Quarum ſunt duæ *Inaugurales*:

I. De Sacrarum Antiquitatum Uſu multiplici atque Præſtantia. An. 1697. II. De

* Vid. Scheuchzeri Nova Liter. Helvet. ſingulis annis. it. Biblioth. Brem. Cl. IV. p. 305. ſq. & al.

II. De Theologo Veritatis & Pietatis ſtudioſo. A. 1706

Decem *Rectorales*:

I. Panegyrica, in obitum GULIELMI III. Magnæ Britanniæ Regis. An. 1702.

II. De Seculo XVII. Erudito, & hodiernis Literarum periculis. An. 1703.

III. De Studiis emendandis & promovendis. A. 1704.

IV. De Scientiarum Vanitate & Præſtantia. A. 1705.

V. De Eruditionis & Pietatis Nexu. A. 1706.

VI. De componendis Proteſtantium Diſſidiis; *Accedunt* De Pace Proteſtantium Eccleſiaſtica 1. Epiſtola Paſtorum & Profeſſorum Genevenſium ad Seren. Boruſſiæ Regem. 2. Ser. Boruſſiæ Regis ad illam Epiſtolam Reſponſum. 3. Illuſtr. Comitis à Metternich Epiſtola ad Paſtores & Profeſſores Genevenſes, cum Reſponſum regium ad ipſos transmitteret. A. 1707.

VII. De Variis Chriſtianæ Doctrinæ Fatis. A. 1708.

VIII. De Affectibus a Veri ſtudio abducentibus. A. 1709.

IX. Votum pro Pace Europæ. A. 1710.

X. De adulterati Chriſtianiſmi Cauſis & Remediis. A. 1711.

Alia *Volumina Duo* habent

COGITATIONES

Et

DISSERTATIONES.

Et *Primum* quidem pagg. 350.

COGITATIONES De variis Theologiæ Capitibus. *Extant etiam in Bibl. Brem. Cl. I. p. 267-294.*

De

- - - De Religione.
- - - De Controverſiis, ſenſu communi, &c.

SOLUTIO *Quæſtionis*, Utrum ἀσύςατα, ſeu Contradictoria credi poſſint ? *Inſerta hæc fuit Gundlingianis, impreſſis Halæ, T. XIV. p. 340.*

DISSERTATIONES De Theologia Naturali XII. *Alterum* vero *Volumen* pagg. 524. ſiſtit

DISSERTATIONES De Veritate Religionis Judaicæ & Chriſtianæ XVI. *Quæ in Gallicum idioma a D. Verneto translatæ ſunt. Tit. Traité de la Verité de la ReligionChretienne. 8. Geneve 1733.* &c.

- - - De Chriſto audiendo.
- - - De Articulis Fundamentalibus; *quæ præmiſſa fuit Nubi Teſtium, vid. p. poſt.*
- - - De Pyrrhoniſmo Pontificio.
- - - De commodis temporalibus Pietatis.

Seorſim edita:

De Ludis Secularibus Academicæ Quæſtiones. Genevæ Typ. Societatis 1701. 4. pl. 10. *Recuſæ in Opuſculis Cl.* TURRETTINI *varii generis. T. II. Brunſv. 1726. 8.*

Nubes Teſtium pro Moderato & Pacifico de Rebus Theologicis Judicio, & inſtituenda inter Proteſtantes Concordia. Cum præmiſſa Disquiſitione De Articulis Fundamentalibus. Genev. apud Fabri & Barrillot. 1719. 4. pl. 34. *altera Editio Francof. & Lipſ. 1720. ibid. Germanice prodiit. 1720.*

Defenſe de la Diſſert. ſur les articles Fondamentaux, contre Mr. de Bionens.

Der

Der gröſte Gewünn eines frommen Chriſten, aus 1. Tim. 6: 5. Vorgeſtellt in einer Predig, ꝛc. ins Teutſche überſezt von H. G. Zürich, bey Joh. Rud. Simler, 1696. 4. Bogen 4.

SERMON ſur la charité. 1696.

- - - Sur le Jubilé de la Reformation de Zurich. (ſur S. Jean. 12: 35, 36.) Geneve, chez Fabri & B. 1719. *Editus etiam eſt Tiguri germanice eod. anno.*

- - - Sur les inconveniens du Jeu. (ſur Philipp. 4: 8, 9.) ibid. 1727. 4.

- - - Sur le Jubilé de la Reformation de Berne. (ſur Pſeaum. 102: 19-23.) ibid. 1728. 4.

- - - Sur la Loy de Liberté. (ſur Jaq. 2: 12.) prononcé en Preſence des Seigneurs Repreſentans des Louables Cantons de Zurich & de Berne. ib. 1734. 4.

- - - Sur le Jubilé de la Reformation de Geneve. (ſur Apoc. 3: 11.) ibid. 1735. 4. *idem Tiguri in Germ. Linguam converſus prodiit.*

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Compendium a Chriſto Nato usque ad annum MDCC. 8. Genev. 1734. Editio altera. ibid. 1736.

Quelques Lettres ou Piéçes publiées dans les Journaux.

JACO-

IV.

JACOBI BRUCKERI
Diſſertatio Epiſtolaris
Ad
Virum Venerandum atque Clariſſimum
JOANNEM JACOBUM ZIMMERMANNUM,
Canonicum & Theologiæ Profeſſorem Tigurinum,
DE
STOICIS SUBDOLIS CHRISTIANORUM IMITATORIBUS.

Conſpectus Diſſertationis.

§. I. Gratulabundæ de ſuſcepto Theologiam docendi munere preces ad Ven. & Cl. ZIMMERMANNUM. §. II. Argumentum & momentum Diſſertationis. Cauſæ, cur ejusmodi imitationes gentiles inſtituere: Damnum rei ſacræ inde illatum. Illuſtratum id ex hiſtoria philoſophica. Eclectici & Pythagorei ejus ſtudioſi, non item Ariſtotelici & Epicu-

Epicurei. §. III. Imprimis vero *Stoici*; quos ad id impulit Chriſtianæ religionis præſtantia publice laudata, & emendandum vel incruſtandum potius philoſophiæ ſuæ ædificium, ruinæ proximum. Inde multi Virorum eruditorum in comparatione philoſophiæ Stoicæ cum Chriſtiana religione lapſus. §. IV. Demonſtrata imitatio ex *formulis loquendi* a Chriſtianis mutuum ſumtis. χαρις Θεῶ, πολις Θεοῦ ἀνωἶάτη, homines πολῖαι Θεοῦ, υἱοὶ Θεοῦ; mundus pro malorum grege ſumtus, homines templum ſacri ſpiritus, Deus in homine habitans; ex Deo, in Deo, ad Deum omnia; Sol malis oriens; homines membra unius corporis, ramus arbori avulſus & iterum inſerendus; alia. §. V. Ipſa *dogmata* Chriſtianorum imitati Stoici. Doctrina de Deo a πολυθεοἶηἶι revocata. DEUS bonus, juſtus, omnipræſens, beneficus. Providentia DEI contra mores veteris Porticus aſſerta. Alluſio facta ad S. Trinitatis dogma: de angelis ſplendide dicta: De homine imagine Dei; corruptio mentis agnita, poſtulata converſio, pugna, cordis evulſio. Cynicus ad ideam miniſtri Eccleſiæ Epicteto effictus. Ultima hominis Chriſtianorum more depicta: vita cogitatio mortis; ſperata æterna beatitas; Reſurrectio promiſſa, mundi incendium. §. VI. Imitati Chriſtianos Stoici in *Philoſophia morali* emendanda. Officia erga Deum, ſe, & homines more Chriſtiano injuncta. Sanctitatis laus affectata Stoicis. §. VII. Doli in iſta imitatione latentes. Diſſentientes Viri docti, ſed fruſtra: totius Syſtematis Stoici ratio cognoſcenda. §. VIII. Fundamentales doctrinæ philoſophiæ Stoicæ, & germaniſſima principia, decade Theſium Stoicarum expreſſa. §. IX. Oſtenſus impius & abominabilis ſenſus formularum & doctrinarum ſupra allatarum: *Stoici* a *Spinoza* impietate non procul remoti. DEUS univerſum, mundus DEUS, pa-

 tria,

tria, homines membra & cives, etiam mali, & ſine pœna. Chryſippus apertior, ante Chriſtianos imitatione expreſſos, teſtis. Mens particula animæ mundi; Pelagianiſmus Stoicorum ante Pelagium; omnia ex eſſentia una & in unam: inde reſtitutio & converſio; omnes mundi partes Dii; providentia Stoicorum maxime impia, fatalis & ſine libertate. Trinitas Senecæ abominanda. Dæmones effluvia ex anima mundi, partes vel etiam modificationes, flagrationi obnoxii; mens hominis divina & tamen mortalis. DEUS corporeus. §. X. Corruptio mentis materiæ adſcripta; ea inſita virtute divina vitanda, integra & ſine labe ſervanda: materia DEO inobſequens. Cynicus miniſter univerſi, mundi, naturæ, Dei, ſine affectu, totus atheus. Spes futuræ ſortis melioris inanis & incerta, ſolatium cruce dignum: conflagratio mundi periodica, omnia in Deum reditura. §. XI. Iisdem impietatis principiis moralis philoſophia Stoicorum inædificata. Fatalis neceſſitas omnia præcepta enervans. §. XII. Mala inde in Eccleſiam redundantia. Stoici errores pro Chriſtianis doctrinis admiſſi, doctrina moralis μετεωρίζουσα. Cautio inde in rebus veterum cognoſcendis adhibenda.

---

§. I.

ETſi ſemper orbi literato de Te gratulatus ſum, Venerande ZIMMERMANNE, qui in Te virum nactus eſt, non eruditionis tantum radiis elegantiſſimam diſciplinis melioribus lucem inferentem, ſed & inſolita animi dexteritate ſine præjudiciorum nebula, qua doctiſſimos ſæpe viros in devia abripi & in errores duci videmus, veritati litantem: etſi, quod lætus addo, talem in Te candorem & amorem ſemper colui, qualem rarius inter eruditos depre-

deprehendimus: nunc tamen, cum Te in patrio Athenæo divinis literis docendis admotum totus cum Tiguro veſtro amicorum Tuorum chorus lætetur; novam & literariæ reipublicæ, & ſanctioribus diſciplinis de Te gratulandi occaſionem perſpicio. Satis enim, & multorum annorum experientia doctus novi, talem Te in graviſſimo Te munere præſtiturum; qualem non vanis auguriis in elegantiſſima, quam ſub auſpiciis novi muneris dediſti, oratione Te fore promiſiſti, Theologum veritatis in amore & pace ſtudioſum. Quam inſignem animi dexteritatem cum magno judicii acumine & prolixa eruditione ornes atque adaugeas, qui poſſim aliter, quam ut Eccleſiæ, orbi erudito, patriæ Tuæ, & doctæ juventuti, cui Doctor præfectus es, optima & jucundiſſima quæque de Te pollicear? Mihi vero, ut Tua amicitia nihil eſt jucundius atque dulcius, ita preces quoque pro Te atque votiva verba amor in Te meus, isque candidiſſimus poſtulat. Unde ſcriptionis hujus occaſionem nactus, ut & ego inter amicorum Tuorum plauſus animum optime Tibi cupientem probem, toto pectore candidas pro omnigena felicitate & exoptatiſſimis in munere ſuſcepto fatis preces perſolvo, & uberrima animi ex divina Spiritus S. unctione dona, robur & fortitudinem, cum amore & pacis ſtudio in veritate certantem, victorias de vitiis & erroribus plurimas, quæque alia Theologo neceſſaria atque jucunda ſunt χαρίσματα, ex abundantiſſimo patris luminum gremio in Te redundatura, totus precor.

§. II.

Ne vero vel Te ſolidis meditationibus aſſuetum vel lectorem quoque nuda offendat gratulatio, pietasque in Te mea privato tantum argumento moleſta ſit, placuit pauca Tecum *de ſubdolo Stoicorum philoſophorum poſt N. C. ſtudio Chriſtianos imitandi* confabu-

 lari,

lari; ratus, neque Tibi in ejusmodi materiis hactenus feliciſſime verſato, & ad talia argumentorum genera excutienda nato atque vocato, injucundam, neque prudenti lectori ingratam, nec a mea vocatione & munere nimis alienam fore tractationem. Noſti enim egregie, Optime ZIMMERMANNE, qui hiſtoriæ ſanctioris & philoſophicæ forulos toties excuſſiſti, quam mire ſe in omnes partes gyrosque converterit & torſerit coluber infernalis, ex quo divinus victor Jeſus caput ejus conculcavit, & divinæ lucis radiis animis illuxit, ut ſanctiſſimis Chriſtianæ religionis doctrinis nocere, earumque incrementis obicem ponere valeret. Hoc cum perſecutionibus, odiis, calumniis, contemtuque efficere ſatis ſe non poſſe perſpiceret, & ſanctitatem pariter atque ſoliditatem cœleſtis doctrinæ, omnem ſuperſtitionem peſſundare atque evertere cerneret, alia via rei medicinam afferre ratus, eo compulit gentilis doctrinæ & eruditionis antiſtites, ut ſanctiſſimam, totique fere orbi jam probatam Chriſtianorum doctrinam imitarentur, & inprimis, quæ ad mores formandos & emendandos a vitiorum ſqualore animos faciunt, juxta diſciplinam Chriſtianorum, tantopere in eo effulgentem, ſe componerent. Ita enim ſperabat fore hoſtis callidiſſimus, ut & illi, qui doctrinas gentiles tanquam impias, vanas & animorum felicitati non pares reſpiciebant, auremque Chriſtianis doctoribus præbere incipiebant, ad avitam religionem ſaniori habitu exornatam revocarentur, & Doctoribus Chriſtianis, propudioſam gentilis ſuperſtitionis faciem toties exprobrantibus, os obſtrueretur. Quod tamen, ut in dolis ſtruendis plane eſt μυριοτέχνης, ita inſtituit, ut ſalva omni verborum & dogmatum Chriſtianorum imitatione peſſimarum tamen doctrinarum ſanies conſervaretur, quo ſcilicet animi ad veritatem cœleſtem oculos aperire deſinerent, & ſub fallaci doctrinarum caſtio-

caſtiorem faciem præ ſe ferentium larva ipſa cœleſtis doctrinæ puritas et integritas corrumperetur. In quo, eheu! rem ſuam mire auxit infernalis genius; hiſtoria ſacra haud uno exemplo teſtante, non tantum prudentiorem hanc gentilium religionem multos ab amplectendis Chriſtianæ religionis regulis arcuiſſe, ſed & introductam eſſe inter gregem Dei peſſimam errorum congeriem. Id quod nemo negaverit, qui ea, quæ in Eccleſia Dei poſt N. C. geſta ſunt, attentus ad cauſas rerum atque eventus, recte ponderaverit. Poſſem hic eſſe, ſi id agerem, prolixiſſimus, & ex ſectæ *Eclecticæ* ſtudio, Chriſtianam religionem cum gentilium placitis conciliandi, illiusque verba & dogmata imitandi, quod *Ammonio Sacca* auctore inſtituit, id latiſſime demonſtrare, niſi id a præſentis ſcriptionis limitibus paulum eſſet remotius, & occupaſſet argumentum magnus noſtræ ætatis Polyhiſtor & Eccleſiæ ornamentum, ſumme Rev. JO. LAURENTIUS MOSHEMIUS (a.); quin & ipſe

S 3 ego,

(a.) Primus, qui *Eclecticorum* ſectam practica ratione conſideraverit, quæ vix facie prius nota erat, fuit B. GODOFREDUS OLEARIUS in Diſs. *de Secta Eclectica*, quam Latinæ Verſioni *Hiſt. Philoſ.* STANLEII adjecit; cum vero is primas tantum lineas duxiſſet, accuratius in ejus circumſtantias inquiſivit Cel. MOSHEMIUS, cujus longe eruditiſſimam *de turbata per recentiores Platonicos Eccleſia* Diſſertationem multis acceſſionibus auctam legimus ad calcem *Syſt. Intell.* CUDWORTHI & in *Sylloge Diſſert. Hiſt. Eccleſ. illuſtrantium p. 89. ſqq.* qui, cum potiora omnia, quæ ad hanc Sectam intime noſcendam pertinent, attulerit, merito Lectorem ad hos fontes remittimus. Conferendæ vero EJUSD. *Inſtitut. Hiſtor. Chriſtianæ antiquioris, Sect. II. P. II. c. 1. §. 5. ſqq.* & Doctiſſimus HUETIUS *de la foibleſſe de l'Eſprit humain. L. II. c. 2. p. 217. ſqq.*

ego, quæ ad rei ſummam atque nervum pertinent, alibi (*b.*) ſatis jam enarraſſem. Argumento itaque nobiliſſimo lucem aliquam allaturus, *de STOICORUM* tantum *ſubdolo Chriſtianos imitandi ſtudio* quædam dicam. Ea enim ſecta ante exortos *Eclecticos* (quo nomine *Alexandrini* illi philoſophaſtri & maleſani doctrinarum toto cœlo inter ſe diſſentientium conciliatores & Syncretiſtæ ſuperbiebant;) in hoc ſtudio diligens fuit, cum reliquæ ſectæ, ſi unam *Pythagoreorum* in vitam revocari tentatam, ſed in ipſis naſcendi initiis iterum exſpirantem, (*c.*) excipias, (*d.*) in hanc curam incubuiſſe non legantur, (*e.*) quod Syſtematum ſuorum ratio longius ab iſta accommodatione, ut ita dicam, & doloſis mendaciis abhorruerit: nec eorum tanta fuit auctoritas, quam *Stoicorum*, quæ ſecta poſt C. N. magnum ſplendorem nacta eſt. (*f.*)

§. III.

Quemadmodum vero in *Eclectica* Secta, *Alexandrinam* Philoſophiam profeſſi gentiles ita imitati ſunt Chri-

(*b.*) *Hiſtor. Philoſ. T. III. p. 427. ſqq.*

(*c.*) Vid. *ib. p. 190. ſeqq.*

(*d.*) Eum enim in hac imitatione ſedulum fuiſſe, nobile exemplum eſt *Apollonius Tyaneus*, *vid. ib. p. 301. ſeqq.*

(*e.*) EPICUREI, ut ſeverius Religionis ſtudium omne tanquam inania ſuperſtitionis ſomnia ridebant, ita nec Chriſtianis magnum pretium ſtatuebant, ſed eos vel ut impoſtores vel ut ſtultos & inſanos falli ſuetos traducebant, Chriſtumque Apollonio, Apulejo, Alexandro, Peregrino, hisque ſimilibus parem putabant, quod vel LUCIANI *Peregrinum* vel ORIGENIS libros *contra Celſum* legenti ad oculum patebit; *Peripateticorum* vero rationes, cum magnopere a R. C. placitis diſſentiant, ideo aſſimilationem non patiebantur.

(*f.*) Vid. *Hiſt. Philoſ. T. III. p. 1054. ſeqq.*

Chriſtianos, ut verba non tantum & formulas Chriſtianorum, quæ ex re ſua erant, exprimerent, ſed & dogmata quædam imitarentur, ſuaque ad externum eorum habitum accommodarent, & imprimis doctrinam moralem ſanctiorem expilarent, transſumtis iis, quæ cum ſuo ſyſtemate convenire putabant, (g.) ita quoque cum *STOICIS* evenit. Etſi enim hi in ejusmodi Syncretiſmum non juraverunt, qualis Alexandrinis Philoſophis placuit, non abhorruerunt tamen a recipiendis alienis formulis & dogmatibus, ubi ſibi cum iis convenire poſſe putabant. (*h.*) Maxime

(g.) Demonſtratum id eſt pluribus in Doctiſſima Diſſertatione *de ſtudio gentilium Chriſtianos imitandi*, quam ductis a Celeberrimo MOSHEMIO veſtigiis inſiſtens exhibuit Cl. JO. HENR. WEDDERKAMP, quamque Vir ille incomparabilis inter *Diſſert. ad H. E. pertinentes*, *p. 330. ſeqq.* extare voluit. Etſi enim argumenti nobiliſſimi primæ magis lineæ ductæ ſunt, quam accurata & prolixa inſtituta tractatio, ubique tamen lumina Moshemiana argumentum mira luce perfundunt; unde merito optamus, tantum temporis & otii ſuppetere Venerabili Abbati, ut auctiorem nobis ſuoque calamo inſtitutam tractationem dare queat. Neminem enim accuratius horum hominum arcana inſpexiſſe, multis ſpeciminibus prodidit.

(*h.*) Hoc Stoicæ Philoſophiæ hiſtoriam perluſtranti obſcurum eſſe nequit. Præivit exemplo ſuo ipſe ſectæ conditor ZENO, quem Syſtema ſuum ex Academia, Cynoſarge & a Dialecticis conſuiſſe, notavi *Hiſt. Philoſ. T. I. p. 992. 995. ſqq.* Poſt Redemtoris vero in carne apparitionem varias ſectas majore libertate expilavit Stoica, indeque arva ſua alienis rivis inundavit. Teſtes do Stoicos celeberrimos, SENECAM & ANTONINUM, quorum ille *de vita beata, c. 3.* ait: *non alligo me ad unum aliquem ex Stoicis proceribus; eſt & mihi cenſendi jus;*

xime vero id ſibi incumbere credidit hæc ſecta, ut pietatis & purioris diſciplinæ laudem, quam ab ipſis Porticus initiis ſibi acquiſiverat, (*i.*) tueretur. Cum vero Chriſtianæ religionis puritas & doctrinæ in ea moralis præſtantia omnium oculos perſtringeret, Stoicorum vero hypocriticam & impiam Philoſophiam prudentioribus diu ſuſpectam (*k*) manifeſtaret, (*l.*) ſponte ſua eo ducebantur, ut & diſciplinæ Chriſtianæ formulas atque loquendi modos imitarentur, & dogmata quædam propius ſequerentur, & rem ſuam moralem ad ſanctiſſimæ religionis noſtræ præcepta emendarent. Unde error jocularis ortus eſt, quo crediderunt nonnulli, trigam Stoicorum Philoſophorum poſt C. N. celeberrimam, SENECAM, ANTONINUM Imperatorem & EPICTETUM, ad Chriſtia-

itaque aliquem ſequar, aliquem jubebo ſententiam dividere: Et reapſe illud præſtitit, cui non tantum Stoici *noſtri* audiunt, *ep. 117.* ſed & Epicurus *noſter, ep. 107.* unde SENECAM etiam inter Syncretiſtas locum obtinere, jam monui in *Hiſt. Philoſ. T. III. p. 1109.* ANTONINUS vero per omnes ſectas magiſtros nactus, ab omnibus multum doctrina & moribus ſe profeciſſe fatetur, *de ſe ipſo, L. I. §. 7. ſqq.*

(*i.*) Videnda quæ prolixe dixi *Hiſt. Phil. T. I. p. 1001. ſqq.* & conferendus LIPSIUS *Manud. ad Philoſ. Stoic. l. I. Diſs. XIV. p. m. 84.*

(*k.*) Vide dicta *Hiſt. Philoſ. l. c. & T. III. p. 1061. ſqq.*

(*l.*) Vid. JUSTINUS MARTYR *Dial. cum Tryph. p. m. 219. ſeqq.* & quæ *Hiſt. Phil. T. IV. p. 1168.* ad h. l. dicta ſunt. Ipſe CLEMENS ALEXANDRINUS, magnus alias Porticus admirator Stoicos atheos facit, *Strom. L. VII. p. 753.* Conf. ORIGEN. *contra Celſ. L. III. p. m. 162.* Ed. Hoeſch. & imprimis EPIPHAN. *adv. hær. L. I. hær. V. T. I. p. 12.* ut reliquos Apologetas R. C. taceam.

ſtianam religionem clanculum acceſſiſſe, ſaltem ei ex parte addictos fuiſſe; (*m.*) facile eum evitaturi, ſi ad hoc imitandi Chriſtianos ſtudium attendiſſent, & ſubdolum in eo modum obſervatum recte annotaſſent. Et hæc vera quoque cauſa eſt, cur in comparatione Philoſophiæ Stoicæ cum religionis Chriſtianæ præceptis tot eruditi viri lapſi ſint; Chriſtianis eſſe conſentanea putantes, quæ externam ſpeciem egregie mentiuntur. Qua ratione STEUCHUM, MUTIUM PANSAM, magnosque viros LIPSIUM & HUETIUM, imo & recentiſſima ætate noſtra quosdam viros doctos, lapſos eſſe, alibi (*n.*) oſtenſum eſt. Facile enim incautis, & ad doloſum ſcopum Philoſophorum non attentis, externa ſpecies & habitus imponit: quem Chriſtiano colore externe nitere, jam prolixius demonſtrabo.

§. IV.

Et *primo* quidem luculenter probant hanc Chriſtianorum imitationem, quam STOICI Philoſophi C. N. poſteriores ſuſceperunt, *loquendi formulæ a Chriſtianis transſumtæ.* Hoſpes ſit oportet in Stoicorum ſcriptis, SENECÆ potiſſimum, EPICTETI & ANTONINI quæ nobis integra ſervata ſunt a temporis injuria, qui non obſervaverit, ejusmodi locutiones & dicendi formas occurrere, quæ vel ipſo ortu

(*m.*) Dictum quoque hac de re, quantum ſatis, in *Hiſt. Philoſ. T. III.* & quidem de EPICTETO *p. 1163. 1220.* de SENECA *p. 1125. 1137. ſeqq.* ubi etiam de fictis inter Apoſtolum Paulum & Senecam Epiſtolis actum; de ANTONINO vero *p. 1233. 1242. ſeq.* conf. *Otium Vindel. p. 99.*

(*n.*) In *Otio Vindel. Mel. I. & II.*

(*o.*) Ex ejus enim Diſſertationibus ſua compilavit ARRIANUS.

tu ſuo Helleniſticam dicendi rationem ſapiunt, vel a ſacris Scriptoribus potiſſimum adhibitæ, & in uſum introductæ ſunt ſacrum, gentilibus antea non adhibitum, a Stoicis vero, ut magis pie loquerentur, transſumtum. Hoc exemplis, niſi fallor, luculentis adſtruere licet. Frequens ſacris ſcriptoribus vox χάρις Θεῷ, ad ſignificandam gratiarum actionem, ex. gr. *1. Cor. X. 30.* (*p.*) *XV. 57. Luc. VI. 32.* Verum non eodem tantum ſenſu, ſed & eodem dicendi modo & uſu, & iisdem prorſus verbis Judaicam & Chriſtianam formulam adhibuit EPICTETUS; ait enim: (*q.*) τότε καὶ ἐγὼ ἡμάρτανον, νῦν δὲ οὐκέτι, χάρις τῷ Θεῷ, *tunc & ego peccabam, nunc vero non item, gratia ſit Deo.* Cœleſtis, apud Paulum, manſio beatorum vocatur πόλις Θεοῦ ἐπουράνιος, *civitas DEI cœleſtis*; ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, *ſuperna Hieroſolyma*; (*r.*) Quam locutionem ab Hebræis deſumtam eſſe, dudum Viri docti monuerunt. (*s.*) Eandem vero dicendi rationem, ſenſu licet Stoico, adhibuit ANTONINUS, qui non tantum, Διὸς πόλιν memorat, *Dei civitatem* (*t.*) ſed & ἀνθρώπους εἶναι πολίτας πόλεως τῆς ἀνωτάτης, *homines cives eſſe civitatis ſupernæ*, aſſerit, (*u.*) unde & ſacra vox, quæ homines civesDei nominat, Stoicis tantopere adamata eſt, quod prolixius oſtendi poſſet, niſi otia nobis feciſſet GATAKERUS, qui videndus. (*x.*) Nihil ſacris ſcriptoribus frequentius, quam hominem divi-

(*p.*) Vid. Ven. WOLFIUS *Cur. Phil. ad 1. Cor. X. 30.* Doctiſſimi Interpp. *Galli Berol. ad h. l.*

(*q.*) *L. IV. c. 4. Diſſertationum* ab ARRIANO exceptarum calamo.

(*r.*) *Ebr. XII. 22. Gal. IV. 26.*

(*s.*) Vid. LIGHTFOOT. *Opp. T. I. p. 355.* Ven. WOLFIUS *ad h. l.* & quos porro laudat.

(*t.*) *L. IV. §. 3.* (*u.*) *L. III. §. 11.*

(*x.*) Ad *Antonin. L. II. §. 16.*

divina ſapientia emendatum & gratioſum apud Deum, vocare *filium Dei*, quod is divinam mentem rationemque adeptus ſit, & cognatione ſpirituali Deum attingat. Eadem vero vox EPICTETI quoque, qui eleganter (*y.*): *κοινωνεῖν μόνον ταῦτα* (*λογικὰ*) *πέφυκε τῷ Θεῷ τῆς συναστροφῆς κατὰ τὸν λόγον ἐπιπλεγμένα, διατί μὴ εἴπῃ τὶς αὐτὸν κόσμιον; διατί μὴ υἱὸν τοῦ Θεοῦ; eo quod natura ita fert, ut rationalia divinæ conſuetudinis ſocietatem ratione & mente ſint adepta, cur te nolis dicere mundanum? cur non Dei filium?* Sacram vocem quilibet agnoſcit, *mundum* accipientem pro grege hominum malorum; ſed eadem placuit ANTONINO, (*z.*) qui non tantum mundum malos ferentem ſua natura inducit, ſed & illo ipſo ſimili, eodemque illationis modo probat, quo uſi ſunt ipſe Salvator (*a.*) & Apoſtolus JACOBUS. (b.) Ita enim: *μέμνησο ὅτι ὥσπερ αἰσχρὸν, ξενίζεσθαι, εἰ ἡ συκὴ σῦκα φέρει, οὕτως εἰ ὁ κόσμος τάδε τινὰ φέρει ὧν ἐστι φορός. Memineris, æque turpe eſſe, mirari quenquam, quod ficus ficum ferat, quam quod mundus ſit ferax eorum, quæ profert.* Dixerat vero in antecedentibus de hominibus examinandis, num mali vel boni ſint; & monuerat, non mirandum, ſi conſentanea decretis naturæ fecerint; unde infert, nec mirandum eſſe, ſi contraria in aliquo deprehendimus, cum & ea mundi naturæ convenientia ſint, ut febris & adverſus ventus, a medico vel gubernatore navis non mirandi. Unde patet, *mundum* ab Imperatore adhibitum eo ſenſu, quo malos ſignificat, qui id ſunt in humano genere, quod febris & adverſus ventus in naturalibus, ſenſu prorſus Ebræo & ſacris tantum ſcriptoribus familiari. Non vero ſolitariæ tantum voces ex ſacris a Stoicis deſumtæ ſunt, quarum plures facile adduci poſ-

(*y.*) *L. I. c. 9.* (*z.*) *De ſe ipſo, L. VIII.* §. *15.*
(*a.*) MATTH. *VII. 26.* (*b.*) *Epiſt. III. 12.*

poſſent, (*c.*) niſi brevitati litandum eſſet, ſed phraſes quoque integræ ex ſacris imitatione expreſſæ. Nobilis ſententia Divi PAULI eſt, (*d.*) monentis: *templum DEI nos eſſe, & ſpiritum DEI habitare in nobis;* en vero ſubdolum imitatorem SENECAM: (*e.*) *Prope a te Deus eſt, tecum eſt, intus eſt; ita dico, Lucili, ſacer inter nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos.* Eundem in modum, quod ſanctiſſimus Salvator promiſit, (*f.*) *venturum ſe ad homines, & in hominum mentes*, ille ipſe nefanda κακοζηλία ita expreſſit: (*g.*) *Miraris, homines ad Deos ire? Deus ad homines venit, immo, quod propius eſt, in homines.* Quibus paria habet EPICTETUS, qui inter alia: (*h.*) αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ παρόντος ἔσωθεν, καὶ ἐφορῶντος πάντα καὶ ἐπακούοντος, οὐκ αἰσχύνη ταῦτα ἐνθυμούμενος καὶ ποιῶν; *Ipſo Deo intrinſecus præſente, & omnia tum intuente tum audiente, non verecundaris eadem cogitare & facere?* Ubi & reliqua legenda ſunt, ad hoc unum collineantia omnia. Quæ vero Apoſtolus (*i.*) de Trino Deo ait: ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν πάντα, ANTONINUS de Stoico Deo fidenter adhibuit, ſcribit enim: (*k.*) ὦ φύσις, ἐκ σοῦ

(*c.*) Tales ſunt: *Deo ſe* ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, *ex tota anima permittere*, apud ANTONINUM *L. IV. §. 31. coll. L. III. §. 4. hominem* ἀληθινῶς, *ex veritate diligere, L. VI. §. 39.* Vita *peregrinatio*, apud SENECAM in *excerptis*, & ANTONIN. *L. II. §. 17.* Mors ἀπόλυσις πρὸς τὸν Θεὸν, *dimiſſio ad Deum*, apud EPICTET. *L. I. c. 9.* pius & bonus ἱερεύς τις καὶ ὑπουργὸς τῶν Θεῶν, *Sacerdos ac miniſter Deorum*, ANTONIN. *L. III. §. 4.* ἀθλητὴς ἄθλου μεγίστου, *luctator certaminis maximi, ib.* τοῦ Θεοῦ μάρτυρ καὶ Διάκονος, *Dei teſtis atque Miniſter*, apud EPICTET. *L. III. c. 26.* & his ſimiles.

(*d.*) *1. Cor. III. 16.* (*e.*) *Epiſt. 41.* (*f.*) JOAN. *XIV. 23.* (*g.*) *Epiſt. 73.* (*h.*) *L. II. c. 8.*

(*i.*) *Rom. XI. 36.* (*k.*) *L. IV. §. 23.*

ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα, *O natura, ex te omnia, in te omnia, ad te omnia*; manifeſta verborum cum Apoſtoli ſententia συμφωνία. Immo nec ab ipſius Servatoris noſtri verbis abhorrent Stoici, qui cum ſanctiſſimo & divino hoc doctore (*l.*) ad ferendos malos iisque benefaciendum, non tantum exemplo DEI excitant, (*m.*) ſed & eadem verba adhibent. Audi SENECAM, præcipientem: *Propoſitum eſt nobis, ſecundum rerum naturam vivere, & Deorum exemplum ſequi*; (*n.*) *ſi Deos imitaris, da & ingratis beneficia, nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria.* Et quemadmodum ad exequendas pacis, concordiæ & mutuorum officiorum partes S. Paulus inde argumentum ſumit, quod *unum corpus, unus ſpiritus* ſimus, *membraque unius corporis*. in quo nec manus pedibus, nec pedes manibus nocent, ſed inſerviunt: (*o.*) Ita non minus Stoicis, phraſibus ſanctiſſimis, etſi ſenſu Stoico, membra ſumus unius corporis; πρὸς μίαν τινὰ συνέργειαν κατεσκευασμένα, (*p.*) *ad mutuam eandemque cooperationem producta & efficta*; unde eleganter SENECA: (*q.*) *Quod ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? ut omnia inter ſe membra conſentiant, quia ſingula ſervari, totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva autem ſocietas eſſe, niſi amore & cuſtodia partium, non poteſt.* Et ex eodem fonte illud ipſum ſimile de *ramo avulſo*, quo uſus eſt D. PAULUS, ita in uſus ſuos convertit ANTONINUS, (*r.*) ut fere Paulina ſervet verba. Ait enim: Κλάδος τοῦ προσεχοῦς κλάδου ἀποκοπεὶς οὐ δύναται μὴ ἤδη τοῦ ὅλου φυτοῦ ἀποκε-

(*l.*) MATTH. *V.* 45. LUC. *VI.* 35. (*m.*) Vid. ANTONIN. *L. III.* §. 70. SENECA *de benefic. L. I. c.* 1. *L. VII. c.* 31. (*n.*) *ib. L. III. c.* 25. (*o.*) *Eph. IV.* 4. *Rom. XII.* 4. 1. *Cor. XII.* 12. (*p.*) ANTONIN. *L. VII.* §. 13. (*q.*) *de ira. L. II. c.* 31. (*r.*) *L. XI.* §. 8.

ἀποκέκοφθαι, ὅυτω καὶ ἄνθρωπος ἑνὸς ἀνθρώπου ἀποσχισθεὶς ὅλης τῆς κοινωνίας ἀποπέπτωκε, - - ἔξεσι γὰρ καὶ πάλιν τοῦ ὅλου συμπληρωτικοῖς γίνεσθαι. *Ramus a cohærente ramo abſciſſus, non poteſt non a tota ſtirpe abſcindi: Sic & homo ab alio homine abſciſſus, communitate tota excidit: - - licet ei denuo coaleſcere, cui prius adhæſerat, & ad univerſi complementum locum recuperare ſuum.* Quæ exempla luculenter nos convincunt, Stoicos, etſi ſenſu magnopere a ſacris doctrinis abeuntes, verbis tamen & dicendi modis Chriſtianos ſcriptores quam maxime fuiſſe imitatos.

§. V.

Largiore tamen hæc omnia radiabunt luce, ſi quoque oſtenderim, non verba tantum, ſed & ipſa *dogmata* externo habitu accommodaſſe Chriſtianorum doctrinis STOICOS, & ita ſyſtematis ſui rationes cautiſſime incruſtaſſe, ut propius a Chriſtianis abeſſe viderentur. Non excitabo totum Syſtema Stoicum, externa facie ita ſplendens, ut & veterum atque recentiorum Theologorum plurimis, ad latens venenum non ſatis attentis, in Chriſtianorum caſtris militaſſe viſi ſint; id enim a præſentis ſcriptionis anguſtia longius recedit: oſtendam tamen, putidiſſima & maxime impia dogmata, qualia Stoicorum fundamentales doctrinas eſſe in fine videbimus, ita exornaſſe, ut Chriſtianis quam maxime accederent veritatibus. In his doctrina de DEO eſt, quæ per gentilium Theogonias & Mythologias ſaniorum riſu expoſita, & probris Chriſtianorum objecta, a Stoicis maxime ad ſaniorem modum emendata, & allegoriæ beneficio, ſenſu magis Philoſophico exornata eſt; veſtigia Stoicorum poſtea legentibus Platonicis recentioribus, quia Stoica placita inter ſua ex parte receperunt. Teſtes volo Philoſophos non incelebres, PHURNUTUM & SALLUSTIUM; quorum ille

ille in libello *de natura Deorum*, hic in ſcripto *de Diis & mundo*, (*s.*) omnes ingenii nervos adhibuerunt, ut Philoſophicam & ſaniorem fabulis ſacris ſignificationem eſſe oſtenderent. Hinc *unus* tantum *Deus pater omnium, creator univerſi*, (*t.*) *cauſa rerum prima & unica, ex qua & ad quam omnia*, magnis vocibus deprædicatus eſt. (*u.*) Ille *ſumme bonus*, (*x.*) *etiam in aſperis & pœnis immiſſis*; (*y.*) *mens incorporea*, (*z.*) *præſens etiam intra clauſas fores*, (*a.*) *cordium & cogitationum ſcrutator*; (*b.*) *qui nudas mentes inſpicit*, (*c.*) *ſumme benevolus, qui & malis beneficia præſtat*, (*d.*) *patiensque eſt, juſtus etiam in omnibus actionibus.* (*e.*) Non patitur limitum, quos mihi conſtitui, anguſtia, magnifica Stoicorum verba hic lectori legenda propinare, verum curioſum laboris non pœnitebit, qui adjecta paginæ loca evolverit; miraturus, quam caſte, quam magnifice, quam temperanter de DEO loqui videantur. Nihil vero magis iſtam accommodationem Stoicam prodit, quam confidentiſſima aſſertio PROVIDENTIÆ DIVINÆ, quæ non omni tantum mundo, ſed & ſingulis in

(*s.*) Uterque libellus extat inter TH. GALEI *Opuſcula Mythologica, p. 139. ſqq. 243. ſqq.*

(*t.*) SENECA *Quæſt. nat. L. III. c. 30.*

(*u.*) Vid. IDEM *de Benef. L. IV. c. 7.* ANTONIN. *L. IV. §. 23.*

(*x.*) IDEM *L. VI. §. 1.* SENECA. *Epiſt. 95.*

(*y.*) SENECA *l. c.* (*z.*) ANTONINI *L. IV. §. 40.* conf. GATAKER. *ad h. l.* & quæ ex inſtituto dicta ſunt *Hiſt. Philoſ. T. II. p. 1023. ſq. 1040.*

(*a.*) EPICTET. *L. I. c. 14.* conf. GATAKER. *l. c. p. m. 119.* (*b.*) ANTONIN. *L. XII. §. 2.* conf. GATAKER. *l. c. p. 418.*

(*c.*) *Ibid.* (*d.*) SENECA *de beneficiis* paſſim. *L. I. 1. III. 25. VII. 31.* ANTON. *L. VII. §. 70.*

(*e.*) Id. *L. XII. §. 5.*

in illo rebus, maximis, minimis, benevola & prudentiſſima ratione proſpicit. Apertius ante C. N. caſui fortuito ab Epicurea Schola aſſerto opponebat Porticus *æternam fati legem & indeclinabilem rerum ſeriem & catenam, volventem ſemet ipſam, ſeſeque implicantem, per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* (*f.*) Hujus fati legibus Deum ſubjicere non crubeſcebat. Non dimitti quidem hæc poterant, quæ intimum Syſtematis Stoici nexum tangunt; vexata tamen & oppugnata merito a Chriſtianis doctoribus, emollienda & veritati Chriſtianæ propius accommodanda erant. (*g.*) Hinc providentia Deo adſcripta, hinc provida Dei lex in omnes creaturas aſſerta, & *attentiſſimus ad omnia oculus divinus, qui nec in minimo fallitur.* (*h.*) Actum agerem, ſi hæc latius adductis Stoicorum diſſertationibus de providentia divina (inter quos EPICTETUS omnium elegantiſſime locutus eſt;) probarem, cum ea prolixe enarraverint LIPSIUS (*i.*) & BUDDEUS. (*k.*) Nemo vero vel melius vel elegantius quoque hanc providentiam Stoicam ornaverit, quam Tu, Doctiſſime ZIMMERMANNE; (*l.*) & recte quoque, ſi quid judico, ſi id de iſta accommodatione & imitatione Chriſtianorum intelligatur, quam ſalvis hypotheſibus

(*f.*) Hæc CHRYSIPPI, celeberrimi Zenonis diſcipuli, definitio fati eſt apud GELLIUM *L. VI. c. 2.* quam erudite illuſtrat J. THOMASIUS *de exuſt. mundi Stoica, Diſs. XIII. p. 166. ſeqq.*

(*g.*) Agnovit hoc jam FR. BALTUS *jugement des SS. Peres ſur la morale de la Phil. payenne.* p. 70. ſeq.

(*h.*) EPICT. *L. I. c. 12.*

(*i.*) *Phyſiol. Stoic. L. I. Diſs. XI. p m. 51. ſeqq.*

(*k.*) *Introd. in Phil. mor. Stoicorum ex mente Antonini*, ejus libris *de ſe ipſo* præmiſſa. (*l.*) In *Muſeo Hiſt. Theol. Phil. Bremæ edito. Vol. I. P. I. p. 1. ſeqq.*

bus ſuis aſſerebant Seneca, Antoninus, Epictetus, & his ſimiles. Imo nec invitus conceſſerim ei, qui cum Illuſtri HUETIO, (*m.*) etſi mire ſenſus Stoicos perverterit, ad Chriſtianorum ſanctiſſimum de *Trinitate* dogma alluſiſſe, eique nugas ſuas Stoicas accommodaſſe SENECAM, exiſtimaverit, ſcribentem: (*n.*) *Quisquis formator univerſi fuit, ſive ille Deus eſt potens omnium, ſive incorporalis ratio ingentium operum artifex, ſive divinus ſpiritus, per omnia maxima minima æquali intentione diffuſus*; modo hæc Stoico ſenſu dicta eſſe, & doloſa verba nectere, impio fundamento ſubſtrato, cogitemus. Poſt Deum nec divinos ſpiritus, quos *Angelos* Deique legatos Chriſtiana doctrina, poſt Judæos, ipſis gentilibus non invitis (*o.*) nominat, quosque *dæmonas* & Stoicos *genios* vocaſſe gentiles, notius eſt, quam ut moneri neceſſe ſit, intactos dimiſere Stoici, quo minus & de iis præcepta ſua Chriſtianorum traditis aſſimilarent. Auctor enim eſt LACTANTIUS, (*p.*) dixiſſe in *exhortationibus* SENECAM: *Genuiſſe regni ſui miniſtros Deum.* Illi vero non Dei tantum miniſtri, ſed hominum quoque cuſtodes; cuilibet enim internum genium præſidere monebant, divinitatis participem, quem τὸν ἡμέτερον δαίμονα vocat EPICTETUS, (*q.*) & toties animum advertendum ad eum eſſe, urget ANTONINUS. De his vero argute, & prope ad Chriſtianorum mentem, ſi externum verborum corticem reſpicias, SENECA: (*r.*) *Ego amicis jucundus, inimicis mitis & facilis exorabor, antequam roger, honeſtis precibus occurram, patriam meam mundum eſſe ſciam, & præſides Deos ſupra me circaque me ſtare,*

(*m.*) *Quæſt. Alnet. L. II. c. 3. p. m. 95.* (*n.*) *Conſolat. ad Helviam. c. 8.* (*o.*) Vid. Oraculum apud LACTANT. *Inſtit. L. I. c. 7.* (*p.*) *l. c. & c. 4.*

(*q.*) *L. I. c. 14.* Qui locus imprimis legi meretur.

(*r.*) *De vita beata. c. 20.*

ſtare, factorum dictorumque cenſores. Poſt angelos de *homine* quoque præter modum magnifice loquebantur Stoici; hunc divinæ naturæ participem, hunc *Jovis filium & cognatum* fatebantur, (*s.*) hunc ex *luto factum*, (*t.*) & ex uno ſanguine per omnem humani generis cognationem diſperſum eſſe, (*u.*) ratione vero animi

Exemplumque DEI *quemque eſſe in imagine parva*; (*x.*)

hunc tribus partibus, mente, anima & corpore, conſtare aſſerebant. (*y.*) Quid in his omnibus eſt, quod non Chriſtianam de homine, Dei imagine, doctrinam verbis ſaltem & externa ſpecie referat; & quis iſtius modi locutionum fontem inter Chriſtianos ſcriptores non facile quærat? Quin non humanæ tantum mentis præſtantiam more Chriſtiano exprimere, ſed & *corruptionem* ejus deplorare vocibus ſacris didicerunt. Unde enim ita SENECA? (*z.*) *Duo ſunt, propter quæ deliquimus, aut ineſt animo pravis opinionibus malitia contracta, aut etiam, ſi non falſis eſt occupatus, ad falſa proclivis eſt, & cito ſpecie, quo non oportet, trahente corrumpitur.* (*a.*) Ex hac humani animi corruptione neceſſi-

(*s.*) ANTONINUS paſſim, vid. *L. II. §. I.* & GATAKER *ad h. l. p. 48.* SENECA *paſſim*, vid. *ep. 92.*

(*t.*) Hinc corpus *φύραμα vocat* ANTONINUS *L. VII. §. 68.* id eſt *coalitum luto*, ex quo vaſa fictilia conficiuntur, quam ipſam vocem PAULUS *Rom. IX. 21.* adhibuit. conf. EPICTETUS *L. I. c. I.*

(*u.*) ANTONIN. *L. XII. §. 25. L. II. §. I.*

(*x.*) MANILIUS *L. IV.* his ſimilibusque vocibus rapitur fere extra ſe LIPSIUS *Phyſiol. Stoic. L. III.. Diſs. II. p. m. 274. ſqq.* (*y.*) ANTONIN. *L. II. §. 2. L. III. §. 16. L. XII. §. 3.* (*z.*) *Ep. 94.*

(*a.*) Fuſe hanc hominis corruptionem explicat SIMPLICIUS Comm. in *Epict. Enchir. p. m. 121.* etſi funda-

ceſſitatem *converſionis* & mutationis urgebant Chriſtiani doctores; hic pœnitentiam injungebant, & peccatum agnoſcere, & corruptum animum mutare, & cum inhabitante peccato pugnam exercere, & cor atque membra ipſa reſcindere jubebant. Quid ad hæc STOICI? Et hic ſimias Chriſtianorum agnoſce. Urgebant (*b.*) τὴν μεταστροφὴν τὴν ἐπὶ τὰ θεῖα γενομένην ἐκ μεταβολῆς, μεταβαλούσης τῆς ψυχῆς εἰς σοφίαν, *converſionem ad divina quæ fit ex mutatione, mutata anima ad ſapientiam.* Hinc animum mutandum eſſe, urget SENECA, (*c.*) & *initium ſalutis eſſe notitiam peccati* prudenter monet. Inde μετάνοιαν ἐπίληψίν τινα ἑαυτοῦ ὡς χρήσιμόν τι παρεικότος, *reprehenſionem ſui ipſius, ut qui utile quid omiſerit*, definit ANTONINUS (*d.*) SENECA vero: (*e.*) *Militandum eſſe, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur; projicienda, quæ cor laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis revellendum.* His, quæ præcipua Chriſtianorum dogmata attingunt, alia quoque poſſunt adjici, in quibus ad Chriſtianorum placita externa ſpecie accedere propius Stoici tentaſſe viſi ſunt. In his nihil magis imitationem Chriſtianorum prodit, quam deſcriptio *Cynici veri*, quæ apud ARRIANUM in Diſſertationibus Epicteteis reperitur: (*f.*) ea enim ita comparata eſt, ut ſeverus ille morum magiſter potiſſimum

 ad

menta magis Platonica quam Stoica ſupponat. Eleganter vero ANTONINUS *L. XI. §. 18.* εἰ τινῶν ἁμαρτημάτων ἀπέχῃ ἀλλὰ τήν γε ἕξιν ποιητικὴν ἔχεις, εἰ καὶ διὰ δειλίαν, ἢ δοξοκοπίαν ἢ τοιοῦτό τι κακὸν ἀπέχῃ τῶν ὁμοίων ἁμαρτημάτων. *Si a quibusdam peccatis abſtines, habebis tamen intra te proclivitatem habitumque talia perpetrandi, licet vel ignaviæ, vel famæ, vel alterius rei cauſa a ſimilibus peccatis abſtineas.* (*b.*) Apud CLEM. ALEX. *Strom. L. VI. p.m. 485.* (*c.*) *Ep. 28.* (*d.*) *L. VIII. §. 10.* (*e.*) *Ep. 51.* (*f.*) *L. III. c. 22.*

ad eam miniſtri divini ideam reſpexiſſe cenſendus ſit, quam ſacræ paginæ voluntatis divinæ nuntiis præſcribunt. Illis enim præſcribentibus, divini cœtus paſtor & inſpector gregis & nuntius DEI atque præco, qui debet eſſe irreprehenſibilis, vigilare pro gregis ſalute, demonſtrare ſalutis viam, & ipſa praxi pietatis gregi eſſe exemplo. Ecce vero, quam mire ad hanc imaginem Cynicum ſuum formet Epictetus, cujus verba brevitatis cauſa tantum Latina do: Scilicet, *non ſine Deo tantam rem aggrediendam; qui gubernator hominum fieri velit, in rebus ſuis non amplius ſimilem eſſe ſui oportere, non iracundum eſſe, non invidum, ſi pædagogus publicus eſſe cupiat; eſſe Dei legatum,* (ἄγγελον) *ut hominibus, quæ bona quæ mala ſint nuntiet, ut quantis in erroribus verſentur, demonſtret, atque alio in loco bonorum malorumque naturam, quam ubi ſunt, quærant, ubi vero non ſint, cogitent. Eſſe exploratorem, qui ubi accurate vera indagarit, renuntiet, metu non perculſus; ſuo id exemplo demonſtrandum, mentem ejus puriorem ſole eſſe debere; illum pro aliorum ſalute vigilare, armorum & ſatellitum loco conſcientiam habere, & ſi diis ita placet, fiat. non alienis rebus ſupervacaneis occupatum eſſe, ſed in ſua curioſum, tanta tolerantia, ut ſenſus expers videatur*, &c. Verum elegantiſſima diſſertatio tota legenda eſt, quæ ſi reliqua omnia abeſſent, ſola mihi ſatis apta videtur, ad convincendos nos, EPICTETUM Chriſtianorum inſtituta, mores, doctrinam, in oculis habuiſſe. Et ſic in aliis quoque ſanctiſſimæ religionis noſtræ capitibus liceret hanc Stoicam Chriſtianorum imitationem oſtendere, quæ tamen brevitati litaturus prætermitto; unum tamen omittere nequeo, in *ultimis hominum* deſcribendis multum Chriſtianorum veſtigiis inſiſtere Stoicos. Expendant curioſi rei hujus indagatores, quibus magiſtris didicerit SENECA (*g.*) *Nihil æque prodeſſe ad temperantiam omnium rerum, quam frequentem cogitationem brevis ævi hujus &*

(*g.*) *Ep. 14.*

& incerti; quicquid faciendum, reſpiciendum ad mortem. Et alibi: (*b.*) *Fugere, non abire dies, vigilandum itaque eſſe, niſi properamus, relinqui nos. Non deflendum* (*i.*) *eum, qui anteceſſit, & ſequi nos eos, quos amiſimus*; & quæ aliæ hujusmodi voces ſunt in *conſolationibus ad Marciam, Helviam & Polybium* occurrentes. Ex quibus vel unum decerpere locum juvat, ut luculento exemplo pateat, quam preſſe Chriſtianorum dicta imitatus fuerit SENECA. Is ita *ad Marciam*: (*k.*) *Exceſſit filius tuus terminos, intra quos ſervit, excepit illum magna & æterna pax, non paupertatis metu, non divitiarum cura angitur; - - tandem ibi conſtitit, unde eum nihil pellat, nihil terreat.* Et hæc *ſpes* illa *magna* eſt, quam ex parte a Chriſtianis mutuo ſumtam, non ſine metu tamen contrarii, toti ſuæ Philoſophiæ tanquam vinculum quoddam adjecere Stoici, quos inde veriſimiliter *Elpiſticos* dictos fuiſſe, alio loco expoſui. (*l.*) Inde magna illa & jactabunda verba, quæ παλιγγενεσίαν Chriſtianam fallaci ratione imitantur: (*m.*) *Mors, quam pertimeſcimus, intermittit vitam, non eripit; veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies.* (*n.*) Imo ipſa conflagratio mundi, Stoicis tantopere jactata, Chriſtianorum de ea placita quam maxime commendabat, de qua cum alibi dixerim, hic prolixus eſſe nolo. Tot igitur exempla cum præſto ſint doctrinarum Stoicarum, de quibus Chriſtianorum veſtigia preſſiſſe Stoicos, apertum eſt, quis de imitatione hac ulterius dubitabit?

§. VI.

Quod hanc Chriſtianorum imitationem a Stoicis ſuſceptam in meridiana quaſi luce collocat, eſt

(*b.*) *De Brev. vitæ, c. 9.* conf. ANTONIN. *L. II. §. 4.* (*i.*) *Ep. 99.* (*k.*) *c. 19.* (*l.*) Diſs. *de Secta Elpiſtica Miſcell. Berolinens. T. V. p. 222. ſeqq.*

(*m.*) Conf. GATAK. *p. 385.* (*n.*) SENECA *Ep. 31.* conf. LIPSIUS *Phyſiol. Stoic. L. II. Diſs. 22.*

emendatio *Philoſophiæ moralis* ad præcepta Chriſtiarorum facta, quæ & ſententiarum pondere & verborum gravitate atque ſplendore ita Chriſtianam Scholam redolet, ut facile ignoſcendum putem viris doctis, qui doli Stoici ignari Philoſophos hos in Chriſtianorum caſtris ex parte militaviſſe, ſibi perſuaſerunt. Id ut demonſtretur, ſanctioris, quæ ad mores hominum ſpectat, diſciplinæ peritum, ad ea tantum intuenda & expendenda incitandum puto, quæ in Stoicorum Ethica de officiis hominum erga Deum erga ſeipſum & erga alios homines dicta ſunt. Quæ notabilibus Stoicorum phraſibus omnia recitarem, niſi prolixitatis metus obicem poneret, & verba ipſa lectorem apud Stoicorum trigam ſupra laudatam quærere juberet. Præcipiunt vero STOICI: Summam *officiorum*, quæ *DEO* debent homines, eſſe, *Deum ſequi, eidemque ſine exceptione, & beneplacito ejus ſine murmure obtemperare*; (*o.*) Quæ proximo debentur, eſſe, *eundem tanquam ſe ipſum, tanquam conſanguineum, tanquam membrum unius corporis diligere*, (*p.*) *amorem hunc extendendum eſſe etiam ad inimicos*, (*q.*) *quos beneficiis vincere divina virtus ſit.* (*r.*) Ad hæc duo capita omnia referebant. (*s.*) Hinc poſcebant, ut officio hominis facturus ſatis, *Deum in omnibus cogitet, in omni negotio eum invocet*, (*t.*) *pro omnibus gratias agat*, (*u.*) *& imprimis in laudando & hymnis quoque prædicando Deo omne ſtudium ponat*; quæ ita EPICTETUS præcipua exprimit,

(*o.*) ANTONIN. *L. V. §. 19. L. VII. §. 22.* conf. LIPSIUS *Manud. ad Philoſ. Stoic. L. II. Diſs. 19. p. 200.* (*p.*) ANTONIN. *L. VII. §. 13. 31.* (*q.*) SENECA *de Benefic. L. VII. c. 31.* (*r.*) ANTONIN. *L. VII. §. 3.* (*s.*) *Ibid. §. 31.* (*t.*) IDEM. *L. VI. §. 23.* (*u.*) EPICTET. *L. I. c. 7.* conf. GATAK. *ad Ant. p. 12.* STOBAEUS *Ecl. Eth. L. I. c. 4.*

mit, (*x.*) & injungit, ut quos auctores ſibi imitandos propoſuerit, manibus quaſi palpare liceat. Monebant porro, ad *Deum, omnes noſtras cogitationes & interiora nudamque mentem reſpicientem, in omni actione attendendum,* (*y.*) *eumque in omnibus imitandum. Animi* porro poſtulabant *culturam omnibus aliis negotiis præferendam,* (*z.*) *mutandum ex ſtultitia animum in ſapientiam, nec circa hanc converſionem ad ſannas & dicteria ſtultorum attendendum,* (*a.*) *excolendumque ita animum, ut ſacer in eo ſpiritus habitare queat :* (*b.*) *hinc cupiditates corque ipſum revellendum.* (*c.*) *Amandum proximum non verbo tantum, ſed & veritate, tanquam non ſibi ſoli genito, ſed in commune bonum nato,* (*d.*) *nunquam benefaciendo ceſſandum,* (*e.*) *ſed bonam conſcientiam ad vitæ uſque halitum ſervandam, bonumq; certamen certandum,* (*f.*) *& magnam ſpem alendam, poſt*

 hanc

(*x.*) Lege elegantiſſimam Diſſertationem *L. I. c. 16.* unde brevitatis cauſa hæc tantum Latina do : *Nam ſi ſapimus, quid nobis aliud erat agendum, & publice & privatim, quam Numen celebrandum & laudandum, & grates perſolvendæ ? nonne inter fodiendum & arandum & edendum, qui nobis inſtrumenta præbuerit, has qui manus dederit, qui deglutiendi vim, - - hæc ſingulis in rebus cantanda erant, & hymnus maximus & diviniſſimus reſonandus, quod facultatem dederit harum rerum intelligentem.* Sed & reliqua legenda ſunt, mira ſuavitate ſe commendantia, & frigora noſtri temporis in ruborem dare apta.

(*y*) EPICTETUS *L. I. c. 14.* (*z.*) conf. BUDDEUS *Iſag. in Phil. Mor. Stoicorum* ex mente Antonini. LIPSIUS *Manuduct. ad Phil. Stoic. L. II. Diſs. 18. p. 195.* GATAKER. *Praloq. ad Anton. p. 12. Hiſtor. Philoſ. T. I. p. 1073. 1074.*

(*a.*) EPICTET. *Enchir. c. 18. 29.* (*b.*) SENECA *Ep. 41.* (*c.*) IDEM *Ep. 41.* (*d.*) ANTONIN. *L. VII. §. 55.* conf GATAKER. *L. II. §. 3. p. 53.* (*e.*) SENECA *de beneficiis* paſſim. (*f.*) ANTO-

hanc vitam æternam pacem & gaudia in ſocietate Deorum ſecutura. (*g.*) Nihil hic recito, quod non expreſſis Stoicorum verbis & ſententiis toties inculcatum legimus: nihil poſtulatum audimus, quod non ſupra gentilia lumina videri queat, quæque StoicorumPhiloſophiam moralem ante C. N. magnifica oratione longe ſuperabant. (*h.*) Annon inde juſte infero, ſpolia hæc eſſe Chriſtianis detracta, vel imitatione potius, ad ſanctiſſima morum præcepta Chriſtianorum ita accommodata, ut inde perfectioris & ſanctioris Philoſophiæ laus, publice Chriſtianis conceſſa, ad Stoicorum cathedras derivaretur. (*i.*)

§. VII.

Nihil tamen in his omnibus acceſſit divinæ veritati propius gens impia, immo quantum in ſe fuit, ſubdola ratione veritatem prodidit, certe iu injuſtitia, quæ Pauli vox eſt, detinuit. Externo enim doctrinarum, imprimis moralium, ſplendore & ſanctitate Chriſtianis laudem feciſſe dubiam contenta, abominandorum errorum nexui peſſimoque fundamento totum iſtud elegantiſſimum Philoſophiæ, Chriſtianam doctrinam imitantis, ſyſtema inædificavit. Non ignoro, eſſe Viros Doctos, qui hæc gratis dici exiſtimant, nec adeo male de fortiori & emendatiori Philoſophia meritos eſſe Stoicos autumant, inter quos poſt LIPSIUM (*k.*) HUETIUS (*l.*) GATAKERUS (*m.*) DACIERIUS (*n.*) COQUELINUS

NIN. *L. III. §. 4.* SENECA *de vita beata c. 20.* IDEM *Ep. 10.* (*g.*) Vide Diſs. *de Secta Elpiſtica.*
(*h.*) Obſervavit hoc QUINTILIANUS Inſtit. *L. X.*
(*i.*) Inde Stoicam Sectam *fortiſſimam & ſanctiſſimam* vocat SENECA *Ep. 83.* (*k.*) In *Manud. ad Phil. Stoicam & Diſs. de Phyſiolog. Stoica* paſſim. (*l.*) in Quæſt. Alnetanis. (*m.*) In *Præloquio ad Antoninum.* (*n.*) In *Annotationibus ad Antonin.*

LINUS (*o.*) & alii. (*p.*) Sed, quod pace Virorum eruditiſſimorum dixerim, ad ipſum Syſtema Stoicum non ſatis attenderunt, & ſubdolam Chriſtianos externe imitandi rationem non caute ſatis expenderunt. Quod ut planum faciam atque demonſtrem, ipſa potiſſimum Syſtematis phyſiologici & moralis, quale in Scholis Stoicorum traditum eſt, fundamenta adducenda ſunt, etſi poſt virorum doctiſſimorum (*q.*) & meum quoque aliqualem laborem (*r.*) ſumma tantum capita attingenda ſunt; quippe quæ ſufficiunt, ad demonſtrandum, doloſa prorſus ratione Stoicos Chriſtianos fuiſſe imitatos, & ſub emendicatis verbis perverſiſſimum noxiumque occultaſſe venenum, eo magis fortiusque lædens, quo blandiori & dulciori ſpecie decipit.

§. VIII.

Sunt vero indubia & omnium conſenſu germaniſſima Stoæ principia hæc. I. Totum hoc, in quo continemur, & unum eſſe, & univerſum, & quæcunque in eo ſunt, eſſe ejusdem eſſentiales partes, decerptas particulas & membra. (*s.*) II. Totum illud & ſubtilius aliquod in ſe continere principium igneum, activum, & craſſius atque paſſivum, illud eſſe Deum, hoc materiam. (*t.*) III. Utrumque principium cum ſimul unum totum ſit, arctiſſimo ita inter ſe uniri nexu atque vinculo, ut non niſi utrumque

(*o.*) *Manuel d' Epictete avec des reflexions tirées de la Morale de l' Evangile.* (*p.*) conf. *Hiſt. Phil. T. I. p. 1033.* (*q.*) B. JAC. THOMASII *de Exuſtione Mundi Stoica.* B. J. FRANC. BUDDEI Diſſert. *de erroribus Stoicorum*, quæ extant in *Analectis Hiſt. Phil.* (*r.*) In *Otio & in del. Mel. II. & in Hiſt. Philoſ. T. I. p. 1063. ſqq.* (*s.*) SENECA *Ep. 97.* ANTONIN. *L. IV. §. 40.* GATAKER *ad h. l.* (*t.*) SENECA *Ep. 65.* ANTONIN. *L. II. §. 2. L. IV. §. 21.*

ad leges & rationes totius vel agere vel pati queat. (*u.*) IV. Permeare vero iſtum ignem, ſive Deum Stoicum, totam materiam, eamque informare, vivificare, ejusdemque partibus eſſentialiter ubique adeſſe. (*x.*) V. Nec hanc Stoici Dei activitatem aliam eſſe poſſe, quam quæ leges & rationes totius, cujus pars ille eſt, poſtulant, unde & ipſe illis legibus ſubjectus eſt. (*y.*) VI. Inde fatum hoc abſolutiſſimum, & concatenatum cauſarum & eventuum nexum eſſe, quo omnia ita eveniunt, ut evenire neceſſe fuit, cum hoc ſacro nodo omnia in univerſo tanquam in uno arctiſſime invicem implicentur. (*z.*) VII. Quoniam vero hæc rerum univerſitatis ſeries ejus partibus adæquate reſpondet, & ad illud conſervandum facit, inde maxime rationalem eſſe. (*a.*) VIII. Ex iſto Deo ſive anima mundi decerptos eſſe & genios (*b.*) & hominum mentes, quæ *ἀποσπασμάτια*, portionem divinæ eſſentiæ in ſe contineant. (*c.*) IX. Materiam vero iſtam craſſiorem per ignem illum divinum in aſpectabilem mundi formam coaluiſſe, & poſt certas periodos ad priſtinam chaos primævi confuſionem per incendium redituram, ſicque & partes animæ mundanæ in eam reductum iri, novumque inde ex naturæ univerſi neceſſitate mundum priſtino in omnibus ſimilem reſtitutum

(*u.*) ANTONIN. *L. VII. §. 9.* conf. BUDDEUS *Supplem. Iſagog. in Hiſt. Theol. Liter. p. 37.* & quæ dixi *Amœnitat. Liter. T. VIII. de providentia Stoica.* (*x.*) SENECA *Præf. Quæſt. natur.* ANTONIN. *L. IV. §. 40. L. VII. §. 75.* (*y.*) SENECA *l. c.* (*z.*) ANTONIN. *L. VI. §. 28.* (*a.*) Vid. LIPSIUS *Phyſ. Stoic. L. II. Diſs. 11. p. 51. ſq.* GATAKER *Præl. ad Antonin. p. 11.* (*b.*) conf. LIPS. *l. c. Diſs. 20. p. 113.* (*c.*) ANTON. *L. IX. §. 8. L. II. §. 4.* EPICTET. *L. III. c. 24.* & frequenter SENECA.

tutum iri, (*d.*) X. Ad hanc univerſi conſtitutionem efformare ſe, ſicque partem divinam in nobis habitantem ad felicitatem ſuam excitare, hoc potiſſimum Philoſophiæ munus eſſe, abjectis iis, quæ hunc ſcopum impediunt. (*e.*) Plura ſunt, quæ ex his conſequuntur, nobiliſſima Porticus decreta & præcepta; ſed ea hic, ubi brevitas ſectanda eſt, quærenda non ſunt, & decas iſta principiorum Stoicorum veritatis ſtudioſo ſufficit ad detrahendam Stoicis Chriſtianorum ſimiis larvam. Nam his ipſis principiis peſſimam impietatem contineri, eaque ab atheiſmi abominabili labe prope abeſſe facile evinci poteſt, dudumque Viris doctis evictum eſt. (*f.*)

§. IX.

His jam poſitis, & pro interprete decretorum & præceptorum Stoicorum aſſumtis, facile oſtendi poteſt, quam ſubdole & maligna ratione infernalis genius piarum doctrinarum βδελύγματα ſub larva Chriſtianæ pietatis occultaverit, & quam longe magnifica illa verba & dogmata Stoicorum, quæ ſupra recenſuimus, a veritate illa abſint, quam divinos doctores Spiritus S. docuit; quicquid enim Stoa jactavit, quicquid Chriſtianorum verbis interceptis jactantius injunxit, illud omne ita comparatum eſt, ut ſalva impia hypotheſi dicere quoque poſſit genuinus Spinozæ aſſecla, verbis Chriſtianorum impietatis ſuæ virus cautius tegens & occultans. Quod ut faciam manifeſtum, & ſubdolam imitationis Stoicæ rationem in apricum producam, bona Tua pace, Venerande ZIMMERMANNE, & verba & ſententias memo-

(*d.*) Hæc frequentiſſime Stoici crepant: vid. SENECA *conſ. ad Mart. c. ult. Quæſt. nat. L. III. c. 27.* ANTONIN. *L. V. §. 21.* (*e.*) ANTONIN. *L. II. §. 3.* quo loco ea fere omnia, quæ hic per partes dicta ſunt, collecta legimus. (*f.*) conſ. *Supplem. ad Hiſt. Philoſ. p. 182.*

memoria recolam, quibus ſupra Stoicos Chriſtianorum ſimias fuiſſe, oſtenſum eſt. Gratias agebat Epictetus Deo; ſed cui? univerſo, ſive *opificio*, ut ait *maximo & ſummo, quod in ſe continet omnia, quod ex hominibus & Deo & reliquis creaturis conſtat, a quo ſemina delapſa ſunt in univerſa, quæ generantur & naſcuntur in terris, tum vero in ea, quæ ratione ſunt prædita;* quemadmodum ita germaniſſimam Stoicorum ſententiam alibi (*g.*) exprimit. Hinc Dei filium in ſequentibus hominem vocat, id eſt, eum, qui ab ipſo univerſo productus ſit. Dei civitatem Epictetus & Antoninus memorabant, ſed cave, ſpiritualem Chriſtianorum vel cœleſtem intelligas; mundana eſt, ubi omnes homines pii pariter atque mali membra ſunt atque partes, (*h.*) cui univerſa & neceſſaria lex imperat, unde neceſſarium fluit obſequium, futilis illa Stoicorum virtus. Id ſi phraſibus Stoicis ante C. N. familiaribus expreſſum fuiſſet, longius a Chriſtianorum ſententia abiiſſet, & venenum impium apertius prodidiſſet. Ita enim de eodem argumento CHRYSIPPUS (*i.*) apud LAERTIUM, (*k.*) ἴσον ἐςὶ τὸ καΤ' ἀρετὴν ζῆν τῷ καΤ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόνΤων ζῆν, μέρη γὰρ εἰσιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου, *ſecundum virtutem vivere idem eſt, ac juxta eandem rationem vivere, ut in mundo quotidie fieri & accidere experientia novimus. Sunt enim naturæ noſtræ partes univerſi.* Sed ſplendidius, ſanctius & caſtius loquendum erat, hinc ſurreptæ Chriſtianis voculæ, ut imperitis imponeretur. Cur templum Dei Senecæ ſupra dictus ſit homo, ipſe mox prodidit, ſcilicet (*l.*) quia *mens particula eſt ex cœleſti anima*, ex ipſa Dei eſſentia *decerpta, ut radius a ſole demiſſus in corpus, ita ut inhæreat origini ſuæ.* Inde mens familiariter ANTONINO dæmon, immo Deus inhabitans, θεία ἀπομοίρα,

καὶ

(*g.*) *L. I. c. 9.* (*h.*) Vid. ANTONIN. *L. XII. § 36.* EPICTET. *L. I. c. 12. L. III. c. 24.* (*i.*) *De finibus.* (*k.*) *L. VII. §. 87.* (*l.*) *Ep. 41.*

καὶ ἀπόῤῥοια τοῦ τὸν κόσμον διοικοῦντος, (m.) *portiuncula & emanatio ex directore mundi* EPICTETO (n.) τοῦ Διὸς μέρος, *Jovis pars*, SENECÆ (o.) *divini ſpiritus pars ac velut ſcintilla quædam.* Vides Deum & hominis mentem eſſentia idem eſſe, eandemque originis & naturæ ſervare rationem. Hinc Pelagianiſmus Stoicorum ante Pelagium, viribus hominis omnia in virtutis & ſapientiæ ſtudio adſcripta; quod hic ideo notandum eſt, ut ſplendenti Philoſophiæ, virtutem a Deo expectanti, larva detrahatur. Audi quæſo impudentem Senecæ vocem: (p.) *Turpe eſt etiamnum Deos fatigare; quid votis opus eſt? fac te ipſum felicem.* Sed & reliqua lege & deteſtare impietatem & ſuperbiam peſſimorum Philoſophorum. Maxime vero impiam imitationem prodidit Imperator, dum ex natura omnia, in natura omnia, ad naturam omnia ſupra exclamavit. Qui enim potuit melius Spinozæ impietati præludere? qui potuit ſignificantius unam illam naturæ ſubſtantiam, ex qua, in qua, ad quam omnia referuntur, exprimere? qua ſcilicet in Porticu ex univerſo ejusque variis per Deum & materiam, ſi non modificationibus, certe partibus & emanationibus omnia oriuntur, ſunt & ſic quoque omnia in Jovis unam eſſentiam iterum redeunt. Habeo inde rationem, cur ſimilitudinem membrorum in uno corpore Chriſtianis ſuffurati ſint, quia ſcilicet ejusdem univerſi omnes omnino homines partes & mentes omnes ejusdem animæ mundanæ particulæ & ſcintillæ ſunt; ex hoc ipſo fundamento disjectum ramum univerſitati, cujus pars fuit & membrum, ſed mentis ſtupore in rationali parte excidit, inſeri iterum poſſe Antoninus monuit. Hac ſententia de Deo, anima mundi per univerſum ejusque partes diffuſa, ſemel ſuſcepta

(m.) *L. II. §. 1. 4.* conf. GATAKER. *ad hh. ll.* (n.) *L. I. c. 1.* (o.) *Ep. 92. & de otio Sapient.* (p.) *Ep. 31.* conf. GATAKER. *ad Anton. L. II. §. 11. p. 65.*

ſcepta, facile erat, diviniſſimam de unitate Dei doctrinam cum πολυθεότητι gentili nefando auſu conciliare, ſicque inter tenebras & lucem paciſci. Etſi enim unus ita Deus eſt, isque & omnipotens & omnipræſens & creator atque conſervator univerſi, cum anima mundi principium mundi activum ſit, omnibus ejus partibus præſens, & eas permeans atque animans, id quod non ineleganter explicat PHURNUTUS, (*q*) omnes tamen mundi partes Dii ſunt, quibus ſcilicet pars divinæ animæ adhæret. (*r.*) Nec ſaniora ſunt, ſi dimiſſo cortice ad nucleum Philoſophiæ Stoicæ attendimus, quæ de providentia garriunt. Fateor, minimorum quoque providentiam aſſerere Epictetum; concedo, libertatem animi cum iſta providentia conjungere Senem ſeveriſſimum; laudo, negantes providentiam Epicureos a Stoicis fortiter refelli; nihil hoc ad ſananda putria Stoicorum efficit vulnera: Nam providentia illa nihil aliud eſt, quam motus ille ignis ſubtiliſſimi, qui materiæ ineſt, ſive mundanæ animæ, naturæ, Dei, (omnia enim iſta unum idemque ſunt) activitas, ad leges univerſi ita adſtricta, ut fato huic ipſe Deus pareat, qui etſi neceſſariæ & fatali connexioni rerum inevitabiliter ſubjectus ſit, quia tamen ſolus eſt omnis actionis cauſa, libertimus dicitur; unde mens, quæ particula Dei eſt, *libera* non eſſe non poteſt; eſt ſenſu Stoico, dum ſcilicet ſequitur impetum naturæ ſuæ, & facit, quod natura ſua evitare nequit. En egregiam Philoſophiam! SENECAM vero reipſa ad *S. Trinitatis* myſterium præter verba propius acceſſiſſe, mire ſibi & aliis imponit HUETIUS; ille enim & genitor univerſi, & incorporalis ratio & divinus ſpiritus unum idemque ſunt deaſter ſuus, mundus, natura, anima mundi, totum. Ex eodem fonte doctrina Stoica de *dæmoni-*

(*q.*) *De Nat. Deor. c. 2. p. 141.* (*r.*) SALLUSTIUS *de Diis & mundo. c. 5. p. 252. ſqq.*

monibus orta eſt, quippe qui, ejusdem cum mente humana ſortis, ex anima mundana effluxere: miſeri tamen dii, qui mortales ſunt, & in exuſtione mundi conflagrandi, & ita *in Jovem unum reducendi* (*s.*) *& in unum confundendi.* (*t.*) Et ex horum ſorte de mente humana judicandum, quam poſt jactatam divinam originem tandem mortalem faciunt; (*u.*) & quod apud quosdam videas, etſi Stoicis principiis conſentaneum, undis extinguendam; (*x.*) certe in univerſale ſeminarium reſolvendam, confundendamque. (*y.*) Unde merito ſpes illa Stoicorum de futura felicitate poſt ſuperbam jactantiam in fumum abitura deriſa fuit. En egregiam Dei imaginem, qui animas & ſe abſorbens cum revera corporeus ſit, (*z.*) & ignis ſubtiliſſimus, aliam & meliorem imaginem, qualem Chriſtiana religio docet, homini largiri nequit.

§. X.

De *corruptione* humani animi, fateor, egregia quædam monent STOICI, & mutandi ejus neceſſitatem urgent, ut furtum facile ſubolere liceat; intimius tamen ſi dicta reſpicias, non minores vel leviores errores latent. Non enim hæc corruptio in mente reſidet, ſed *in ea materiæ portione, cui immerſa eſt; inde in animam ſenſusque cupiditates irruunt, & his divina illa & cæleſtis particula mens captiva tenetur. Hæc virtute ſua divina liberanda, ſuoque aſſerenda principio, ut redeat, unde deſcendit.* Nihil recito, quod non germanis Stoicorum decretis contineatur, eorumque effatis confirmetur. Im-

(*s.*) Eleganter hoc demonſtravit THOMASIUS *de exuſt. mundi Stoica, Diſs. VII. p. 75. ſeqq.* (*t.*) SENECA *Ep. 6.* (*u.*) THOMAS. *l. c, Diſs. XV. p. 227.* conf. SENECA *Ep. 63.* MENAG. *ad Laert. L. VII. §. 147.* (*x.*) conf. *Hiſt. Philoſ. T. I. p. 1061. ſqq.* (*y.*) ANTONIN. *L. IV. §. 3.* (*z.*) Evictum hoc in *Otio Vind. Mel. II. & in Hiſt. Phil. T. I. p. 1093.*

Imprimis luculentus eſt ANTONINUS, qui de hac re ita, (*a.*) *λογικῆς καὶ νοερᾶς κινήσεως ἴδιον περιορίζειν ἑαυτὴν, καὶ μήποτε ἡττᾶσθαι μήτε αἰσθητικῆς μήτε ὁρμητικῆς κινήσεως· ζωώδεις γὰρ ἑκάτεραι, ἡ δὲ νοερὰ ἐθέλει πρωτιστεύειν καὶ μὴ κατακρατεῖσθαι ὑπ' ἐκείνων· δικαίωςγε, πέφυκε γὰρ χρηστικὴ πᾶσιν ἐκείνοις, τρίτον ἐν τῇ λογικῇ κατασκευῇ τὸ ἀναπόπτωτον καὶ ἀνεξαπάτητον. τούτων οὖν ἐχόμενον τὸ ἡγεμονικὸν εὐθεῖαν περαινέτω καὶ ἔχει τὰ ἑαυτοῦ.* *Eſt hoc motus rationalis atque intellectualis proprium, circumſcribere ſemet, nec ſenſus nec affectus motibus unquam ſuperari, animalis enim uterque eſt; vis autem intellectualis principatum ſibi vendicat, nec ab eis in ordinem redigi patitur, jure quidem, etenim intellectus natus eſt, eis omnibus uti; tertium in natura rationali eſt, lapſu & ſeductione immunem eſſe; his igitur mens adhærens, recta procedat, habetque quicquid ſuum eſt.* Paria habet & alibi. (*b.*) Clarum inde eſt, omne malum a corpore, vel anima etiam, quæ & ipſa elementaris eſt, in mentem, illam divinam ſcintillam derivari, quæ in divinis virtutis actionibus corpore non magis impeditur, quam Deus a materia non in omnibus obſequente. Luculenter SENECA (*c.*): *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus; quod eſt illi materia, id nobis corpus eſt, ſerviant itaque deteriora melioribus.* Hinc tota illa meteorologia Stoica, quæ, ſupponens, (*d.*) *omnia corporis, fluvium, animæ ſomnium & fumum, vitam militiam, & hoſpitis in peregrino moram eſſe, eo tendit, ut genium quis ſuum interim conſervet integrum, contumelia ac læſione omni immunem, voluptate ac dolore omni ſuperiorem, nihil temere aut ficte agentem, ſibi ſufficientem, porro quæcunque ſibi eveniunt, ita excipientem, tamquam inde obvenientia, unde ipſe venerit.* Quæ cum materiam a Deo independentem, eamque arti divinæ inobſequentem, adeoque ſuo modo malam ſupponant

(*a.*) *L. VII. §. 55.* (*b.*) *L. II. §. 3. 16. L. III. §. 3.* (*c.*) *Ep. 65.* (*d.*) Verbis hæc ANTONINI recitantur *L. II. §. 17.*

nant (*e.*) & in fluxis atque corporeis tantum corruptionis ſedem collocent, quam longe a vera ſapientia aberraverint, etſi verbis ſaniora profeſſi, in propatulo eſt. CYNICI deſcriptionem Epicteteam facile Chriſtianis imitatione ſurreptam fateor, ad ideam veram miniſtri J. C. formare Cynicum nego. Deus enim ille, a quo miſſus eſt, ad cujusque normam ſe & alios componit, ſummum illud bonum, quod aliis laudat, eſt in ſe ipſo, ſcilicet Deus ille Stoicus, cujus eſſentialis pars eſt animus. Ait enim: (*f.*) εἰ ἠθέλετε, εὕρετε αὐτὸ ἐν ὑμῖν ὂν οὐδ' ἂν ἔξω ἐπλάζεσθε, οὐδ' ἂν ἐζητεῖτε τὰ ἀλλότρια ὡς ἴδια, ἐπιστρέψατε αὐτοὶ ἐφ' ἑαυτοῖς. κ. τ. λ. *Si quærere velletis, inveniſſetis illud* (ſummum bonum) *in vobis exiſtens, neque foris oberraretis, neque quæreretis aliena, tanquam propria: redite itaque in vos ipſos*, &c. Hinc Cynicum ſuum vere ἀπαθῆ vult, regemque & dominum aliorum ſe venditantem. Quæ, ut a Chriſtianorum genio multum abeunt, ita longe aliud ſibi voluiſſe EPICTETUM, quam Chriſtiani, ſatis produnt. Ex his omnibus, quæ larga manu propinavi, judicium quoque fieri debet de iis, quæ de *morte* hominis, *felicitate ejus poſt hanc vitam, mundi conflagratione, & reditu* mortalium *ad vitam*, ſpecioſe adque Chriſtianorum placita convenienter dicta videntur. Spes enim illa verbis tantum jactata, & ad unum animorum in animam mundi reditum, (*g.*) corporumque in elementorum reſolutionem reducta (*h.*) timore & angore ejiciebatur, ita ut mirum non ſit, poſt ſplendidam jactantiam fluctuaſſe SENECAM, (*i.*) & ANTONINUM; (*k.*) vel iis ſe ſolatiis erexiſſe, quæ ad crucem actum furem ſolari apta ſunt, *neceſſitati eſſe parendum, exeundum, fore nos*, *quod*

(*e.*) SENECA *præf. Quæſt. nat.* (*f.*) *L. III. c. 12.* (*g.*) ANTONIN. *L. IV. §. 23.* (*h.*) *ib. L. II. §. 17.* (*i.*) *Ep. 63.* (*k.*) ANTON. *l. c.*

quod ante nativitatem ſuimus, nempe in chaos priſtinum confuſi, & quoad mentem *igni ſupremo & cœleſti*, quem DEUM, Deique ſedem ſomniabant, *juncti*. Cumque conflagratio mundi periodica ſit, & ex natura univerſi certis temporum intervallis ſemper recurſuris oriatur, cum omnia in Jovem, id eſt, in ignem illum naturalem reducantur, & ex iſto Jove omnia illa, neceſſitatis ſive fati lege ad priſtinam vitam redeant, quæ Stoicorum metempſychoſis & reſurrectio eſt, (*l.*) quis nefandos errores cum divinis de futura reſurrectione & vita doctrinis conciliabit?

§. XI.

Tantum detrahendæ *ſubdolæ STOICORUM Philoſophiæ* temporis inſumſi, ut timeam merito, Optime ZIMMERMANNE, ne vel Tua, vel lectoris patientia abutar, ſi in indicandis Philoſophiæ moralis Chriſtianorum ſapientiam imitantis dolis æque prolixus fuero. Verbo itaque moneo, eandem prorſus impietatem latere, cum *ſequi Deum, amare hominem*, & quæcunque inde officia reſultant, hoc fundamento nitantur: Omnia conſtare uno toto, cujus partes eſſentiales ſumus atque menbra, cum & animus noſter ex divina anima decerptus, & corpus ejusdem elementi particeps factum, unum cum omnibus mundum conſtituat. Hinc ille cultus præſentis Dei, qui ipſe animus eſt; hinc illæ laudes, ſibi ipſi dæmonique ſuo decantandæ; hinc illa caritas proximo tanquam civi mundi & conſanguineo ſuo exhibenda; hinc inimicorum dilectio, quippe qui & ipſi pars mundi, id eſt, DEI ſunt, qui ad univerſi integritatem pertinent, quibus neceſſitate fati & legum univerſi Dii benefaciunt, & de quorum in Jovem olim rediturorum pœnis poſt hanc vitam nihil novit Stoica

(*l.*) Conf. omn. THOMASIUS *l. c. Diſs. X. XI. p. 156. ſqq.*

ca Philoſophia. Quæ tam impia & deteſtanda ſunt, quam egregie prima facie nitent, & purioris ſapientiæ faciem ementiuntur.

§. XII.

Luculenter ita, niſi me omnia fallunt, evictum eſt, STOICOS fraudulenta prorſus ratione Chriſtianos fuiſſe imitatos, & dum externa dictione & ſententiarum accommodatione puriori doctrinæ viſi ſunt acceſſiſſe, incautis venenum propinaviſſe. Quod utinam mature animadverſum fuiſſet; ita enim Stoicorum doctrinam cum Chriſtianis placitis non toties infeliciter fuiſſet comparata, & errores Stoici varii in Eccleſiam non irrepſiſſent. (*m.*) Certe Philoſophia moralis ſanctior, ad inanes meteorologias Stoicorum non fuiſſet efficta, (*n.*) & ita virtuti Chriſtianæ damnum haud unum illatum fuiſſet. Unde tandem omnibus, de quibus dictum eſt, rationibus ſubductis patet, quanta cautione in veteris ævi rebus cognoſcendis & judicandis opus ſit; & quam accurate ad ea omnia ſit attendendum, quæ in res Chriſtianorum veterum influxum habent; & quam neceſſariis critica Philoſophiæ hiſtoria oculus ſit in hiſtoria Chriſtianorum. De quibus & aliis, quæ huc referuntur, cum Te diutius dicendo detinere nefas ſit, rivulos claudo, Teque valere jubeo.

(*m.*) Vid. *Hiſt. Phil. T. IV. p. 1016.* (*n.*) Videndus Elegantiſſimus BARBAYRACIUS libro *de Theologia morali PP.* add. *Hiſt. Phil. l. c. p. 1148.* THOMAS. *de exuſt. mundi Stoica Diſs. XXII. p. 239. ſeqq.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

V.

JAC. CHRISTOPHORI BECKII,

Hiſtor. in Acad. Baſil. Prof. P. *

Specimen Obſervationum HISTORICARUM.

Argumentum.

Aſſirii Reges, *Phul*, *Tiglath Pilleſer*, *Salmanaſſer*, *Sennacherib*, poſt *Sardanapalum* demum vixiſſe, ex rationibus Chronologicis, probantur. §. I. Removentur difficultates contra eam ſententiam ex locis 2. Reg. 17. v. 6. & 24. ortæ. §. II. & III. De *Nebucadnezare*, in *Juditha* libro memorato, fruſtra diſputatur, cum is liber, poſt Captivitatem Babylonicam demum ſcriptus, fide hiſtorica deſtituatur. §. IV. *Nimrodus* cum *Belo* idem eſt, & ab eo ad defectionem Medorum 1300. anni recte numerantur. §. V. *Ninus*

* Virum hunc Clariſſimum, nobisque amiciſſimum, poſt edita luculenta eruditionis Specimina noviſſime vocatum fuiſſe ad Cathedram Hiſtoriarum, ſupra pag. 159. jam diximus. J. G. A.

Digitized by Google

Ninus longe eſt recentior, annis forte 720. & ab eo calculum 520. annorum, quos *Herodotus* Regno Aſſyr. tribuit, ducendum eſſe conjicitur. *Cteſias* falſus eſt. §. VI. Vetuſtas Regni Aſſyr. a *Cteſia* prodita, refellitur ex Hiſtoriæ ſilentio. *Plato* rejicitur, *Nini* data ætas adſtruitur. §. VII. *FRANCORUM* nomen pluribus Germaniæ nationibus quondam commune; ejus ſignificatio', conciliatis vel rejectis aliorum opinionibus, docetur. §. VIII. Prima eorum mentio apud *Vopiſcum*, quo tamen antiquiores ſunt. Sub *Valentiniano III.* primum in Gallia ſedes fixerunt. §. IX. Coloniarum primis Seculis deductio memorabilis eſt, & religioni firmandæ proficua. §. X. Religio a multis pro fræno populi adhibita & Statui Politico nimium accommodata fuit. §. XI.

§. I.

ASſyrii Reges, *Phul*, *Tiglath Pilleſer*, *Salmanaſſer*, *Sennacherib*, quorum in ſacris Regum & Chronicorum Libris mentio fit, non poſſunt credi ante Sardanapalum & defectionem Medorum vixiſſe; neque adeo *Aſſarrhaddon*, Sennacheribi filius, pro Sardanapalo iſto haberi ſalvis Chronologiæ rationibus poteſt. Quod quidem hoc modo demonſtratur. D. *PETAVIUS* (*a.*) ex *DIODORO SICULO Lib. 2.* probat, Medos poſt defectionem ab Aſſyriis, id eſt, a Sardanapali interitu ad Aſtyagem a Cyro victum, annis 317. regnaſſe. Atqui a *Sennacheribo*, vel potius *Aſſarrhaddone*, qui patrem interfectum ſecutus eſt, quo tempore Hiskias Judæis præerat, (*b.*) ad

 Baby-

(*a.*) *Ration. Temp. P. II. L. II. c. 14.*
(*b.*) *2. Reg. XIX. 37.*

Babylonem a Cyro captam anni tantum 184. elapſi ſunt. Nam *Sennacherib* Hieroſolymam obſeſſum venit circa Hiskiæ annum 14. a qua obſidione divinitus pulſus, domumque reverſus, a filiis interfectus eſt. Inde Hiskias regnavit per años 15. nam 29. demum regni anno mortuus dicitur. (*c.*) Succeſſit Manaſſes per a. 55. Amon per a. 2. Joſias 31. Joahaſum omitto, quia tres modo menſes in regno exegit. Inde Jojakim per a. 11. Ab hoc tempore in captivitatem abierunt Judæi. quæ, ut notum, 70. annorum fuit, a *Cyro* ſoluta. Si hos annos conjungas, non invenies plures ab *Aſſarhaddonis* initio ad Babylonem a *Cyro* captam, quam 184. quibus ſi detrahas 22. años, qui præterierunt ab eo tempore, quo *Aſtyages* victus fuit, reſidui erunt 162. Atqui *Sardanapalus*, ſecundum hypotheſin noſtram, annis 317. ante *Aſtyagis* caſum periit. Ergo *Aſſarhaddon Sardanapalus* non eſt: & per conſequens, qui Reges Aſſyriorum ante illum vixerunt, dici non debent etiam ante hunc vixiſſe.

§. II.

Si hoc ita eſt, qui fieri potuit, ut Aſſyriorum iſti Reges in Medorum urbes captivos Iſraëlitas abducerent, quod diſerte dicitur 2. Reg. XVII. 6.? Viderunt hanc difficultatem plures ex Eruditis. Medi enim tum peculiarem conſtituerunt Remp., neque amplius in ditione fuerunt Aſſyriorum. (*d.*) *CHRISTIANUS SCHOTANUS* hac ratione potiſſimum ductus, omnes iſtos Reges, qui ante *Aſſarrhaddonem* memorantur vixiſſe, ante *Sardanapalum* collocat, quem cum *Aſſarrhaddone* eundem eſſe credit. (*e.*) *CHR. CELLARIUS* in Hiſt. Univerſ. valde dubitat, quid ſit ſtatuendum. Mihi nihil certius videtur ea demonſtratione, quam ſuperiori obſervatione pro-

(*c.*) *2. Reg. XVIII. 2.* (*d.*) *Biblioth. Hiſt. Sacr. Part. II.* (*e.*) *Hiſt. Ant. p. 5.*

propoſui. Quapropter non vereor affirmare, eas *urbes Mediæ*, quæ heic innuuntur, vi ab Aſſyriis domitas atque imperio ſuo adjectas, cum interim Medi tamen iis in univerſum ſubjecti non eſſent. (*f.*) Quod eo facilius credi poteſt, quia Medorum Imperium poſt hæc demum tempora ad inſigne aliquod potentiæ faſtigium pervenit. Nam etiam Ninum deinde ipſam, caput Imperii Aſſyriaci, cum omni fere imperio, ſibi ſubjecerunt. Quapropter mirum non eſt, quasdam ejus partes ab Aſſyriis nonnunquam decerptas, dum infirmum erat. Quod ſi *HERODOTO* in omnibus credendum, Chronologia docet, id tempus, quo Aſſyrii in Medorum urbes Iſraëlitas ablegarunt, incidere in ipſam Medorum Ἀναρχίαν, ſeu Αὐτονομίαν, quam Libro I. 96. memorat, (*g.*) quo tempore dubio procul infirmiores erant, ut ſunt gentes, quæ caput non habent. Sed cum *Herodoti* narratio de αὐτονομίᾳ Medorum iis difficultatibus laboret, quibus facile reſponderi non poteſt: *CTESIAM* ſequi malim hac quidem in re, quamvis in aliis multis *HERODOTI* auctoritatem præferam.

§. III.

Etiam illud ſcrupulum injicit, quod 2. Reg. XVII. 24. dicitur, Aſſyrium Regem ex *Babel*, *Cutha*, *Ava*, &c. traduxiſſe eos, qui Iſraëlitarum relictas ſedes occuparent. Verum quid ſi credamus, quos ex *Babele* abduxit iſte, fuiſſe Babylonios bello captos? quod quidem mihi certe veriſimile videtur. Namque *Nabonaſſar*, qui idem cum *Baladan* eſſe exiſtimatur, primordium regni Babylonici cepit A. P. J. 3967. quo tempore *Phul*, aut *Tiglath Pilleſer* Aſſyriis imperabat, unde ab eo anno Per. Jul. Aera Nabonaſſaris incipit, ante Chriſtum an. 747. Tum deinde *Aſſarrhaddon*, qui &

(*f.*) *Videſis Herodot. L. I. c. 102. & ſeqq.* (*g.*) *V. Uſſer. A. M. 3283.*

& *Aſſaradinus* vocatur, Aſſyriorum Rex, creditur Aſſyrium Babylonicumque regnum conjunxiſſe: quod poſtea Babylonem potiſſimum ſedem habuit. Et profecto Nebucadnezaris demum tempore Babylonicum Regnum ad ſummam amplitudinem adductum eſt, quod vel ex ſolo *Daniele* patet C. II. 37. 38.

§. IV.

Nebucadnezar ille, qui in *Juditha* Libro Apocrypho dicitur Aſſyriorum Rex, ab USSERIO ad A. M. 3356. & ſeq. *Saosduchinus* vocatur, crediturque Aſſarrhaddoni ſucceſſiſſe. In eadem ſententia eſt PETAVIUS. (*b.*) Sed mirum mihi videtur, Viros Eruditos hanc Judithæ fabulam aliquo numero habuiſſe. Non jam profero, quæ Theologi jam pridem iſtius rei cauſa demonſtrarunt. Unum iſtud nunc urgeo, Librum ſcriptum prius non fuiſſe, quam ex captivitate Babylonica Judæi redierint. Id autem patet cum aliis, tum ex ipſis ejus Scriptoris verbis, quæ exſtant Cap. V. 18. 19. ſecundum Textum græcum. Ibi *Arioch*, Amonitarum Princeps, ab Olopherne interrogatus de Judæorum ſtatu, cum plura eum edocuiſſet, addit & hoc: *Populum modo ἐκ τῆς διασπορᾶς, in quam bello capti, poſt dirutum templum & urbes ab hoſtibus ſubactas, conceſſerunt, rediiſſe.* Quid clarius dici poſſet? Si autem Liber poſt reditum ex captivitate ſcriptus, ubi inveniemus *Nebucadnezarem* Aſſyriorum Regem, aut *Arphaxadum*, id eſt, Dejocem, ut ait USSERIUS, huic coævum? qui propemodum CL. annis ante captivitatem Babylonicam ſolutam vixit. Immo quid opus, ut hos quæramus? Non mereri videtur omnis hæc fabula, ut perſonas ejus, quaſi veras, in hiſtoriarum Monumentis inveſtigemus.

§. V.

Non difficilis ero in admittenda ſententia eorum, qui NIMRODUM à profanis Scriptoribus *Beli* nomine

(*b.*) *Rat. T. L.* 2. *c.* 6.

mine deſignari cenſent. Rationes ejus rei non ſunt contemnendæ, quæ apud *C. S. SCHURTZFLEISCHIUM* in Diſs. *de Primordiis Aſſyrio-Chaldæorum*, *§. 18.* &c. videri poſſunt. Addo etiam iſtud, mihi videri, annos illos 1300. qui a principio iſtius Imperii ad Medorum defectionem ponuntur, inde a Nimrodo vel Belo eſſe numerandos. Quod ſic demonſtro. Vixit Nimrodus circa A. M. 1809. Medi defecere circa A. M. 3108. Interea anni 1299. ſunt elapſi. Quantum huic ſummæ deeſt, ad numerum 1300. complendum ?

§. VI.

Nimrodo ſeu Belo non ſucceſſit immediate NINUS. Nam aut falſa ſunt pleraque omnia, quæ de eo in hiſtoriis traduntur, aut longe eſt recentior, quam ut Belo ſubjungi ſtatim poſſit. Prius non ita facile conceſſerim. Quamvis enim non credam, in iſta antiquitate nihil tradi fabuloſe; nolim tamen omnem plane fidem Scriptoribus illis vetuſtiſſimis abrogare. (*i.*) Malim igirur HERODOTO aſſentire, qui 520. annos Aſſyriorum Imperio usque ad Medorum defectionem tribuit. Quid ſi ſtatuamus, ejus temporis primordium ab *Nino* capiendum ? hoc eſt A. M. 2589. ante Chr. 1394. poſt *Beli* exceſſum, qui *EUSEBIO* dicitur LX. annis regnaſſe, anno DCCXX. ? Ita aliquo modo cum *Herodoto*, cui aſſentire videtur etiam *APPIANUS ALEXANDRINUS* in principio Hiſtoriæ, conciliarentur ceteri Scriptores: Neque opus erat profecto, ut CTESIAS GNIDIUS, antiquitatem Nini tantam confirmaturus, tot Regum a Ninya ad Sardanapalum ſeriem excogitaret. Poterat enim paucioribus eſſe contentus, iis nimirum, quos 520. anni à Nino ad Medorum defectionem caperent. Venit mihi nonnunquam in mentem, CTESIÆ accidiſſe id, quod

(*i.*) *L. I. c. 95.*

rerum Ægyptiacarum Scriptoribus in Dynaſtiis iſtis quatuor, quæ eodem tempore in Ægypto floruerunt. Credebant enim Veteres, has ſeſe invicem excepiſſe, regesque illarum una ſerie continua collocandos. Quos ſecutus JOSEPHUS SCALIGER in Can. Iſag. L. II. cauſam dedit D. PETAVIO, quidquid de iſtis Dynaſtiis proditur, in fabulis ponendi. MARSHAMUS vero in *Can. Chron.* iſtud optime expedivit, & immenſam illam Ægyptiorum antiquitatem exploſit, ab uno *Mene* docens, IV. diverſis in locis dynaſtias eodem tempore exortas. Forte etiam CTESIAS reges, qui uno tempore regnarunt in diverſis Orientis partibus, ſibi ſucceſſiſſe exiſtimavit, ſeu antiquitatis ſtudio ſeu errore ductus. Sed hæc altioris ſunt indaginis, & otii melioris.

§. VII.

Qui reliqua argumenta videre cupit, quibus CTESIÆ de vetuſtate Aſſyriaci Imperii convellitur figmentum, ad *Chr. CELLARII*, V. C. *Diſſertationem de Principio Regnorum & Rerump.* adeat. Ego præcipue huic rationi confido, quam mihi ſuppeditat vetuſtiſſimorum Scriptorum, qui hujus Imperii poterant & debebant injicere mentionem, ſi tam vetuſtum ſimulque tam amplum fuiſſet, ſilentium. Quomodo nec Moſes, ut a Sacris Scriptoribus initium capiam, nec Scriptores Librorum Joſuæ & Judicum per tot ſecula, quibus jam dudum florebant Aſſyriorum res ſecundum *Cteſiam*, ne verbo quidem earum meminerunt? Unica mihi in mentem venit ignavia & ἀπραξία iſtorum Regum, qui a *Ninya* ad *Sardanapalum* imperaſſe dicuntur. Hæc fortaſſis in cauſa fuit, cur non valde ſe jactarent, neque multum rebus tum geſtis intereſſent. Sed cur non Regum modo, ſed nec Imperii Aſſyriorum exſtat veſtigium? Sic quoque HOMERUS dici non poteſt, cur in enumeratione

tot

tot gentium, qui ad Trojam vel delendam vel tutandam ex omni propemodum terrarum Orbe confluxerunt, Aſſyrios omittat, ſi tum aliquo numero fuerunt. Certius nihil eſt, quam circa ea tempora, quibus Trojanum bellum eſt geſtum, nondum apud Græcos innotuiſſe Aſſyriorum Imperium, etſi plus CC. annis ante initium habuerit. Quam ob cauſam miror, *L. 3. de Leg.* *PLATONEM*, qui Artaxerxis Longimani ætate floruit, aſſerere, Trojanos πιςευοντας τῆ τῶν Ἀσσυρίων δυναμει τῆ περὶ Νίνου γενομένη bellum confidentius geſſiſſe cum Græcis. Quid enim eſt Ἀσσυρίων δύναμις ἡ περὶ Νίνου γενομένη aliud, quam, *Aſſyriorum potentia, qua Ninus tum temporis pollebat?* Atqui PETAVIUS demonſtrat, Excidium Trojanum incidiſſe in A. P. J. 3530. qui eſt A. M. 2800. Certum autem eſt, A. M. 2589. primordia Nini collocanda eſſe, quod ſic probatum erit. Medorum Imperio finem attulit Cyrus A. P. J. 4155. id eſt, A. M. 3425. deme his annos 317. quibus illud Imperium ſtetit, habebis A. 3108. quo Medi ab Aſſyriis defecere; Deme rurſus 520. quos Aſſyriis HERODOTUS tribuit; habebis A. M. 2588. Ergo Ninus A. M. 2589. recto collocatur. Q. E. D.

§. VIII.

Multum apud eruditos diſputatur de Origine nominis gentisque *FRANCORUM.* Ego de hac re ſic ſentio. *Francorum* nomen habuerunt plures Germanorum Nationes, quæ trans Rhenum, in finibus Batavorum, ad Oceanum, Rhenum inter & Viſurgim, incolebant. Patet hoc cum ex eo, quod apud fide dignos Scriptores ex vetuſtioribus nihil de iſtius gentis adventu in hæc loca inveniatur: tum & inde, quod iſtarum Nationum nomina vetuſta etiam tum apud Auctores commemorentur, cum jam longe lateque invaluiſſet *Francorum* appellatio. Sic *JULIA-*

NUS

NUS Imperator, qui *Apoſtata* ob defectionem a Chriſtianis ad Ethnicorum ſacra dicitur, in Oratione ad Senatum populumque Athenienſem commemorat, *ſeſe Salios Chamavosque viciſſe.* Sic *AMM. MARCELLINUS* de ipſo Juliano ait: *Francos eos, quos conſuetudo Salios appellavit, auſos apud Toxiandriam in Romano ſolo habitacula figere, in deditionem accepit: Chamavos itidem auſos ſimilia adortus, eadem celeritate partim cecidit, partim cepit.* Idem alio loco aſſerit: Julianum *Francos, quos Attuarios vocant, viciſſe.* *ZOSIMUS* L. III. C. 6. etiam *Saliorum* gentis meminit, quam dicit Φράγκων ἀπόμοιρον, *partem Francorum.* Alibi adduntur & *Bructeri*, aliique. Iſtæ gentes commune habuerunt *Francorum* nomen, quod *liberos* denotat. Appellationi fortaſſis non Libertas ſolum cauſam dedit, verum & uſus ejus ad licentiam projectus. Exercebant enim communiter latrocinia, atque enim piraticam, quatenus mari adjacebant. Ita concidunt omnes aliorum conjecturæ. Non enim opus eſt, ut peculiarem manum Trojanorum in has regiones duce *Francione* delatam credamus. Quid ſtultius, quam omnium prope Gentium Occidentalium originem a famoſo iſto Trojæ excidio repetere? Et unde Trojanis tantæ civium copiæ, ut in tot regiones, tam longinquas, decenni bello attriti, colonorum tantum numerum mitterent? Abſurdius multo *SIGEBERTI GEMBL.* aſſertum, *Francos* Attica ſeu Græca lingua dictos, quaſi *feroces.* Hæc enim vox Græca non eſt, ſed Germanica, ut notum. Tranſeuntibus autem in Galliam iſtis nationibus, & ibi frequentatum eſt, ut *franc* pro libero dicatur: quod hodieque uſitatum vocabuli genus eſt, cum derivatis ſuis. Quod ſi hæc ita ſunt, concidit etiam illud, quod ex veteri Chronographia *VALESIUS Notit. Gall. p. 209.* profert, *Francos* vocatos eſſe ab immunitate à tributis, quam iis Valentinianus I. conceſſerit, quamque ipſi poſteà dimittere noluerint. Nam hoc nominis diu ante in uſu fuiſſe conſtat.

§. IX.

Invenio autem primam *Francorum* mentionem apud *VOPISCUM* in *Aureliano*, (*k.*) quo loco ſcribit, hunc, cum eſſet *Tribunus Legionis VI. Francos per Galliam prædandi cauſa vagantes apud Moguntiacum cecidiſſe*, hincque ortam eſſe cantilenam militarem : *Mille Francos, mille Sarmatas &c. mille Perſas quærimus.* Ex hac narratione licet colligere, ſatis diu ante Aurelianum Imperatorem *Francorum* nomen celebre fuiſſe. Nam heic non commemoratur, ut novum & recens ortum. Non videtur tamen Julii Cæſaris ætatem attingere : Apud hunc nullum ejus veſtigium. Fuit tamen Aurelianus Tribunus militum, Gordiani vel etiam Alexandri Severi temporibus, (*l.*) Nam ſub Valeriano jam dux exercituum, etiam Vicarius datus Ulpio Crinito in Thracia, demumque Conſul. Eo igitur jam tempore in Gallias tranſire tentabant, ſed clade accepta ſedes ſuas repetierunt. Incurſionibus ſæpe repetitis, non potuerunt tamen conſtantes in ea ſedes figere, usque ad Valentini III. tempora, quibus multæ calamitates premere cœperunt Occidentis Imperium. Id accidit circa a. C. 428. quo tempore *Clodio*, Pharamundi ſucceſſor, barbaræ genti imperitabat. Hic per Galliam Belgicam ingreſſus Tornacum, Cameracum, &c. ſibi ſubjecit, ſedemque regni iis in locis cepit. Sunt, qui tradant, (*m.*) *Aetium*, Valentiniani exercituum Ducem, cum hoc congreſſum non viciſſe modo, ſed & Gallia eum expuliſſe. Sed cum ſcriptorum verba conſidero, non video, qua ratione aliud ex iis colligatur, quam *Francos* victos ab Aetio & in fœdus receptos, ceterum in iis locis relictos. Verba *IDATII* in Chron. ad A. 2448. ſunt hæc : *Superatis per Aetium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius Comes Legatus mittitur ad Suevos &c.* Quid clarius eſſe poterat ? Nec *PROSPER AQUITANUS*,

(*k.*) *Vopiſc. Aur. c. III.* (*l.*) *Vide Vopiſc. Aurel.*

NUS, cum ait: *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupaverant, Aetii Comitis armis recepta;* aliter eſt accipiendus. Nam fœdere junctis Francis, qui antea hoſtes fuerant, dici poteſt, eam Provinciam, quam ſibi ſubjecerant, ab Romanis receptam, licet illi eam retinerent. *GREGORIUS TURONENSIS* unica mutata littera *Clogionem* iſtum Regem appellat, quem ſcribit *miſſis exploratoribus ad urbem Camaracum, perluſtrata omnia ſecutum, Romanos protriviſſe, civitatem apprehendiſſe: in qua*, inquit, *paucum tempus reſidens usque Suminam* (al. Summam, *la Somme*,) *fluvium occupavit.* Ceterum de eo rurſus expulſo verbum nullum addit, quod indicio haud obſcuro eſt, GREGORIUM exiſtimaſſe idem, quod nos aſſeruimus; ab eo ſcilicet tempore in Gallia ſubſtitiſſe *Francos.* Et ſane non contemnenda eſt ea pars Galliæ a Rheno ad Somonam, cui Fumini *Ambianum* adjacet. Sed ſub *Meroveo* demum Francorum res ita invaluit, ut paullatim Galliam omnem pervaderet, & ex tempore illo ad *Pipinum* perpetuos ex hac ſtirpe Reges haberet. Ab hoc enim Carolingorum progenies, quæ in *Ludovico* V. deſiit, exorta eſt.

§. X.

In vetuſtiorum temporum Hiſtoria valde memorabilis haberi debet COLONIARUM deductio. Hæc enim non modo primas ſingularum gentium Origines docet; verum & confirmat id, quod ſacri Scriptores tradunt: Omnes nimirum, qui nunc per terrarum Orbem ſunt, populos ab una ſtirpe deductos eſſe; ſeu, ut Apoſtoli verbis utar: (*n.*) *Deum effeciſſe, ut ex uno ſanguine orta hominum natio omnes terras occuparet, præfinitis temporibus & habitationum finibus.* Obſervamus non obſcure, genus humanum in Oriente

(*m.*) *C. Sigon. de Imp. Occid. Lib. XII. p. 196. Le Sueur ad An. 428.* (*n.*) *Act. XVII. 26.*

te prius viguiſſe; inde nonnullas ejus partes vel nimia ſua multitudine, quam nec habitationum anguſtia caperet, nec terra aleret, vel calamitate aliqua compulſas, ſedes alias quæſiviſſe. Occuparunt autem hi coloni primum eas terrarum regiones, quæ non modo propinquiores ſuæ patriæ erant, verum & in quas ex hac pedeſtri itinere poterant tranſire. Ita Ægyptum, ita Aſiam Superiorem, ita Aſiæ Minoris mediterranea, vetuſtiſſima ætate habitata ſcimus. Tum deinde navibus etiam maria tranſire cœperunt. Ita Occidentis hujus noſtri pleræque partes accepere ſuos incolas. Quod ad Americam attinet, non puto, certi quid de earum gentium Origine tradi poſſe. Idque mirum non eſt, cum in iis non exſtiterint, qui res vetuſtis temporibus geſtas tradiderint. Potuere tamen variis modis eas regiones occupare, tranſitu ex Aſia ſive terra, ſive glacie, quæ iis locis mare tegit, ſive denique navibus facto. Cæterum, quæ regiones interventu navigationis colonos accepere, eæ primum in maritimis cultæ ſunt: tum deinde paulatim interiora adiri cœpta. Qua in re etiam iſtud memoratu digniſſimum eſt, hanc Orbis amplitudinem breviſſimo temporis ſpatio, in omnibus propemodum locis, hominibus completam. Quod ſingulari Dei providentia factum eſt. Nam is cum propter alias cauſas, tum propter hanc inprimis, tam longum conceſſit priſcis hominibus vigorem, ut genus eo magis propagaretur. Et obſervamus, veteres prolis longe fuiſſe cupidiores, etiamque plerumque numeroſiorem generaſſe, quam hodie fieri ſolet. Unde iis temporibus toties migratione opus erat; cum nunc a compluribus ſæculis æqualis propemodum naſcentium morientiumque numerus ſit, qui ſi maxime uno alterove anno in hanc vel illam partem augeatur, ſequentibus tamen temporibus ad æqualitatem redit. Hæc cum ita ſint, haud dubito aſſerere: quemadmo-

admodum recentior Hiſtoria ad prudentiam civilem multum confert, ita vetuſtiorem præcipue ad confirmationem Religionis veræ, cognoſcendamque Dei O. M. Providentiam, ſingula ſapientiſſime temporibus dividentem, multo plus prodeſſe.

§. XI.

RELIGIO; ut & hoc addam, quod obſervarunt multi, ſed non eo modo acceperunt, quo jus faſque erat; Religio, inquam, multis mortalium eum in finem adhibita eſt, ut populum ferocem in officio contineret. Sic notum eſt, quod de *Numæ* cum Ægeria Nympha congreſſibus & inſtitutis religioſis traditur. Hic omnium primum *rem ad multitudinem imperitam, & illis ſæculis rudem, efficaciſſimam, Deorum metum injiciendum ratus eſt*: ut *LIVIUS Lib. 1. Hiſt.* docet. Inſtitutis deinde ſuis auctoritatem facta Ægeriæ religione conciliavit. Idem feciſſe conſtat aliarum gentium Legislatores. Quid non deinde Romæ auſpiciorum aliarumque cæremoniatum prætextu factum eſt? Sed numquid ideo pro *Invento Politicorum* habenda eſt Religio? id eſt, numquid credendum, a Principibus gentium excogitatam eſſe; quemadmodum & alia excogitarunt, quibus ſibi ſubjectorum animos compeſcerent, ejusmodi ſunt omnia illa, quæ ad reverentiam atque metum imperantium injiciendum valent? Non puto certe. Nam qui potuiſſent illi mortalium animis Deorum injicere metum, niſi jam ante perſuaſi fuiſſent iſti ipſi mortales, DEOS eſſe, eosque rerum humanarum conſcios, & præmiis affecturos, quæ bene, pœnis, quæ male geſta eſſent? Oportet primo alte mentibus infixam fuiſſe hanc veritatem, de Ente ſummo, quod rebus omnibus præeſſet. Ita hi homines nihil aliud egerunt, quam ut hanc de Deo opinionem eo converterent, quo ipſorum commodum atque Reipublicæ ſalus

ſalus poſtulabat. Huc pertinet, quod apud Norvvegos olim, quibus belli gloria in pretio erat, hæc invaluit opinio, ut crederent, eos qui in prælio caderent, poſt mortem in *Odini*, qui pro Deo apud ipſos habebatur, & bello, ut apud alias gentes Mars, præerat, tranſituros (*s.*) palatium, ibique ex craniis hoſtium ſuorum potaturos eſſe vinum; cum e contra, qui domi otioſi deſidentes vel morbo vel ſenio conſumerentur, detrudantur in neſcio quæ baratra, vel loca ſub terram depreſſa, ubi anguium aliorumve inſectorum vi miſere divexentur. Poſſent & alia, eaque recentiora etiam, exempla afferri, quæ doceant, perſuaſionem iſtam, quæ de Numine aliquo mentibus inhæſit, adhibitam ſæpe eſſe ad homines in officio continendos, aut ad bellicam fortitudinem excitandos. Sed ea nota ſunt.

(*s.*) *Vid. W. Temple Miſc. part. II. p. 232.*

VI.

SAMUELIS KOENIGII,

Prof. P. Extraord. Bernenſis,

MEDITATIONES

DE

Myſterio Vaticiniorum

JESAJÆ & MICHÆ

Citatorum Matthæi Cap. I. & II.

De

Nativitate D. N. J. Chriſti.

Argumentum.

§. I. Citatio Matthæi I. 22, 23. ex *Jeſaj. VII. 14.* §. II. Vindiciæ ejus adverſus Abarbanelem. §. III. Speciatim ex occaſione Vaticinii Jeſajæ. §. IV. Per *Signum* Ahaſo promiſſum intelligendum miraculum ſtupendum. §. V. VI. Per עלמה neceſſario intelligenda *virgo intacta.* §. VII. Senſus loci *Prov. XXX. 19, 20.* §. VIII. Etymon vocis. §. IX. Concluſio. §. X. Reſponſio ad Objectiones. XI. Collatio verſuum ſeqq. §. XII. Rejectio Jeſu Chriſti a Judæis, probat, eum eſſe Meſſiam. §. XIII. XIV. Vindiciæ vaticinii *Jeſaj. IX. 6, 7.* a Judæorum detorſione. §. XV. Allocutio ad Judæos. §. XVI. Altera citatio Matthæi II. 5, 6. ex *Mich. V. 1.* ejusque vindiciæ. §. XVII. Senſus verſus ſequentis *Mich. V. 2.* §. XVIII. Meditationes practicæ.

§. I. Poſt.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

§. I.

POſtquam S. Matthæus nobis expoſuiſſet nuncium Angelicum de Maria Spiritu Sancto imprægnata, & paritura filium, vocandum nomine JESU; addita ratione: *Ipſe enim ſervabit populum ſuum a peccatis ſuis.* Continuo ſubjungit: *Totum vero hoc factum eſt, ut impleretur, quod dictum eſt ab ipſo Domino per prophetam, dicentem: Ecce Virgo utero concipiet, parietque filium, vocabuntque nomen ejus EMMANUEL, quod eſt interpretatione redditum, Nobiſcum eſt Deus.* Sive hæc ſint verba Angeli Joſepho loquentis, ſive ipſius Evangeliſtæ, perinde eſt. Certum ſaltem eſt, reſpici ad vaticinium JESAJÆ c. 7: 14. *Propterea dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo gravida eſt, paritque filium, vocabitque nomen ejus IMMANUEL.* Adſis mihi, Domine Jeſu, ad hoc tam illuſtre dictum nonnulla commentaturo!

§. II.

Taxat ABARBANEL (ea eſt enim ejus impudentia) Evangeliſtam noſtrum, quod hoc illuſtre dictum ad conceptionem MARIÆ Virginis, & nativitatem JESU Chriſti ex ea, retulerit, vultque intelligendum de alia Virgine vel juvencula de domo Ahaſi Regis, quæ tunc filium quendam, *Immanuel* dictum, modo naturæ ſueto in lucem ediderit. Ad quod reſpondeo: ſi hiſtoria de Maria Virgine, ex Spiritu S. gravida, filiumque Jeſum enixa, vera eſt, procul dubio de ea exaudiendum eſt dictum Jeſajæ. Atqui nobis plena fides facta eſt, hanc hiſtoriam veriſſimam eſſe; Ergo de ea hoc dictum exaudiendum. Quod vero Abarbanel cum ceteris verpulis, ſcotomate Sodomitarum percuſſis, hiſtoriæ Matthæi fidem derogat, id fidem Dei non tollit. Τί γὰρ, εἰ ἠπίστησάν τινες;

Μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει. Rom. 3: 3. Nam neque rex Achas verbis Jeſajæ fidem præbuit. Hinc Propheta ad eum: אם לא תאמינו כי לא תאמנו: *Si non credideritis, ideo firmi non eritis.* v. 9. Ea ſcil. eſt durities cordis Judæorum. c. 6: 10. Mendaciis futiliſſimis, qualia plurima ſunt in infami libro *Toldos Jeſu*, fidem adhibet Judæus, quia contra Chriſtum effutiuntur; ſed veritati cœleſti fidem denegat cor ejus incircumciſum. Tanta ſcil. eſt eorum a vero Deo, h. e. a JEHOVA JUSTITIA NOSTRA, averſio. Veniet vero tempus, quo *revertentur ad eum, requirentque Jehovam Deum ſuum, & Davidem regem ſuum, pavebuntque ad Jehovam & ad bonitatem ejus, ultimis diebus.* HOS. 3: 5. Quam felicitatem ipſis minime invidemus, potius vovemus, atque exoptamus.

§. III.

Sed ne eminus tantum, & non σταδὴν, cum Judæo pugnaſſe videamur, euge, propius ad verba JESAJÆ accedamus. Hieroſolyma dura obſidione preſſa a Rege Syriæ & Iſraelis, qui de exſtirpanda familia Davidica & conſtituendo alio rege ſtolida agitaverant conſilia, trepidavit Achaſus cum civibus ſuis. Animum vero ei addit ſacer vates Jeſajas, edicens, conſilium horum regum irritum fore, ipſis potius imminere excidium. Impius vero Achaſus tantum abfuit ut hiſce verbis fidem adhiberet, fiduciamque in Deo Iſraelis collocaret, ut potius legatos cum muneribus ad Regem Aſſyriæ miſerit, opem ab eo contra hoſtes ſuos poſcens. Vide 2. Reg. 16: 7, 8. Quare, quæ eſt divina bonitas, novo eum oraculo Deus per Jeſajam dignatur, dicentem: *Pete tibi ſignum a Jehova Deo tuo, ſive deſcendendo in profundum, ſive aſcendendo in ſublime.* h. c. v. 11. Recuſante vero & hoc impio Ahaſo, dixit ei Propheta nomine Domini: *Quare dabit Jehova ipſe vobis ſignum* &c.

§. IV. Li-

§. IV.

Liquet hinc, per SIGNUM אות hic intelligendum eſſe *miraculum*, ſive portentum, vel prodigium aliquod ſtupendum, vireſque naturæ quam maxime excedens, non vero ſignum aliquod naturale vel artificiale. Ob haſce rationes, 1. quia ad confirmandam promiſſi divini fidem edendum erat, qualia & ſunt ſigna & prodigia per Moſen edita, ad confirmandam fidem miſſionis ſuæ divinæ. 2. Quia optio data fuit Achaſo poſcendi ſignum *vel cœleſte*, *vel ſubterreſtre*, quare hic de ſigno vulgari cogitandum non eſt. 3. Quia in textu dicitur: *Ipſe JEHOVA daturus eſt vobis ſignum*. Quando vero potentiſſimum Dei brachium ſe exerit ad ſigna edenda, certe nil humile neque vulgare edit, ſed prodigia & miracula maxima, qualia ſunt, quæ per Moſen & Chriſtum edidit. Quæ cum occæcati Judæi negare non poſſent, maluerunt ea, per blaſphemiam abominandam, principi diabolorum adſcribere. Quare prolixus ille diſcurſus ABARBANELIS fruſtraneus eſt, quo vult, ſignum etiam vulgare & naturale hic intelligi poſſe, de adoleſcentula quadam a viro imprægnata, & Immanuelem enitente. Quare tu Abarbanel הבל תפצה פיך בבלי דעת מלין תכבר׃ ex Jobi c. 35: 16. Et verba tua ſunt דברי תעתעים meræ fallaciæ atque errores, non vero explicatio Chriſtianorum, uti tu cavillaris.

§. V.

Pergit vero ineptire noſter ABARBANEL, textuique vim inferre, aſſerens, per עלמה non neceſſario intelligendam eſſe VIRGINEM *innuptam, a viro non tactam*, ſed adoleſcentulam, etiam viro nuptam. At vero, mi homuncio, qualis adoleſcentula erat Rebecca, antequam Iſaaco nupſiſſet, quæ tamen עלמה dicitur, Gen. 24: 43. ut & נערה *puella*, nec non בתולה ואיש לא ידעה *virgo virum nunquam paſſa*. v. 16.

Porro qualis erat Mirjam, matrem Moſis ad filiam Pharaonis vocans? Exod. 2: 8. Eratne a viro tacta, nec ne? עלמה enim ibi dicitur.

§. VI.

Sed dicis: dantur forte alia loca, ubi vox עלמה ſignificat adoleſcentulam nuptam, a viro tactam. Reſpondeo: 1. Poſito, ſed minime conceſſo, dari talem aliquem locum, (præter *unum* enim non habes;) tamen in hoc dicto prophetico, ubi ipſe *JEHOVA ſignum ſe editurum* promittit fulciendæ fidei noſtræ, non poteſt non intelligi virgo caſta, innupta, intacta, quæ proinde ſi concipit & parit, extraordinaria virtute Spiritus ſancti concepiſſe atque peperiſſe dicenda eſt. Atque hoc ipſum eſt magnum illud SIGNUM, quod hic Jehova a ſe edendum promittit. Quid, mi homo? ἄπιστον κρίνεται παρὰ σοι, *MESSIAM ex Virgine caſta naſci*, Meſſiam peccata noſtra delentem atque auferentem? Num impurus tollet peccata impurorum, quales ſunt omnes, quotquot ex muliere via ordinaria nati ſunt. Job. 14: 1, 4. Sed vos miſeri antiquam Patrum fidem plane dedidiciſtis, & tam exiliter atque tenuiter de MESSIA ſapitis, ut nil niſi liberationem a jugo gentium & reductionem in Cananitidem ab eo ſperetis. Cetera Meſſiæ beneficia negatis, vel adeo atteritis, ut vix Moſi par eſſe, nedum ultra Moſen eminere queat. Maxime vero juſtitiam illam æternam a Meſſia afferendam, quam cum vix ac ne vix quidem pauciſſimi inter vos admittant, mirum non eſt, vos eum in ordinem peccatorum, & impurorum, ex impuris genitorum, detrudere.

§. VII.

Sed 2. Quisnam eſt ille locus, ubi עלמה ſignificat *puellam nuptam, virum paſſam?* provocas ad locum PROV. 30: 19. Ubi inter quatuor illa, Aguris cognitio-

gnitionem ſuperantia, recenſetur דרך גבר בעלמה *via viri in ADOLESCENTULA.* Sed quid magis adoleſcentibus cognitum, quam via ſive ratio puellas ad amores, quin ad coitum pelliciendi, & cum iis coëundi? Quis adoleſcentum hæc ignorat? Sed via & ratio, qua VIRGO Caſta, innupta, a Viro non tacta, tamen VIRUM, maximum Virum, ipſum Dei Filium, de quo Agur h. c. v. 4. enititur, ea, inquam, mentes, naturæque vires ſuperat omnes. Atque hoc volebat Agur. Vides igitur, quam miſere te tuosque decipias. Sed quid ſunt reliqua tria adeo ſublimia, ut Aguris ſcientiam ſuperent? *Via aquilæ in Cœlo*, eſt Via Chriſti & ſanctorum, quorum πολίτευμα in cœlis eſt, & non niſi cœleſtia ſapiunt. Phil. 3: 20. Col. 3: 1. *Via ſerpentis rupem ſcandentis*, ſunt viæ diaboli, Chriſtum & ſancta ejus membra tentantis. *Via denique navis mare ſulcantis*, eſt patientia Eccleſiæ, in maximis afflictionibus Chriſto ſuo adhæreſcentis, & ſic feliciter ex miſeriarum pelago ad vitam æternam emergentis. Hæc tria nemo ſatis novit, niſi Spiritus Chriſti; experiuntur autem ex parte, qui a Spiritu Chriſti edocti ſunt. Tu vero, qui non niſi de rebus naturalibus hic agi cogitas, quæ dixi, difficulter digeres, licet ſint certiſſima; Via vero aquilæ in Cœlo, ſerpentis in rupe, navisque in mari, cognitionem humanam minime excedit. Sed oggannis: v. 20. additur, de *Via adulteræ* &c. Ergo עלמה non eſt virgo caſta & innupta. Reſp. Nihil dicis. *Adultera* illa, ſive per eam adulteram ſenſu communi, ſive ſenſu myſtico intelligas, vult videri עלמה *virgo caſta*, additur enim: *Illa edit, abſtergitque os ſuum, dicitque nil iniqui feci.* Sed עלמה v. 19. & in textu Jeſajæ, vere *Virgo* eſt.

§. VIII.

Confirmat hoc ipſum Etymon vocis עלמה deſcendit enim a Rad. עלם *texit, occultavit.* Ergo עלמה

eſt *adoleſcentula* domi *tecta*, velo velata, a viro non agnita, cujusque vulva a viro retecta non eſt, adeoque quæ vere Virgo eſt, vere בתולה.

§. IX.

Prævidit ergo Propheta in Spiritu S. Virginem parituram, & Meſſiam ipſum in lucem emiſſuram. Nonne hoc maximum ſignum eſt, vereque παρακλητικὸν, ſive conſolatorium?

§. X.

Objicis. Sed agebatur hic de ſigno ad conſolandum *Achaſum* Hieroſolymis obſeſſum, vel mox obſidendum. Quomodo vero nativitas Meſſiæ poſt tot ſecula naſcituri ſigni vice poterat eſſe Achaſo?

Reſpondeo. 1. Conſultabant inter ſe Rex Syriæ & Iſraelis de extirpanda domo Davidica, regnoque ad peregrinum deferendo. Sed ne expaveſce, Achaſe, conſilium hoc irritum eſt; etenim ex familia Davidica naſcetur Immanuel, Deus nobiſcum, non vero ex peregrinis, neque ex Syris, neque ex Iſraelitis. Ergo illi regnum Davidicum non occupabunt, neque ſedem regni, Hieroſolymam.

2. Præterea promiſſio Meſſiæ venturi tanti eſt momenti, ut vel in anteceſſum ſalutem & libetationem conferat credentibus. Quin fide in Meſſiam venturum ſervati ſunt, quotquot ſervati ſunt. Quod ſi ea fides Hieroſolymæ, & in ipſa domo regia firmas egiſſet radices, nunquam tantum paſſa eſſet excidium, quale per Chaldæos paſſa eſt. Sed eheu! *Fides perierat*, Jer. 7:28. ejusque loco ſuccreverat fiducia in vicinos Reges, eorumque deaſtros. Quare duriter caſtiganda erat. Quia tamen reliquiæ ſeminis ſancti (c. 1:9.) inter eos erant, urbs debebat reſtaurari, & ad adventum usque Meſſiæ conſervari. Hinc Propheta: *Antequam ſciat puer aliquis reprobare malum & eligere*

eligere bonum, deſeretur terra, quam tu faſtidis, a duobus hiſce regibus. Sed tamen adducet Jehova ſuper te, ſuper populum tuum domumque paternam, dies, quales non venerunt, ex quo Ephraim a Juda ſeceſſit, ſcil. Regem Aſſyriæ. v. 16, 17. adde v. 18, 19.

§. XI.

Objicis porro. Ex Textu Jeſajæ colligere eſt, puerum Immanuelem natum eſſe tempore ipſius Achaſi, nam v. 15. & 16. dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Nam antequam puer ſciat reprobare malum, & eligere bonum, deſeretur terra, quam tu faſtidis, a duobus Regibus hiſce.*

Reſp. 1. Debebat omnino puer Immanuel butyro & melle veſci in terra patria, Deus enim Judæos ex Babylonia reduces, propter ipſum Meſſiam amplis cumulaturus erat benedictionibus. Docet hoc ipſe Propheta v. 21, 22. *Eritque eo die*, (quo ſcil. Judæi ex Babylonia reduces in terra ſua agebant, Meſſiamque mox venturum exſpectare caſtigati didicerant;) *alet quis vitulam, duasque oviculas, & præ lactis copia comedet butyrum. Quin butyrum & mel comedet omnis reſiduus in terra.*

2. Nego vero, voce נער indigitari PUERUM IMMANUELEM. Ea enim vox, deſcendens a Rad. נער *excuſſit*, ſignificat puerum, jugum præceptorum & diſciplinæ paternæ excutientem, h. e. peccato originis infectum. Hinc ipſe Deus: *Figmentum,* inquit, *cordis humani malum eſt* מנעריו *a pueritia.* Gen. 8: 21. Neque unquam vox נער de Meſſia prædicatur, uti quidem בן filius, ילד natus, adoleſcens. Jeſ. 9: 5. חטר virga, נצר ſurculus. c. 11: 1. Quare v. 16. ſic reddo: *Nam antequam ſciat puer aliquis ſpernere malum, & eligere bonum, deſeretur terra, cujus te jam tenet faſtidium, a duobus Regibus ſuis.*

§. XII.

Potuiſſet igitur atque debuiſſet Achaſus dulciſſimis hiſce conſolationibus in ſpem ſe & fiduciam erigere. Sed hoc ab incredulo Achaſo erat quam alieniſſimum. Quin ab omnibus retro ſeculis verba Dei vivi minus fuere à Judæis credita, atque verba hominis vel Regis alicujus. Hinc non mirum, Meſſiam ipſum præſentem ab iis minime agnitum ſed rejectum fuiſſe, juxta teſtimonium Pſalmi 118 : 22. *Lapis, quem reprobarunt ædificantes, factus eſt caput anguli.* Quare optime ſe habet Syllogiſmus, qui ſic concludit:

MESSIAS a Judæis rejectus, eſt verus Meſſias.
Atqui Jeſus Chriſtus eſt a Judæis rejectus,
Ergo eſt verus Meſſias.

Et e contrario:

MESSIAS a Judæis agnitus eſt pſeudo-Meſſias.
Atqui Barcocba, Moſes Cretenſis, Sabbatai Sevi, fuere Meſſiæ a Judæis agniti;
Ergo ſunt pſeudo-Meſſiæ.

Certe ſic ipſe Chriſtus Dominus arguit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me, quod ſi alius venerit in ſuo ipſius nomine, hunc recipietis.* Joh. 5 : 43. Hinc præſtantiſſima hæc ſalus Dei tandem ad gentes miſſa eſt, quæ crediderunt & obediverunt. Act. 28: 28. Judæi vero repudiati ſunt, ceu increduli, obſtinati, & incorrigibiles.

§. XIII.

Sed haud minus cæcutiunt atque inſaniunt Judæi, ABARBANEL, JARCHIUS, KIMCHIUS, in exponendo *cap. 9. Jeſajæ*, in quo juxta ipſos nec vola nec veſtigium eſt MESSIÆ, cujus magnifica prædicata ad HISKIAM detorquent. Is eſt *lux illa magna,*

gna, quæ ſedentibus in tenebris & umbra mortis afful-ſit, proſtrato ſcil. exercitu Sanheribi. Deus bone, quanta cæcitas ad tantam lucem! ſed heus boni Viri, expedite hanc difficultatem, quomodo & quo ſenſu HISKIAS fuit *lux Galilææ*, de qua v. ult. cap. 8. Nonne potius atra horrendiſſimi excidii caligo Galilæam occupavit, regnante HISKIA? porro HISKIAS eſt, de quo v. 6. dicitur: *Nam puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, fuitque dominatio ſuper humeris ejus, Vocavitque* (ſcil. Dominus) *nomen ejus* (ſcil. HISKIÆ,) *Mirabilis, Conſiliarii, Dei fortis, Patris æternitatis,* (vel, juxta ipſos, Patris Spolii) *Principis Pacis.* Tædet me hiſce leviſſimis paleis atque quisquiliis everrendis tempus terere. Quis enim non videt hæc magnifica eſſe MESSIÆ nomina ſive prædicata. Hinc & ABARBANEL, ceu eques deſultorius, ea modo ad HISKIAM refert, argumentis vero contrariis preſſus, ad ipſum Deum; ſed perperam, cum Deus ipſe ſit, qui hiſce magnificis titulis alium quendam ornat, non ſeipſum. Nam poſt קרא ſequente שמו ſemper ſequitur nomen nominati, non nominantis. Exempla vide Jeſ. 7: 14. Gen. 29: 32-35.

§. XIV.

Sed heus tu Hiſpane! ego latus tuum ſic fodico: Magnifica hæc prædicata, ſi in ipſum JEHOVAM quadrant, certe non quadrabunt in Hiskiam. Et ſi in HISKIAM quadrant, quomodo in Deum optimum maximum quadrabunt? Niſi ſuſtineas dicere, Hiskiam eſſe ἴσον τῷ Θεῷ. Ergo in neutrum quadrant, ſed in Regem MESSIAM, Immanuelem noſtrum, Jehovam juſtitiam noſtram. Is eſt ea *lux mundi*, quæ primum Galilææ affulſit, deinceps vero ſplendore ſuo Judæam, Samariam, Syriam, totumque Gentiliſmum colluſtravit. Matth. 4: 15, 16, conf. Jeſ. 42: 6. c. 49: 6. c. 60: 1, 2, 3. Act. 13: 47.

In

In hunc magnifica hæcce prædicata pleniſſime atque eminentiſſime quadrant, quibus ipſum os Jehovæ ipſum compellavit, inſignivit, deſignavit, obſignavit, atque hiſce ſacratiſſimis nominibus a fidelibus eſt agnoſcendus, ampleƈtendus, venerandus, adorandus; ſcil. ceu DEUS NOBISCUM, Deus & Frater, Deus noſter & caro noſtra, Deus Goel atque mediator noſter, Deus pro nobis, cum nobis, in nobis; Deus cujus eſt terra ſancta. Jeſ. 8:8. Hoſ. 9:3. Lev. 25:23. ceu *lux magna*, lux vivifica, ſalutifera, gaudii atque conſolationis pleniſſima, lux omnes illuminans, fideles ſuos filios lucis reddens. *Gaudium* noſtrum, ex v. 2. gaudium maximum, non ob prolem vel opes auctas, ſed ob bona Novi Fœderis ab ipſo parta, gaudium de expleto legis δικαιώματι, exſtinctisque ejus fulminibus, de proſtrata diaboli potentia, exarmatoque orco, de pretioſiſſima libertate atque vindicatione a jugo legis, peccati, diaboli, Antichriſti, de acquiſita nobis ſalutifera gratia, redditaque pace, de recluſa in intimum Dei adytum via, reſeratisque cœli portis. Ceu *puer* nobis natus, ceu *Filius* Dei nobis datus, ut viveret in nobis, nosque in ipſo. Ceu *admirabilis,* ex quacunque eum ſpectes parte. Admirabilis ceu Immanuel noſter θεάνθρωπος, ceu ſummus dominus, pro imis viliſſimisque ſervis tantopere humiliatus, ceu infimus ſervus ad tantum gloriæ faſtigium evectus. Admirabilis denique gratia & veritate. Ceu *Conſiliarius* doctorque noſter ſapientiſſimus, qui nobis conſilium patris recludit, arcanamque ejus voluntatem palam exponit, quique nobis optima ſuggerit conſilia, de ſpernendis mundi deliciis; voluptatumque illecebris; de coëmendo auro fidei & charitatis, veſtibus candidis juſtitiæ atque ſanctimoniæ ejus, collyrioque cœleſti inungendis oculis ad pervidenda myſteria regni cœlorum. Quin ceu *Deus fortis*, Deus heros, Deus in carne manifeſtatus,

Deus

Deus in præſepi jacens, in cunis vagiens, cujus dextra tanta patrat miracula, tantam edit hoſtium infernalium ſtragem, cujus potentia tuto nitimur. Ceu *Pater æternitatis*, in quo ſunt omnes æones, & per quem panduntur, qui fuit ante mundum conditum Pater æternitatis, & ſimul filius hominis in tempore natus, qui & nobis vitam dat æternam; quin & Pater ſpolii, qui opima ab hoſtibus reportat nobisque diſtribuit ſpolia. Denique ceu *princeps pacis*, ceu princeps ſummus, cœli terræque molem humeris ſuis ferens, princeps regni cœlorum, ſed princeps pacis, qui non bellum ſed pacem conciliat, pacem cum Deo, cum conſcientia, cum creaturis quotquot ſunt omnibus.

§. XV.

Audite igitur Judæi, audite filiæ Jeruſalem: Talis eſt dilectus meus, talis amicus & ſponſus meus, hic ipſe JESUS NAZARENUS, a vobis rejectus & crucifixus, talis eſt; eſtque is ipſiſſimus, de quo ſacer vates JESAIAS tam magnifica fudit oracula. Is ipſiſſimus eſt *via* ad patrem cœleſtem, *veritas* & medulla ſacrarum ſcripturarum, *vita* denique ipſa, vita ſanctiſſima, beatiſſima, & vere æterna. Qui glorietur, in domino noſtro Jeſu Chriſto glorietur. Is eſt Rex gloriæ, pater æternitatis, fons omnis ſalutis. Vos miſeri eum dedignamini, deſpuitis, milleque convitiis confoditis, nobis vero in Evangelio revelatus, eſt potentia atque ſapientia Dei, quam fidei amorisque ulnis excipimus, amplectimur, veneramur. Sentimus vero, o miſeri, quæ dicimus, novimusque nos veriſſima loqui. Novimus, nos ex morte in vitam tranſiiſſe, quia Chriſto credimus, fidem tenemus, ſpem fovemus, fratresque amamus. Quisquis vero hunc non novit, cæcus eſt; qui hunc non habet, pauper & miſer eſt; qui in hunc non credit, injuſtus atque condemnatus eſt. Utinam ergo tandem ali-

quan-

quando ſaperetis; recluſisque fidei oculis adſpiceretis, quem tamdiu confodiſtis! Zach. 12: 10.

§. XVI.

Sed ut ad *ſecundum* Evangeliſtæ *Matthæi caput* pergam, citatur *verſu* ejus *ſexto* illuſtris locus MICHÆ c. 5: 1. & quidem ex ore totius Synedrii Judaici. Et bene habet, etiam hodiernos Judæos dictum hoc ad MESSIAM referre. Sed ad duo non ſatis attendunt Judæi hodierni, *Jarchius*, *Kimchius*, *Abarbanel*:

1. Meſſiam naſci debere *Bethlehemi*, vel *Ephratæ*; Non ſufficit dicere, Meſſiam ex familia Davidica oriturum, ſed eum Bethlehemi ſive Ephratæ, parvo illo oppido, quale tunc fuit, naſciturum. Sed jam periit Hieroſolyma, periit Bethlehem, eorumque nec vola nec veſtigium ſupereſt. Ergo Meſſias jam natus eſt, natus eſt inquam Bethlehemi, quod hiſtoria noſtra Evangelica adeo docet, ut fidem nobis faciat maximam atque certiſſimam.

2. Meſſiam in tempore exeuntem, h. e. naſcentem, (nam יצא *exire* eſt naſci;) habere *ſuos exitus ante dies ſeculares*, ſive ante dies mundi, eſſe æternum Dei Filium à patre ante ſecula genitum, ſinuque amoris fotum. Vos vero cæciſſimæ talpæ, negatis Deo talem Filium eſſe, contra h. l. & Pſal. 2:7. 72:17. & Prov. 30:4.

§. XVII.

Sed & notabilis eſt verſus ſecundus: *propterea tradet eos*, (populum incredulum tradet in manus hoſtium) *usque quo pariens peperit, tunc igitur reliquiæ fratrum ejus* (Judæorum) *revertentur una cum filiis Iſrael.* Conferatur hic egregius locus cum Hoſ. 3: 5. Audiaturque ἐπίλυσις Apoſtolica: ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ισραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ. Καὶ οὕτω πᾶς Ισραὴλ σωθήσεται. Rom. 11:25, 26. PARIENS ea eſt

Eccle-

Eccleſia gentium, filios Chriſto gignens quam plurimos; pedetentim vero effœta hæc mater filios gignere ceſſat, vel, quos enititur, ſunt ſpurii, *ἐμπαίκται*, Iſmaeles, Eſavi, verorum Chriſti filiorum, ex ſpiritu ejus genitorum hoſtes atque illuſores. Jeſ. 66: 5. Hoc ubi apparet, characteris vice eſt, haud procul abeſſe tempora reaſſumendi Iſraelis.

Diſcamus interim *ὡς ἐν παρόδῳ*, triplici Chriſtum gaudere nativitate. 1. Quidem æterna, & in comprehenſibili ex patre מוצאותיו מקדם מימי עולם. Vi ejus Chriſtus eſt *ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*. Hebr. 1: 3. 2. Nativitate ex Virgine Bethlehemitica, qua fit filius Davidis, qui eſt Filius Dei, verbumque Patris æternum, *σάρξ caro* fit. 3. Nativitate myſtica & ſpirituali in cordibus fidelium, tam ex Judæis quam gentibus, de qua Joh. 3: 3, 5. Gal. 4: 19, 26, 27.

§. XVIII.

Ad vos igitur, Chriſtiani, Fratres, mea ſe jam convertit oratio. Neque enim amplius cum Judæis rem mihi eſſe volo. Vos, inquam, amice compello, Chriſtiani, Fratres, vobis jam divina ferit bonitas, vobis offertur ſalus; utinam eo, quo oportet, ardore & candore eam amplecteremini, & Chriſtum ejusque *Φρόνημα* in cordibus veſtris eniteremini. Concipitis, paritis, ſed quid? plerumque verba ſine ſpiritu, ſine vita Chriſti. Videri vultis amare Chriſtum, ſed veros ejus filios acerbo proſequimini odio, ab affectibus atque paſſionibus veſtris, cum Chriſto in crucem agendis, eſtis alieni. Lingua profitemini Chriſtum, ſed operibus negatis, mundi quippe avidi, favoreque magnatum adjuti bona atque honores hujus ſeculi ambitis. Concipitis, inquam, atque paritis. Sed quid? Audite ex Jeſaja: *Concipitis quisquilias, paritis ſtipulam, ignis vos ſpiritumque veſtrum abſumet.* Jeſ. 33: 11.

33 : 11. *Concipitis ærumnam paritisque iniquitatem.* c. 59 : 4 Certe Eccleſiam Chriſtianam mors & defectio manet, a genuina veritate, a priſtino zelo, ab ardore Regnum Dei rapiendi, ut tandem in ſubtepidam verſa Laodiceam, ex ore Chriſti evomatur, Iſraelque reaſſumatur. Caveamus nobis, perſonarum acceptor Deus non eſt, ſed ſcrutator cordium & renum. Diligit diligentes nomen ſuum, congaudetque nobis de ſalute Chriſti lætantibus.

Videri vultis, inveniſſe veram fœderis Dei arcam in Ephrata, agroque Bethlehemitico. Sed num intratis tabernacula ejus, & adoratis ad ſcabellum pedum ejus ? an ei ſedem firmam & quietam in ſcrinio pectoris veſtri paratis ? Pſal. 132 : 1 - 7. Templa quidem intratis manu facta, ubi Chriſtus non eſt : Matth. 24: 23, 26. Luc. 17 : 21. Act. 7 : 48. 17 : 24.

Utinam vero vos ipſi vera vivaque Dei Chriſtique templa eſſetis, Chriſtumque per fidem in corde habitantem noſſetis, poſſideretis, verumque Deum in ſpiritu & veritate adoraretis ! Vereor enim, ne divina bonitas atque patientia hypocriſi tam diuturna fatigata, parietes illos levi tectorio inductos, tempeſtate & grandine dejiciat atque deturbet. Quod ut ne fiat, adorandus nobis erit Deus in ſpiritu & veritate Chriſti. Rogandusque eſt Chriſtus, ut ſpiritualem manſionem vel ναὸν in nobis erigat. Venit enim Chriſtus, ut nos a litera ad ſpiritum, ab externo manuum opere ad cultum ſpiritualem & verum provehat & promoveat. Quod ubi factum fuerit, tum demum ſentiemus, quantum ſit illud donum Patris, quod nobis in feſto natalitiorum Chriſti cœlitus mittitur. Venit Chriſtus, ut ablato peccato & maledictione, juſtitiam nobis reddat æternam, & benedictione Abrahamo promiſſa nos locupletet. Factus eſt quod nos ſumus, miſer, mortalis, ut fieremus quod ipſe eſt, juſti, ſancti, hæredes vitæ & gloriæ æternæ. Fides, hiſce myſte-

myſteriis imorando, ad fiduciam & gloriationem in Deo ſe erigit. Sed increduli, quales Ahaſus & Herodes erant, lætiſſimo hoc nuntio non afficiuntur, ſed terrentur. Quare o Domine! auge nobis omnibus fidem, ſpirituque tuo ſancto pectora noſtra imbue atque communi, propter ſacro-ſanctum nomen tuum, cui laus ſit atque gloria in ſempiterna ſecula, Amen!

VII.

JOH. FRID. STAPFERI,

V. D. M.

De

Chriſti in terra degentis, *erga Eccleſiam Judaicam*, incredulam, ipſi inimicam, *interitui* autem *proximam*, *Longanimitate*

DISSERTATIO,

ad

Illuſtrationem Loci

MATTH. XII. 20.

Καλαμον συντετριμμενον ου κατεαξει, καὶ λινον τυφομενον ου σβεσει, ἕως ἀν ἐκβαλη ἐις νικος τὴν κρισιν.

Summarium.

Continet Diſſertatio

I. *PROPOSITIONEM* materiæ tractandæ, & quidem
α. Negative, indicando, quod non agatur in hoc dicto de ſuſcipiundis infirmis fide, ſed

 β. Affir-

β. *Affirmative*, de Patientia Salvatoris erga hoſtes Judæos, ſuo tempore exſtirpandos. §. I.

II. *FUNDAMENTUM* ſententiæ allatæ, quod eſt tum

α. *NEXUS*, æque

א. *Matthæi*, §. II. ac

ב. *Eſajæ*, §. III. tum

β. *VERBORUM* ſive loquutionis allegoricæ *SENSUS*, quem ſententiæ huic optime favere indicatur

א. *Brevi Exegeſi*, ex nexu deducta. §. IV.

ב. *Ipſa verborum explicatione*. §. V. - - X. quæ ita ſe habet ut

1. Ex *PRIORI* verſus parte

a. Hæc ſententia adſtruatur. §. VI. - - - XVIII. ita vero verba explicantur ut

α. Probetur variis argumentis, hic alludi ad Candelabrum Sanctuarii. §. VI.

β. Convenientia indicetur inter allegorias & ſtatum Judæorum. §. VII. - - - XVI. allegoria autem duplex eſt, altera deſumitur

aa. *A Calamis Candelabri*. §. VII. - - X. ubi verborum ſignificatio explicatur, tum literalis tum myſtica,

o. *Calami*, §. VII.

oo. *Vocis* רצץ significantis *impingere*, loco movere, eſtque pœna graviſſima, jam tum temporis Judæis inflicta. §. VIII.

ooo. *Vocis confringere*, quæ extremum Judæorum ſupplicium notat. §. IX.

oooo. *Dilatio* hujus judicii indicata vocula ὁ. §. X.

bb. *A Ly-*

bb. *A Lychnis* ſive *Lampadibus.* §. XI. - - XVI. ubi oſtenditur

† *In Genere* earum Myſterium. §. XI. & XII. & quidem

* Quando lucent,

** Quando extinctæ fumigant.

†† *In Specie*, quid *linum fumigans* hic ſignificet.

α. κατ' ἄρσιν, non verbum Propheticum. §. XIII.

β. κατὰ θέσιν, Doctores & Doctrinam Judæorum vario modo corruptam, defectum veræ Cognitionis. §. XIV. quæ

γ. Extinctione Lampadis veſpertinæ XL. ante deſolationem annis fuere ſignificata. §. XV.

†††. *Patientia* optimi Salvatoris erga linum hoc fumigans. §. XVI.

b. *Altera Sententia deſtruatur* variis Argumentis. §. XVII.

c. *Objectio* contra hanc Sententiam, de incertitudine alluſionis ad Candelabrum ſacrum deſumta, removeatur. §. XVIII.

2. In *SECUNDA* verſus parte definiatur tempus, quamdiu Salvator hoſtes ſuos perlaturus ſit. §. XIX. XX. donec *protulerit ad Victoriam Judicium*: proferre Judicium autem ſignificat

α. Añuntiare Doctrinam Evangelii. §. XIX.

β. Judicium Patris demonſtrare per paſſiones & mortem. §. XX.

γ. Sedere ad Dextram Dei, & effundere Spiritum Sanctum. §. XX.

δ. Punire Hoſtes refractarios. §. XX.

III. *EPILOGUM* Diſſertationis. §. XXI. XXII.

* *

§. I.

TAm frequens eſt apud Theologos hujus dicti citatio, ut nullus fere ſit liber, ſive dogmaticus, ſive practicus in quo, quando aut de fide infirma aut de afflictorum conſolatione res eſt , , non ejus fiat mentio : Ut communis verbi divini Interpretum ſit ſententia, per *calamum quaſſatum linumque fumigans*, fidem infirmam a Domino non repudiandam, hic intelligendam eſſe. Ipſi etiam Viri Celeberrimi, magnus VITRINGA & Doctus HUYSINGA, in eruditiſſimis ſuis in hunc locum commentariis, rem ſic explicandam eſſe arbitrantur. Licet autem tot virorum illuſtrium in hac re conſenſum facile rejiciendum eſſe non putem, & abſit ut ipſis aliquid derogare velim, cum ſcripta eorum, quibus de Eccleſia optime meriti ſunt, æternitatem latura eſſe non dubitem, nec contra ipſos lites movere animus mihi ſit ; tamen ſubinde Nano in Gigantis humeris conſtituto, aut aviculæ alis Aquilæ inſidenti, paulo longius proſpicere licet. Ignoſcant ergo Lectores benevoli, ſi a recepta hujus loci explicatione recedam, aliamque, quæ cum ſcopo æque *Eſajæ* ac *Matthæi*, cum nexu antecedentium & ſequentium, cumque ipſis textus verbis, poſt diuturnam conſiderationem, melius convenire mihi viſa eſt, afferam. Celeb. GURTLERUS a reliquorum Interpretum turba abit, mentem vero ſuam verbis exponit breviſſimis, *Theologiæ Profeticæ Cap.* XXII. *Artic.* XII. §. LXX. *pag.* 389. Qui mihi hac in re aliquo modo præluxit, quamvis, cur non in omnibus cum ipſo conſentiam, rationes mihi ſint prægnantes.

Oſtendere autem mihi fert animus, illuſtre hoc Vaticinium non de toleratione Chriſti erga infirmos fide agere, ut in libris Theologicis concionibusque paſſim explicari & citari frequentiſſime ſolet: Sed potius

tius *DE LONGANIMITATE & patientia, quâ CHRISTUS uſus eſt erga ECCLESIAM JUDAICAM ipſi inimicam, INTERITUI PROXIMAM, ei certo Dei conſilio, POST PROLATIONEM judicii impetratamque a Chriſto Victoriam, deſtinatam, ergaque eorum DOCTRINAM lino fumiganti ſimillimam, deque Gentium, poſt plenariam Eccleſiæ Judaicæ rejectionem, vocatione.* Hoc autem ut oſtendam, neceſſe erit, ut PRIMO *nexum* ex Matthæo æque ac ex Eſaja adſtruam, ut inde horum verborum ſcopus pateſiat atque probetur. ALTERUM quod mihi tractandum ſumſi, eſt brevis horum verborum ex ipſo Nexu deducta *Exegeſis.* TERTIUM, vero eſt, ut, hæc ita ſe habere, ex Phraſibus & verſus vigeſimi primi immediate ſequentis ſumma, probem. Non autem ita præclare de me ſentio, ut omnium in omnibus mihi promittam aſſenſum; nec omnia etiam a me allata pro certis vendito: ſed, uti in hujusmodi rebus fieri plerumque ſolet, probabilia certis miſcebo; quæ tamen, niſi multum fallor, ſaltem occaſionem aliquam altiori indagationi, ut & melioribus perſpicatioribusque meditationibus præbebunt.

§. II.

NEXUM nunc ut clare demonſtrem, ex ipſo Sacri Scriptoris ſcopo ratiocinandum erit. Ita nimirum ſcripta eſt ſecunda Evangelii MATTHÆI pars, ut Muneris Chriſti prophetici ab ipſo ſuſcepti & executioni mandati tradat vindicias, Cap. III. - - XXV. Unde ſacer hujus libri Scriptor ad Judæorum calumnias, contra optimi Salvatoris Miniſterii cum *Fundamentum* tum *Exercitium* motas, oculos ſemper intendit. Inde eſt, quod 1. eorum cavillationibus occurrat *tum* contra ejus *inaugurationem* ad hoc munus, quod privata authoritate & absque Synedrii conſenſu facta ſit, *tum* contra ejus ad hoc munus *præparationem*, Cap.

 III. &

III. & IV. v. 11. 2. *Exercitium* autem muneris ipſius vindicat α. ratione *Loci*, ubi Evangelium primo prædicavit, Cap. IV. 11-25. β. ratione *Doctrinæ*, Cap. V. VI. VII. γ. ratione *Miraculorum*, quæ artes magicas nequaquam fuiſſe ex ipſis circumſtantiis patet, Cap. VIII. IX. δ. ratione Evangelii *ſucceſſus*, Cap. X. XI. ε Nunc Capite XII. Scriptor ſacer Objectiones quasdam peculiares Phariſæorum contra methodum Doctrinæ Chriſti ita proponit, ut eas Chriſtus ipſe ſimul ordine refutet. Ut ergo totum hoc *CAPUT* contineat *Chriſti adverſus cavillationes Judæorum defenſionem*; quarum objurgationum *prima* fuit, quod Sabbathum duplici modo ſolveret: α. Permittendo diſcipulis, ut vellant ſpicas, β. Sanando ægrotum; unde divinis reſponſis Cavillatores ad ſilentium redegit, *verſu 1-13.* Cum vero ipſius Muneris & Perſonæ ratio Conſiliique divini immutabile inſtitutum ita comparatum fuit, ut acriter ipſos objurgare ipſisque divinam ſuam in Adverſarios Potentiam Perſonæque Majeſtatem demonſtrare neque voluerit neque debuerit, inde eſt quod ipſis miracula ſua contemnentibus non magno cum tumultu & clamore ſeſe oppoſuit, ſed multo magis ab ipſis receſſit, ipſisque abſentibus ægrotos ſanavit, *verſibus 14, 15.* atque etiam Populo interdixit, ne miracula ſua propalando cauſæ ſuæ juſtitiam contra Judæos defenderent, *verſu 16.* Idque eo præcipue fine, ut impleretur divinum apud ESAJAM Vaticinium, qui hancce Chriſti erga Hoſtes ſuos Longanimitatem atque Patientiam jamdudum prædixerat. (ut ergo, rationibus bene ſubductis, quod in tranſitu moneo, *NON* de ſuſcipiendis & conſolandis *infirmis fide*, quod extra nexum & ſcopum eſſe videtur, hic ſermo ſit, *SED de* tolerandis potius ab Optimo Salvatore *Hoſtibus Judæis* usque ad tempus exitio eorum ineluctabili Conſilii divini fato præſtitutum) *verſu 17.* ſed quid divinus Propheta de Electo Dei Servo ejus-

ejuſque Patientia erga inimicos ſuos ait? Nempe hoc, Gentibus JUDICIUM, hoc eſt, Doctrinam Evangelicam, ſatisfactionem Chriſti, ſeverum ſuum erga rejectaneos Judæos Judicium &c. annuntiabit, *verſu 18.* cum hoſtibus autem Judæis ita aget, ut non publice & magno cum Clamore atque tumultu calumniis eorum ſeſe oppoſiturus ſit, *verſu 19.* ſed potius *Eccleſiam Judaicam* exitio proximam, *calamo quaſſato* ſimilem, non deſtruet, nec etiam *falſam* eorum *Doctrinam, lino fumiganti* parem, extinguet; donec tempus aderit quo, Chriſtus *Judicium protulerit*, deque hoſtibus ſuis triumphaverit; tunc demum exterminabit Judæos, & loco eorum vocabit Gentes, quæ *ſperabunt in Nomen ejus, verſu 20. 21.*

§. III.

Salvo nunc Doctiorum judicio expendimus occaſionem & nexum, quo vaticinium hoc *ESAJÆ* ab Evangeliſta citatum fuit; ex quo etſi verborum ſcopus ſatis appareat, hæcque verborum connexio cum ſententia noſtra optime convenire videatur, nihilominus tamen etiam ad ipſum ejus fontem, unde deſumtum, aſcendendum putamus, videndumque, quis divini Vatis fuerit ſcopus, quisque hujus dicti cum reliquis ordo. Illud in divini illius Libri *CAP.* XLII. exſtat *com. 3.4.* & eſt pars Viſionis ſecundæ partis quartæ; Cujus Viſionis ſive Concionis ARGUMENTUM eſt, Repræſentatio Jeſu Chriſti in glorioſa muneris ſui prophetici adminiſtratione, ſolenniter ad id ſanctificati & prædicare juſſi; quam Evangelii blandam annuntiationem cum Populus Iſraeliticus ad ſtuporem damnatus aſſumere nollet, exinde Gentibus, in locum Judæorum ad Regnum Chriſti vocandis, maximum lætitiæ fuit argumentum: Severiſſimum e contra in Populum illum rebellem judicium pronuntiatur; quod tum potiſſimum ipſis incubuit,

cubuit, quando Regnum Meſſiæ in medio ipſorum manifeſtabatur, donec nefandam iſtam pertinaciam Reipublicæ ſuæ excidio luit. OCCASIO vero Vaticinii hujus hæc eſt, quod Propheta fortiter contra Idololatras diſputans, ipſosque craſſiſſimorum in Religione Errorum convincens, nunc etiam hujus Diſputationis fundamentum ſubjungit, ipſisque apperit Myſterium de Judæorum propter incredulitatem ſuam obdurationemque rejectionem, Gentiumque loco eorum ſubſtitutionem; oſtendendo, quod Deo conſilium ſit, Gentiles, nunc quidem in craſſiſſimis verſantes tenebris, aliquando per blandam Evangelii Doctrinam ad communionem Regni ſui vocare, Judæos autem propter impœnitentiam ſuam, & quod excæcati officium & munus Chriſti non rite intelligentes pertinaciter ei ſeſe opponerent, graviſſime punire eosque rejicere: Hoc autem propoſitum Deus O. M. ut exſequeretur, aliquando miſſurum eſſe Filium ſuum, Doctorem æque Gentium ac Judæorum. SCOPUS igitur hujus concionis eſt, oſtendere, quod Deus olim deſtructa Idololatria per Filium ſuum, Doctorem manſuetum, Gentes ad communionem Regni ſui vocaturus ſit; cujus Vocationis occaſio hæc ſit, dum exſiſterent, qui rectam ſententiam non retinentes, Chriſtum ex præjudiciis non admitterent docentem, proptereaque in Judicium reprobationis inciderent, eoque adductioni Gentium ad Regnum Meſſiæ viam ſternerent. Hæc autem eo præcipue tendere debebant, ut Judæi exemplo Gentilium, Doctrinam Evangelii maximo ſtudio ſuſcipientium, provocarentur ad æmulationem, atque ſtuporis ſui convincerentur, ne ſalutarem Meſſiæ Doctrinam rejicerent, ei ſeſe opponerent, & juſtum propterea in ſe provocarent Dei judicium. SCENA autem hujus viſionis ita comparata eſt, ut repræſentet plus quam unum actum: in *priori* actu Deus Pater Filio teſtimonium

nium præbet miſſionis ſuæ, Eum Judæis reſpiciendum proponit; eodem eum, quo ad Jordanem, teſtimonio ornat; eumque ita deſcribit, ut omnem ejus aptitudinem ad Munus mediatorium oſtendat. In *altero* autem actu Pater, poſtquam Chriſtum pervicacia ſua rejecerant Judæi, monitumque *verſu primo* contentum de reſpiciendo hoc Dei Servo ſpreverant, ſermonem ad Filium ſuum dirigit, ipſique ſuum de vocandis Gentibus Conſilium apperit *verſu 5. ſeqq.*

Deſcribitur ergo in actu *primo* hujus SCENÆ, quomodo Deus Pater Chriſtum Servum ſuum Judæis reſpiciendum propoſuerit, eumque ipſis ut omni acceptione dignum commendaverit, & quidem:

α. Ab *illuſtribus attributis*, quod Patrem habeat in munere ſuo Auxiliatorem & Adprobatorem, Spiritum Sanctum ſupra ipſum effundentem, ut adeo aptus ſit ad proferendum Judicium etiam ipſis Gentibus. Quo incitari debebant Judæi, ut Gentibus, ſalutarem ejus Doctrinam cupide haurientibus, æmuli eſſent, ad præſtantiam Doctrinæ ejus agnoſcendam. *verſu 1.*

β. Ab *inſtitutionis modo*; ubi deſcribitur

1. A manſueto ejus animo; *Non clamabit nec attollet vocem ſuam, nec foris vocem ſuam audiri faciet;* hoc eſt, non verſaturus eſt in genere Doctrinæ contentioſæ & Diſputatoriæ; compariturus eſt inter Judæos absque Pompa & faſtu; traditurus eſt Doctrinam pacificam, idque modeſte & placide; & quidem in locis inſtitutioni publicæ dicatis, in Templo & Synagogis, & in locis a conventu hominum civili remotioribus, *verſu 2.* Hunc enim verſum de commoratione Chriſti inter Judæos agere, ejusque docendi modo, ex citatione MATTHÆI ſatis clare patet, & nulla ideo evidens ratio mihi apparet, quare non etiam *verſus ſequens* de Judæis explicandus eſſet, in quo deſcribitur Meſſias

2. A

2. A TENERRIMO JUDÆOS SERVANDI STUDIO, *Calamum quaſſatum non confringet, & linum fumigans non extinguet, in veritate proferet jus.* verſu 3.

γ. Ab effectu & ſucceſſu inſtitutionis ejus *verſus 4. part. 1.*

δ. A prædicatione Doctrinæ ſalutaris, poſt rejectionem Judæorum, inter Gentiles eam cum deſiderio recipientes. *verſu 4. part. 2.*

Verſus ergo, quem illuſtrare in hac Diſſertatione nobis propoſuimus, exhibet manſuetum Meſſiæ veri Doctoris erga Judæos animum, quo ea qua eſt Patientia Judæos propter incredulitatem ſuam non ſtatim cum integra eorum Politia atque cultu deſtruxit, ſed blande ipſos veritatis convincere ſtuduit, ipſis tempus pœnitentiæ conceſſit, usque ad terminum illum qui plenario ipſorum exitio deſtinatus erat, qui fuit poſt prolatum a Chriſto judicium inque hoſtes ſuos triumphum.

§. IV.

Si igitur, nexu ex ambobus Scriptoribus ſacris oſtenſo, ante verborum explicationem, brevem PARAPHRASIM, ex ſcopo Vaticinii hujus ejusque apud Matthæum allegationis, adornare velim, Evangeliſtam ex Propheta ita loquentem concipio. „Firmum Deo ſtat Conſilium, tempore definito, veram ac ſalutarem Evangelii Doctrinam Judæis æque ac Gentibus annuntiare, eosque ad Regni ſui communionem vocare. Eum in finem mittet magnum illum Prophetam, in abjecta quidem ſervi forma, talibus vero inſtructum Donis, ut obeundo huic muneri aptiſſimus ſit; ipſe dilectus Dei Filius, in quo & executione muneris ejus eſt omne Dei beneplacitum, ab ipſo Spiritu Sancto ad hæc unctus; Hunc, qui Doctor ſimul Gentium erit, Deus Pater,

„ Ju-

„ Judæis proſpiciendum proponit, idque eo fine, ut
„ ad ipſius Doctrinam attendant atque cum veræ fidei
„ obedientia eam amplectantur. Tali vero ipſi erga
„ eum erunt animo, tantusque erit eorum ſtupor,
„ tantaque excæcatio, ut non tantum inſtitutionem
„ ejus negligant, ſed & ubique pertinaciter ſe ei op-
„ ponant, Ille quidem, per Demonſtrationem Veri-
„ tatis ad conſcientiam, Doctrinam ſuam ipſis proba-
„ bit; ea vero qua eſt bonitate atque manſuetudine,
„ cum Adverſariis ſuis, ad ſui oſtentationem, non cla-
„ moſa in locis publicis inibit jurgia, ſed blanda glo-
„ citatione potius ipſos ad ſe allicere ſtudebit; neque
„ pro Longanimitate ſua illos propter incredulitatem,
„ pervicaciam & perpetuas cavillationes, ſtatim de-
„ ſtruet punietque, quanquam ſtatus ipſorum ad per-
„ niciem plenariam jam maxime vergat, ſed ſummo
„ conſervationem eorum quæret ſtudio. Nec etiam
„ Doctor hic infallibilis, clariſſimam afferens Doctri-
„ næ Evangelii lucem, luci illi fuliginoſæ Dogmatum
„ Judaicorum e diametro oppoſitam, ſtatim abrogabit
„ Legem illam Cæremonialem umbratilem, nec Do-
„ ctrinam illam Eccleſiæ Judaicæ adhuc veritatis ali-
„ quam ſpeciem habentem; etſi præterea præjudiciis
„ præconceptis, Traditionibus atque præceptis huma-
„ nis, cupiditatibusque carnis obfuſcata, Deoque pro-
„ pterea maxime ingrata, lino fumiganti, parum lu-
„ cis ſed multum fœtoris edenti, ſimillima, plena-
„ riæque extinctioni propter deficientia Spiritus San-
„ cti dona atque oleum proxima ſit; plenarie extin-
„ guet, ſed patienter hæc omnia perferet; usquedum
„ veniet tempus, quo proferet ad victoriam judici-
„ um, exequendo omnia ea quæ ad judicium ſive
„ munus judiciale ejus pertinent; annuntiando Evan-
„ gelium, paſſionibus & morte Judicium ſive juſtiti-
„ am Patris oſtendendo, effundendo Spiritum San-
„ ctum, adverſarios ſuos puniendo, atque de Hoſti-
„ bus

„ bus ſuis triumphando. Proximum autem conſe-
„ quens rejectionis hujus Judæorum erit, quod Inſu-
„ læ ſive Gentes ſperabunt in nomine ejus, hoc eſt,
„ loco Judæorum rejectaneorum Doctrinam de Chri-
„ ſto ſpernentium, Gentes vocabuntur ad Regnum
„ Chriſti, in eoque omnem ſpem atque fiduciam col-
„ locabunt.

§. V.

Expoſito jam nexu & brevi Paraphraſi inde deducta, nunc reſtat, ut hanc quam protuli ſententiam, ex verbis textus porro explicem atque confirmem. Propoſiti vero mei non eſt, harmoniam ſive concentum inter Prophetæ atque Evangeliſtæ verba oſtendere; id enim ab omnibus, quotquot Vaticinium hoc interpretati ſunt, jam factum abunde conſtat; ſed hoc mihi incumbit, ut oſtendam, hæc verba, neutiquam de ſuſcipiendis infirmis fide, ſed de tolerandis Eccleſia Doctoribusque Judaicis usque ad tempus exitio ipſorum definitum, intelligenda eſſe: in hoc autem ita verſabor, ut *unam* ſententiam rationibus ſatis probabilibus, ex ſignificatione Phraſium deſumtis, adſtruam, *alteram* deinde variis argumentis deſtruam.

§. VI.

Duo *EMBLEMATA* ſive locutiones allegoricæ ſunt, quibus *ſubjectum orationis* deſcribitur, alterum a *Calamo quaſſato*, alterum vero a *lino fumigante* deſumtum; inter ambo tamen uti aliqua & diſcrepantia, ut res diverſas ſignificent, ita etiam aliqua relatio eſſe mihi videtur. Et procul dubio veritati proxime accedunt, qui hic ad *CANDELABRUM* illud *aureum in templo* alludi contendunt; ut per Calamum quaſſatum intelligatur *Ramus* candelabri illius in ſanctuario conſtituti; συναφεια enim allegoricæ hujus locutionis huic interpretationi quam maxime favet, quoniam Ellychnium fumigans clariſſime ad lucernam relatio-

lationem habet, & קנה eſt eadem vox, quæ de Candelabro *Exod.* XXV. adhibetur; cumque his *duobus Similibus* inter ſe diverſis, in eadem autem re Judæis maxime nota occurrentibus, Propheta utatur, convenientia rei nos dubitare non ſinit, quin ad Candelabrum illud alludatur, in quo utrumque occurrit. Huic ſententiæ favent duo maximi nominis Viri LAMPIUS & MAJUS: quamvis, uti deinceps videbimus, in applicatione rei erraſſe videntur. Prior ſententiam ſuam exponit *in commentario de Fædere Gratiæ* Tom. IV. cap. XXVI. §. XVII. pag. 1301. Es ſcheinet auch auf das Geheimniß des güldenen Leuchters zu zielen der Ort Jeſ. XLII. 3. - - Denn das Wort (קנה) welches durch Rohr wird überſeʒt, iſt daſſelbige, womit die Röhren des güldenen Leuchters bezeichnet werden; und das Gleichniß eines glimmenden Tochts zeigt uns gleichfalls auf eine Lampe, worinn dieſelbe brennet. JOH. HENR. MAJUS F. *Obſerv. Sacr. Lib. II. pag. 24.* in hunc Eſajæ locum ita fatur: *Crediderim* קנה *Ramum hic Candelabri inferre, quo ſenſu legitur in Exod. XXV. 31-36. ubi LXX. conſtanter habent καλαμισκον, uti in hoc Eſajæ vaticinio καλαμον. Jam* פשתה *ſive Ellychnium, id quod in Candelabro potiſſimum eſt, ſic ut ſine eo nullus hujus ſit uſus, declarat; ut adeo integrum hic habeamus candelabrum. Totum hoc reſpicit illud, quod in ſancto ad dextram Dei & ingredientis ſiniſtram fuerat in Tabernaculo Moſaico collocatum.* Supra laudatus LAMPIUS deinde hanc Clar. MAII ſententiam *in Commentario in Joh. Cap. V. 25. Tom. II. pag. 99. in notis Lit. K.* ut elegantiſſimam & plusquam probabilem laudat. Accedit inſuper, quod & Rabbini, & in ſpecie MAIMONIDES, dicit *in Tamid.* Cap. 3. §. 12, 13. &c. quod ſi in Candelabri ſacri Lampade aliqua Ellychnium adhuc fumigaret, eo tempore quo accendendæ omnes erant, idem illud non extinguendum fuiſſe, ſicut viciſſim, ſi ſemel eſſet extinctum, etiam oleo adhuc ſuppeditante, totum Ellychnium removebatur & abjiciebatur.

§. VII.

§. VII.

His rationibus adductus, veritati maxime conſentaneum eſſe videtur, cumque ſcopo Prophetiæ convenientiſſimum, quod ad *Candelabrum aureum* fiat alluſio. Duæ autem allegoriæ in vaticinio noſtro inde deſumuntur, alterum a *Calamo* candelabri, alterum a *lucerna*; unum ergo poſt alterum erit explicandum. *CANDELABRUM* autem hoc (cujus calamus pars) una cum calamis, ſcapo & quicquid eo pertinet, non particulare aliquod Eccleſiæ membrum, vel aliquem fide infirmum, ſignificare, ex toto ejus myſterio ſatis apparet: *Illud* enim figuram ECCLESIÆ UNIVERSALIS eſſe, ſcriptura ſacra non uno tantum in loco, & ipſe Dominus in ſancta Johannis Patefactione, declarat: & *SCAPUS** ejus in ſpecie, ſub ſeptem calamis, ex Abrahamo ortam *Eccleſiam Iſraëliticam* ſignificat, ſtirpem nempe oleæ, cui Eccleſia N. T. inſita eſt, *Rom.* XI. 17. Rami vero ſive *Calami* ECCLESIAS PARTICURARES notant, tanquam tot Eccleſiæ Univerſalis membra. *Calamus* autem *quaſſatus* dicit triſtem ſive DEBILEM aliquem *Eccleſiæ* alicujus *particularis* ſtatum, interitui proximum. Cumque hic ſermo fiat ad Judæos, & de modo, quo Chriſtus cum Eccleſia Judaica ejusque Doctoribus egit, per *Calamum quaſſatum* ſtatum Eccleſiæ hujus particularis Judaicæ depingi, clariſſimum eſt.

§. VIII.

Attributum ergo hujus calami eſt, quod ſit *quaſſatum*, קנה רצוץ לא ישבור Καλαμον συντεθριμμενον ου κατεαξει. Verbum רצץ ſignificat *frangere*, & etiam *impingere*, citante enim Doct. MAIO Author τȣ Aruch. fol. 149. Col. 4. ſcribit, radicem hanc de alliſione ad parietem capi. Candelabrum nimirum in ſanctuario alio impingere non potuit quam ad parietem, niſi fatali caſu penitus dejiciendum fuiſſet; *proſternere* autem

tem vel *loco movere Candelabrum*, eſt pœna graviſſima, per os divi Johannis Angelo Eccleſiæ Epheſinæ intentata. Apoc. II 5. & ſecundum GROTIUM idem eſt ac ſi diceretur : *Efficiam ut plebs tua alio diffugiat, nempe ad ea loca, ubi major habetur cura Pauperum.* Majori autem cum Emphaſi beatus COCCEJUS rem exponit, quando dicit : *Motionem Candelabri e loco ſuo ſignificare ſublationem Eccleſiæ ex eo Populo vel ex eo loco, in quo antea fuerat.* Celeb. VITRINGA explicat *per ablationem & translationem Regni Dei*, ut eadem ſit pœna quæ Judæis a Chriſto intentatur *Matth.* XXI. 43. *Propterea dico vobis*, ὁτι ἀρθησεται ἀφ' ὑμων ἡ βασιλεια του θεου. *Regnum Dei auferetur a vobis, & dabitur populo, qui fructum ſuum feret.* Si igitur Eccleſia aliqua particularis loco movetur aut debilitatur, dici poteſt, quod Candelabrum e loco moveatur, aut calamus ejus, Eccleſiam particularem ſignificans, conquaſſetur. Et revera, ſi conditionem illius Cœtus de quo hic ſermo eſt ſpectemus, tunc temporis Eccleſia Judæorum, ſive ſtatus eorum Eccleſiaſticus, eo ſenſu quo calamum quaſſatum explicavimus, tali calamo fuit ſimillimus : Eadem enim pœna, idem malum, quod per calamum quaſſatum intelligitur, ipſis non tantum imminebat, ſed jam inchoaverat. Cultus enim ipſorum cæremonialis, in quo tantopere confidebant, & cujus candelabrum inſignis pars erat, jam incipiebat labaſcere ; omnis hic typicus apparatus debebat ceſſare ; REGNUM CŒLORUM jam AUFERRI cœpit ab ipſis ; omnia quæ ad Regimen Eccleſiaſticum pertinebant, ad perniciem jam maxime vergebant : Eccleſia eorum in varias Sectas erat diſciſſa ; Pontifices ad arbitrium Præſidum Romanorum conſtituebantur & removebantur, abſque ulla ſucceſſionis legalis habita ratione : Sacra ipſorum multo contemtui erant expoſita, ut afflictiſſima fuerit Eccleſiæ hujus facies. Sed multo adhuc triſtior & fœdior

erat ſtatus Eccleſiæ Judaicæ internus, qui Doctrina & moribus corruptionis faſtigium attigit, uti ex Hiſtoſtoria Evangelica patet; creſcebant in immenſum obſtinatæ Gentis peccata, ut juſtis Dei Judiciis impliciti paulatim ad plenarium interitum ſuum appropinquarent.

§. IX.

Ingens eſt pœna, quæ per *concuſſionem* Candelabri vel ejus locomotionem exprimitur, qualis Eccleſiæ Epheſinæ fuit intenta, & qua Eccleſia illa particularis, in qua optimus Salvator verſabatur, jam afflicta erat; Sed majus adhuc eam manebat ſupplicium, quo calamus hic non tantum debuit proſterni vel a loco ſuo moveri, ſed ſuo tempore plane *confringi*, id eſt, hic calamus, Eccleſia hæc particularis, a candelabro integro debuit auferri, & Ramus amputari, ut alius ejus loco poſſet inſeri. Quod juſtum Dei Judicium tantum erat, ut homo quidam ruſticus, nomine Jeſus Anani filius, multiplex illud Væ in Populum Judaicum, ad obſidionis Hieroſolymitanæ tempora usque, per ſeptem & quod excurrit annos detonuerit. Totius enim Populi vires debebant frangi; totus ille cultus typicus, totum templum, tota Hieroſolyma erant vaſtanda atque deruenda; bello cum alio Populo debebant implicari non finiendo, niſi cum Reipublicæ ſuæ plenario excidio; Diſcordiis internis, quibus ſe invicem conficiebant Judæi, omnia cædibus & rapinis implentes, advocata Cæſaris Romani arma, quibus partim fame partim vi urbs expugnata, templum incenſum, Sacerdotes necati, ex ipſis fundamentis ingrata civitas diruta, undecies centena hominum millia variis mortis generibus durante obſidione enecata, reliqui captivi ducti, plurimam partem in publicis Spectaculis aut ferro aut beſtiis conſumti, omnia cultus atque Templi inſtrumenta in triumpho Romam fuerunt portata. Et ita luculentiſſimum

tiſſimum iræ divinæ in excidione populi hujus exſtat exemplum, quam ſuis perditiſſima hæc natio in ſe concitavit ſceleribus; unde *TITUS* vicinis Gentibus, ipſi ex more ob victoriam coronas offerentibus, teſte *PHILOSTRATO* in Apollonii Thyanæi vita, Lib. V. cap. XIV. *eo ſe honore indignum* dicebat: *neque ſe hoc patraviſſe, ſed Deo iram demonſtranti ſuas commodaſſe manus.* Hoc igitur modo calamus hic quaſſatus plane confractus fuit atque contritus, ejusque reſtauratio deinceps fruſtra tentata.

§. X.

Noluit tamen optimus Salvator, pro Longanimitate ſua, tremendum hoc quidem ſed juſtiſſimum Dei Judicium, eo quo inter hunc Populum degebat tempore, exequi: *Calamum enim quaſſatum NON confringet, USQUE DUM protulerit ad victoriam Judicium.* Pertulit enim hoſce inimicos ſuos, ſuperſtitioni obnoxios, veræ Religioni adverſos, verum ſalutis Authorem, tot ſe prodigioſis operibus divinæque miſſionis certiſſimis Argumentis comprobantem aſpernantes, oblatam ſibi ſalutem reſpuentes, ipſumque Jeſum Chriſtum non modo proterve ſpernentes ſed ſceleratis manibus cruci affixum interimentes; Imo non tantum pertulit hos, ſed piis adhuc lachrymis miſerum hunc Populum futurumque ejus caſum miſertus, ſaniorem mentem ac meliora fata ardentibus votis deprecatus eſt.

§. XI.

ALTERA locutio allegorica ab alia candelabri parte deſumta eſſe videtur, a *lucerna* ſcilicet: ופשתה כהה לא יכבנה καὶ λινον τυφομενον ȣ̓ σβεσει. Singuli nimirum rami una cum ſtipite, ex quo reliqui ſex calami prodibant, ſuis lampadibus erant inſtructi, medius autem ex his ſeptem lychnus, ad quem, ex mente Judæo-

rum, ſex reliqua ellychnia fuerunt converſa, vulgo נר מערבי *Lychnus occidentalis* ſive *Lucerna veſpertina* appellatur, ejusque ellychnium ad ſanctum ſanctorum converſum fuiſſe dicitur; & hoc ſolum ex ſeptem interdiu arſit, e quo reliqui lychni tempore veſpertino accendi ſolebant; templo ſecundo ſtante etiam interdiu præter hunc occidentalem ſive veſpertinum alios aliquos Judæi lucere voluerunt. Lampades autem hæ ardebant oleo olivæ puriſſimo, linis ex detritis Sacerdotum veſtibus confectis, deficiente autem oleo, aut lino non recte præparato, lychni ſubinde ante diei adventum erant extincti, & lucere paulatim ceſſantes ante plenariam extinctionem adhuc *fumigabant*.

§. XII.

Uti autem *CANDELABRUM* figura Eccleſiæ univerſalis eſt, quæ, ita nonnullis interpretantibus, dicitur *columna & ſtabilimentum veritatis*, *1. Tim. III. 15.* ita *LAMPADES* ei impoſitæ nihil aliud ſignificare poſſunt, niſi *Doctrinam veritatis* & *veræ cognitionis lumen.* Oleum autem eſt Spiritus Sanctus, 1. Joh. II. 27. qui ſolus veræ ſcientiæ atque ſapientiæ omnisque illuminationis Author exiſtit. *Linum* autem ex veſtibus Sacerdotum confectum Doctorum Eccleſiæ Symbolum eſt, mediantibus quibus Spiritus Sanctus verbum divinum Eccleſiæ lucere facit, quique vi *olei illius alacritatis* impleti, ignique ex Altari, qui Amor Chriſti eſt, accenſi, ita ardent ut totam Eccleſiæ domum illuſtrent, aliis vero inſerviendo, uti linum, ipſi conſumuntur. Duæ autem potuerunt exſiſtere cauſæ, ut paragrapho præcedente monui, cur lychni ſubinde fuerunt extincti, *vel* olei defectus, *vel* linum non ſatis urendo idoneum; & res eodem plane modo ſe habet in ſignificatione Myſtica. Quando lux veræ cognitionis in Populo aliquo extinguitur, inde eſt, quod

quod Deus ab una parte juſtiſſimas ſapientiſſimasque ob cauſas ſalutaria Spiritus Sancti dona ſubtrahit, ab altera autem parte tales Eccleſiæ illi dat Doctores, qui operationibus atque influxui Spiritus Sancti reſiſtentes lucendo quam maxime inepti ſunt. Uti autem lux Lampadis non unico momento extinguitur, ſi deſit unum aut alterum requiſitum, ſed paulatim decreſcit, & tandem *fumigans* plus fœtoris quam lucis edit; ita etiam cum Doctrina veritatis in hoc vel illo populo ſe habet, quem Deus juſtiſſimo judicio luce Evangelicæ Doctrinæ privare vult, ſubtrahente nimirum Deo dona Spiritus Sancti, aut mittente Doctores mendacii, lux veræ cognitionis per gradus extinguitur, ſubinde per multum temporis ſpatium adhuc parvo ſplendore fumigans, ut in Doctrina adhuc veritatis aliquid ſuperſit, quæ tamen nebulis ſive fumo errorum, ingenio & cupiditatibus hominum accommodatorum, ita obfuſcata eſt, ut nihil fere lucis amplius adſit, ſed ingratum Domino excitet odorem, ipſi animarum ſanitati officiat, lucendoque hominibus minime apta ſit.

§. XIII.

Explicato nunc Lampadum Candelabri myſterio, expediendum nobis erit, quid per λινον τυφομενον in verſu noſtro intelligendum ſit. פשתה כהה ſignificat *linum hebeſcens*, *HESYCHIUS* vocem Græcam explicat τυφεσθαι, μαραινεσθαι, &c. *marceſcere, paululum exardere, ſine flamma fumum eſſe*, ut ſit linum extinctioni proximum, ſine flamma fumigans, quod propter defectum olei hebeſcit, flamma imminuta lumen obſcurius & plus fumi quam luminis ſpargens. Senſum autem iterum eſſe allegoricum, quisque facile videt. Aſſentire autem hic non poſſum Erudit: MAJO, qui a vulgo Interpretum, per linum hoc infirmam fidem intelligentium, abit; ita nempe Doct Vir:

Deum - - neque linum fumigans deleturum, hoc eſt, nec verbum propheticum, etiamſi λυχνος ſit ἐν αὐχμηρῳ τοπῳ. *2. Pet. I. 19. nec cetera V. T. Oracula aboliturum, quæ lucis & lucernæ adpellatione veniunt in Hymno CXIX. 105.* Si enim ſimpliciter diceretur, *Lampadem* ſive *lucernam non extinguet*, adhuc de verbo divino Prophetarum oraculis contento explicari poſſet: Cum autem verbum divinum *illuſtret oculos*, Pſalmo XIX. & ſit *lux pedibus noſtris*, Pſalmo CXIX. 105. adeoque puriſſima, hic vero mentio fiat de lino fuliginoſo, qui fumo oculis & fœtore naribus incommodat, quæ de Prophetico verbo dici nequeunt, & eo ipſo, quo eſt λυχνος ἐν αὐχμηρῳ τοπῳ, illuminat, & *linum fumigans* vocari non poteſt.

§. XIV.

Potius ergo hic *corruptam Doctorum & Phariſæorum Doctrinam* intelligendam putamus; nexus enim indicat, Chriſto rem fuiſſe cum Legis Doctoribus atque Phariſæis, qui Populo Doctrina pura atque ſancta vita prælucere debebant, atque Lampadis clare lucentis vice fungi, ſed potius erant פשתה כהה *linum caliginoſum*, obſcurius ardens, multum fumi, parum lucis exhalans, prope ut extinguatur; erant *Cæci* doctores cæcorum. *Oleum Sacrum*, Emblema Spiritus Sancti, ipſis defuit, Dona ejus a juſtiſſimo rerum Moderatore ipſis, ea non petentibus, fuere ſubtracta, ignis cœleſtis non amplius ardebat in ipſorum animis, *Luce & Veritate*, *URIM* & *THUMMIM*, fuere privati; & licet adhuc ſcintilla aliqua veritatis divinæ in ipſis remanſerat, tamen non tantum fuit perparva, ſed infinitis erroribus, præceptis humanis, traditionibus, fumo propriæ juſtitiæ, falſa legis cæremonialis interpretatione, falſo de *MESSIA*, vera atque ſola Eccleſiæ luce, conceptu, adeo erat obfuſcata, ut nihil luminis remanſerit, quo errantes in tene-

tenebris potuiſſent illuſtrari atque per viam duci. Et fœtor hujus lini prope extincti in cœlum aſcendens, tremendam in ipſos iræ divinæ tempeſtatem excitabat; & licet magnus ille Iſraelis Doctor atque Propheta, vera atque unica lux mundi, qui ambulat inter ſeptem Candelabra, ſummus ille Pontifex, continuo luminis influxu in ſuos radians, has Lampades adhuc fumigantes nondum abjicere, ſed potius iterum fovere, excitare atque accendere volebat, omneque illud quod ſplendorem offuſcat removere ſtudebat, ipſis veram viam monſtrabat, Doctrinæ ſacræ perſpicuitate atque Vitæ exemplari ſanctitate lucem eorum promovere quærebat, mendaces tamen hi Judaicæ Eccleſiæ Doctores atque prope extinctæ Lampades lumen hoc recipere nolebant, ſed fortiter ei reſiſtebant & veræ Religioni ſeſe opponebant. Quam bene hæc omnia cum *lino fumigante* quadrant!

§. XV.

Idem etiam, quod hucusque diximus, memorabili aliquo facto fuit figuratum, ſi Judæis hac in re ſit habenda fides; qui memorant *in GEMARA JOMA, apud GALATINUM de Arcan. Cathol. Verit. Lib. IV. Cap. 8. LIGHTFOOTUM Horis Hebr. ad Matth. XXVI. BOCHARTUM Hieroz. Part. I. Cap. LIV. aliosque:* Durante Tabernaculo & Templis ambobus, quando Lampades veſpera accenſæ fuerint, ſæpe omnes ſeptem tota nocte ad tempus usque matutinum arſiſſe, interdum quasdam durante nocte fuiſſe extinctas, *Lampadem* autem *Veſpertinam* ſive occidentalem, quæ media fuit verſus Sanctum Sanctorum verſa, nunquam extinctam fuiſſe; præter propter autem quadraginta ante ultimam Urbis Hieroſolymorum deſolationem annis, etiam hanc Lampadem fuiſſe extinctam. Ita enim BOCHARTUS,

 loco

loco citato pag. 657. ab initio, inquit: Talmudici ſcribunt in *JOMA* Cap. IV. fol. 39. b. תנו רבנן ארבעים שנה קודם חורבן הבית לא היה גורל עולה בימין ולא היה לשון של זהורית מלבין ולא היה נר ערבי דולק והיו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן : „ Magiſtri docuerunt, quadra- „ ginta annis ante Templi deſolationem non aſcen- „ diſſe amplius ſortem in manum dextram, neque „ linguam coccineam amplius exalbuiſſe, & neque „ Lucernam Veſpertinam amplius arſiſſe; Templi fo- „ res per ſe patuiſſe. *Nempe annis quadraginta ante Templi deſolationem Chriſtus paſſus eſt, & illius morte legalibus ſacrificiis omnis virtus ademta, LUMEN COGNITIONIS IN EA GENTE EXTINCTUM, nec Templum ſolum, ſed & Cœlum hactenus clauſum Gentibus tum demum patere cœpit,* Hæc Bochartus. Idem ergo, quod tum temporis *Candelabro* accidit, ad quod in dicto noſtro alludi plusquam probabile eſt, idem etiam Doctoribus Judaicis contigit, quorum Lumen Cognitionis plenariæ extinctioni proximum paulatim hebeſcebat; habebant quidem Lampades, ſed ut fatuæ illæ Virgines ſine oleo; cognitionem quidem aliquam, ſed non eam quæ eſt a Spiritu Sancto, ideoque nec veram ſed proprio ingenio procuſam, præter Doctrinam a Deo per Spiritum Sanctum traditam.

§. XVI.

Uti autem Benigniſſimus Salvator καλαμον συντετριμμενον noluit confringere, ita etiam nec λινον τυφομενον voluit extinguere, ἐ σβεσει. Supra annotavimus, quod ſi in Candelabri Sacri Lampade aliqua ellychnium adhuc fumigaret eo tempore, quo accendendæ omnes erant, idem illud iterum accendebatur, ſicut viciſſim ſi ſemel eſſet extinctum etiam oleo adhuc ſuppetente, totum Ellychnium removebatur & abjiciebatur: vide *MAIMON.* in *Tamid. & Jom Tobh*

ad

ad Cod. Tamid. Cap. III. Miſch. 9. Chriſtus etiam Miſericors Sacerdos fumigans hoc Doctorum Judaicorum linum tenerrimo ſtudio iterum accendere ſtuduit: Ipſi autem, deficiente oleo & linis lucendo aptis, igni accipiendo toti erant inepti, unde non tantum veræ huic luci ſeſe opponebant, ſed & eam propriæ Sapientiæ typho atque falſæ Doctrinæ fumo ſupprimere atque extinguere quærebant. Noluit tamen Jeſus Chriſtus hoc linum adhucdum plane extinguere, ſed Doctores hi eorumque doctrina, qualis tunc erat, una cum Levitico illo cultu, ad tempus conſtitutum usque permanere debebat.

§. XVII.

Hæc nexui, ſcopo & verbis convenientiſſima ſignificatio eſſe, mihi quidem videtur. Placuit verò Theologis ſummis, inter quos *VITRINGA, HUYSINGA*, aliique fere omnes, per *calamum quaſſatum* & *linum fumigans* intelligere Pauperes Spiritu, infirmos fide, cognitione, charitate, zelo, ſanctitate, patientia, animos fractos, ob peccata ſua afflictos, coram Deo ſe humiliantes, depreſſos ac dejectos, ſpe vacillantes, in quibus tamen adhuc ſuperſit aliqua vis ſpiritualis, ſeria pœnitentia peccati commiſſi, deſiderium gratiæ divinæ, quos Chriſtus conſolatus ſit, inſtruxerit, fidem eorum excitaverit, eos corroboraverit, lætificaverit. Verum equidem eſt, Chriſtum, qui ſcit *feſſo loqui verbum tempeſtivum*, hæc omnia feciſſe, uti paſſim apud Prophetas de eo vaticinatum fuit; hoc vero Vaticinium, quod mihi nunc præ oculis eſt, non de animis tenerioribus & fractis, fide infirmis, explicandum eſſe, ſequentia præcipue mihi ſuadent; ſi mihi difficultates, quibus altera ſententia premitur, proponere licet.

α. Obſtat *nexus* & *ſcopus*, qui eſt, oſtendere, quomodo Chriſtus ſe erga ſuos Hoſtes convenienter Ora-

culo divino geſturus ſit ; Inimicos enim ejus hujus Orationis & Longanimitatis Chriſti eſſe objectum, ex verbis & verſibus præcedentibus clariſſime patet. Ratio autem ſatis valida dari non poteſt, cur ii, cum quibus Chriſtus non clamoſa inire voluit jurgia, non iidem ſint qui, verbis immediate ſequentibus ad eandem rem probandam allatis, per Calamum quaſſatum a Domino non conterendum & linum fumigans non extinguendum exprimuntur ; Chriſtus enim totum hoc vaticinium eum in finem allegavit, ut Diſcipulis ſuis oſtenderet, quod convenienter Prophetarum oraculis cum hoſtibus ſuis agat, atque hunc agendo modum juſtificet.

β. Talis allegoria adhibetur, quæ *fidem infirmam* exprimendo inepta mihi videtur. Fides nimirum, utut ſit exigua, Deo tamen eſt gratiſſima ; *linum* autem *fumigans* eſt aliquid maxime ingratum, & non majoris uſus quam linum plane extinctum, ſed magis adhuc oculis naribusque incommodat, unde *PLINIUS VII. 7.* & *ÆLIANUS Hiſt. animal. IX. 54. pag. 559.* tradunt, odorem a lucernis fumigantibus abortus eſſe cauſam. Differentia inſuper eſt inter linum obſcurius ardens, quale fides eſſe poteſt, & λινον τυφομενον, *caliginoſum,* nil niſi fumum atque fœtorem teterrimum & intolerabilem ſpargens, quæ de fide exigua, ſe coram Deo humiliante, veram propter commiſſa peccata pœnitentiam agente, dici neutiquam poſſunt ; unde mihi dubitare vix licet, quin Chriſtus vel Eſajas aliud, ad Deo gratam actionem, qualis fides eſt, vel ſubjectum fidei, quod fideles ſunt, exprimendum, ſimile adhibiturus fuiſſet.

γ. Verba ἐ καλεαξει, ἐ σβεσει, ab Interpretibus maxime *ſenſu affirmativo* explicantur, ut ſignificent, Meſſiam afflictos illos non tantum non deſtructurum, ſed adhuc conſolationibus ſuis erecturum eosque corrobora-

ratu-

raturum eſſe ; hic autem verba hæc *ſenſu* tantum *negativo* intelligi poſſe, ex iis quæ ſtatim annotatione ſequente dicemus patefiet ; & bona illa quæ Chriſtus animis afflictis, oneratis, preſſis, allaturus erat, non tantum verbis negativis, ubi nihil affirmativi eſt, exprimi ſolent ; dicitur exempli gratia *ESAJÆ* LXI. 1. quod *evangelizaturus ſit manſuetis, quod obligaturus ſit fractos animo, quod proclamaturus ſit captivis libertatem, &c.* Item *EZECH.* XXXIV. 16. *Pereuntem requiram, depulſam reducam, fractam obligabo, & ægrotam confirmabo.* Porro quod *refocillaturus ſit & requiem daturus afflictis & onerosis. MATTH. XI.* 28.

δ. Fides etiam maxime exigua nunquam plane *extinguitur*, nunquam plane eam deficit oleum Spiritus Sancti ; Hic autem ita ſermo fit de calamo & lino, ut aliquando confringendo & extinguendo, & quod hæc Meſſiæ Patientia tantummodo duratura ſit usque quo protulerit ad victoriam Judicium. Sed quam bene hæc econtra quadrant Judæis ! quorum ſtatus Eccleſiaſticus, tunc temporis quaſſatus, aliquando plane confringendus erat. Et ſicuti Lampades in Candelabro durante nocte clare luxerunt, adveniente autem mane paulatim defecerunt, & aliquando plane extinctæ fuerunt ; quod ultimum etiam, uti ſupra annotavimus, tempore Chriſti ipſi Lampadi veſpertinæ, antea inſolitum, accidit ; Ita etiam Doctrina Eccleſiæ Judaicæ ab initio noctis V. T. valde pura, adveniente autem aurora N. T. paulatim de ſplendore ſuo amiſit, appropinquante autem mane ſimilis fuit lino fumiganti ; donec tandem umbris plane cedentibus fuit extincta, deficiente oleo Spiritus Sancti.

ε. Duplex ſimile, quo Chriſtus utitur, indicat, non unam eandemque rem ſignificari, ſed aliud quid per

calamum quaſſatum, aliud vero per *linum fumigans*, eſſe intelligendum; ſi vero ad Candelabrum ſacrum alludatur, hæ duæ locutiones allegoricæ de eodem ſubjecto, nempe fide infirma explicari vix poſſunt.

5. Nec etiam quadrat fidei infirmæ, quod ſtatim additur, *usque quo protulerit ad victoriam judicium.* Qualis enim ſenſus eſſe poſſet, ſi diceretur, fidem infirmam, ſive ὀλιγοπιστὰς, non deſtructum iri a Chriſto, donec ad victoriam judicium manifeſtaverit, mihi non liquet.

6. Optime quoque mea explicatio convenit cum *verſu ſequente viceſimo primo*, qui agit de vocatione Gentium, ut effectu & conſequente ejus, quod *verſu viceſimo* dictum fuit. Quam belle autem hæc conveniunt, quod poſtquam verſu vigeſimo dictum eſt de ſtupore & incredulitate Eccleſiæ Judaicæ miſeroque ejus ſtatu ejusque rejectione, deinde verſu vigeſimo primo immediate ſequente de proxima ejus ſequela & effectu, nempe de converſione Gentium, agatur. Qui etiam *ESAJÆ*, in toto illo capite de vocatione Gentium & rejectione Judæorum agentis, ſcopus fuit.

§. XVIII.

Si autem aliquis concedere nolit, alluſionem hic fieri ad *Candelabrum ſacrum*, quod tamen probabiliſſimum eſt, ſed malit intelligere quamvis etiam *arundinem*, & Chriſtum alias vulgaresque in animo habuiſſe *Lampades* exiſtimet, quales erant Candelæ Sabbathicæ, ad quas nullum opus fas erat conficere, vel illæ quibus diebus feſtis, initiationis repurgati templi & Altaris per Judam Maccabæum, utebantur, vel quæ adhibebantur quærendo fermento, vel illæ ad quas Iſraelitæ in feſto Tabernaculorum ſaltabant, vel quæ in ſignum gaudii inter Hebræos accendebantur, ut *PERSIUS Sat.* V. 180.

Herodis

Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Significatio tamen erit fere eadem; *Arundo quaſſata* ſcilicet & ſignum fragilis hominis, aut Regni cui tuto fidere nequeas, ut 2. *Reg.* XVIII. 21. *Ecce fiduciam tuam habueris in ſcipione arundinis iſtius quaſſatæ, in Ægypto*: Cui loco parallelus eſt *Eſajæ* XXXVI. 6. eodem etiam ſenſu ſumitur *Ezech.* XXIX 6. ita *JOHANNES* vocatur *Arundo a ventis agitata. Matth.* XI. 7. *Lucæ* VII. 24. Significaret ergo hic debilem & fragilem Reipublicæ ſive Politiæ Judaicæ ſtatum; *Lux* vero & *Lucerna* in Sacra Scriptura ubique Symbolum cognitionis, Doctrinæ & Doctorum eſt: *Pſalmo* CXIX. 105. *Matth.* V. 14. Ut *linum fumigans* nihilominus deſignaret Doctrinam corruptam atque falſos Doctores.

§. XIX.

Sequitur nunc *ALTERA hujus verſus pars*, in qua determinatur, *QUAMDIU* manſuetudine ſua Hoſtes ſuos Judæos Optimus Salvator perlaturus ſit; nempe Ἕως ἀν ἐκβαλη ἐις νικος την κρισιν. (משפט) Ἕως ἀν vertitur per *donec*, *usque quo*, quæ particulæ hic maxime terminativæ, id eſt, certum temporis terminum ponentes videntur. *Particula PRIUSQUAM & DONEC*, CHEMNITII verba ſunt, quæ in Harmonia Evang. Cap. VII. pag. 168. citante GLASSIO in Philol. Sacra, Lib. III. Tract. V. pag. 454. leguntur, *terminum temporis aliquando ita ſignificant, ut illud, quod ante terminum illum temporis removetur, poſtea factum fuiſſe, intelligatur.* Ut *Gen.* XIX. 22. *Non potero pluere ignem ſuper Sodomam donec* (עד) *ingrediaris Segor*: ita *Levit.* XII. 4. *Erit immunda donec* (עד) *impleantur dies purificationis ejus.*

Eodem

Eodem modo etiam hic accipitur, ut ſenſus ſit, non deſtruet Eccleſiam Judaicam cum ejus Doctoribus, donec proferet ſive protulerit in victoriam judicium. Vocem autem κρίσιν (משפט) non nimis proprie & ſtricte explicandam puto, ut tantummodo ſignificet *Judicium* de Judæis Chriſti Hoſtibus, non ſtatim extirpandis, aliquando ſumendum, ut Clar. GURTLERO placuit ; vox enim hæc ad exemplum Hebr. vocis משפט latius extendenda eſt : Sed minus adhuc placet interpretatio Doct. ELSNERI, qui verba hæc interpretatur : *Dum CAUSA ſuperior diſcedat*, hoc eſt, dum victoriam Cauſæ ſuæ judicem conſtituat, cujusmodi Phraſim ex *PLUTARCHO* in Cicerone affert. Interpretatio hæc alienior nata videtur ex eo, quod Doct. Vir nec ad ſignificationem, quam vox κρίσις verſu 18. omnino habere debet, nec ad hebraicam vocem משפט attenderit, uti iis accidere ſolet, qui ad unam aliquam Phraſin attenti eam ex Authore aliquo Græco explicare nituntur, non attendentes, nec ad contextum in quo Phraſis occurrit, nec ad textum Hebræum, ſi dictum ex V. T. citatum ſit. 1. Quoad contextum nemo dubitabit, vocem κρίσις eandem hic ſignificationem habere, quam verſu 18. habuit, ubi dicitur κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ ; ſed qualis ſenſus eſſet, ſi hoc vertetur *CAUSAM ſuam Gentibus annuntiabit*. Secundum mentem ergo Docti ELSNERI hæc vox prorſus deflecteretur ab eo ſignificatu, quem verſu 18. omnino obtinet, & hic obtinere debet. 2. Cum hic non minus ad phraſes Hebræas quam ad Græcam attendendum ſit, probandum fuiſſet Viro Docto, משפט ſimpliciter ſignificare *cauſam*, & quod לאמת יוציא משפט ſive עד ישים בארץ משפט, ad quas duas Phraſes *MATTHÆUS* reſpicit, apud Authores Græcos ſignificet, dum CAUSÆ ſuæ judicem victoriam conſtituat, ſive

ve dum CAUSA ſuperior diſcedat. Alio ergo ſenſu vox משפט ſumenda erit :

α. Nimirum ſignificat rectam & veram Evangelii Doctrinam, ſive Evangelicam juſtitiam, omnesque leges æquitatis & juris, revelationes, doctrinas, inſtitutiones, præcepta, in negotio Religionis, quæ ſpiritum Jehovæ immediate reſpiciunt, & principiis conſcientiæ fundata ſunt; Quæ Doctrina Evangelii eſt canon Judicii Chriſti, qui canon principiis æquitatis & juſtitiæ ſubnixus eſt; unde in Pſalmis dogmata ſive ſtatuta Religionis vocantur משפטי יהוה, & hæc vox apud Eſajam Cap. XLII. 3, 4. comparatur cum voce תורה *Lex*, Doctrina Religionis. Hanc autem Doctrinam protulit Meſſias, quando manifeſtavit illa a jactis mundi fundamentis abſcondita myſteria ſalutis & Regni Cœlorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ nemo Principum ſeculi hujus cognovit, quæ nulla quantumlibet ſubacta ratio excogitare potuit, & quæ cœleſtes myriadum Angelorum Chori, jugiter licet Dei faciem contemplantes, cernui ſcrutati ſunt: eaque Judæis primo, deinde Gentibus etiam annuntiavit; idque εἰς νῖκος, felici cum ſucceſſu, ut Judicium ſive Evangelium ejus ubique obtinuerit viceritque, fruſtra obſiſtente Satana & mundo; non enim ſine magno certamine Evangelium propagandum erat. Ut ſenſus ſit, Chriſtum, nunc mollem & clementem erga Hoſtes ſuos, tamdiu dilaturum executionem ſupplicii in eos, donec ita produxerit atque propagaverit veram Evangelii Doctrinam, ut ſuperior evaſerit atque victoria potita ſit, eaque æterna, nam εἰς νῖκος apud Græcos hebraizantes etiam ſignificat *in æternum*.

§. XX.

β. משפט, ſi recte ſentio, etiam ſignificat *Judicium Patris* per juſtitiam Chriſti, paſſiones & mortem ejus, demonſtratum; unde ſæpiſſime apud Prophetas *Ju-*

dicium & *Juſtitia* Chriſti & Regni ejus conjunguntur. Ita Pſalmo LXXXIX. 15. XCVII. 2. צדק ומשפט מכון כסאו: *Juſtitia & Judicium ſunt Baſis Solii ipſius.* Judicium autem hoc interdum præcedit Juſtitiam, interdum eam ſequitur; ſi illud præcedit, reſpicitur ad *Judicium Dei Patris*, in quo a Filio lytrum poſcit, eoque ſoluto illum abſolvit ejusque perfectionem agnoſcit; hoc autem juſtum Dei Patris Judicium Chriſtus manifeſtavit atque protulit in morte ſua, in qua Deus Judicium ſuum loco Electorum in ipſum exercuit, atque demonſtravit, quam juſtus ſit Judex, judicans ſecundum legem & rigidiſſimam Juſtitiam. Ut ergo & hæc Judicii pars ante Judæorum exſtirpationem debuerit exerceri; idque εἰς νῖκος, ita enim Chriſtus in hoc Judicio triumphavit, ut omnes Hoſtes ſuos, Satanam, mortem & infernum vicerit.

γ. Subinde autem Judicium Juſtitiam ſequitur, & tunc conſiderandum eſt, tanquam merces a Patre Chriſto data, quo Deus ipſum conſtituit ſupremum Judicem, ipſi tradens omne Judicium, ideo quia *Filius Hominis*, id eſt, perfectus Salvator eſt; unde ſedens ad Dextram Dei accepit omnem Poteſtatem in Cœlo & in terra. Hoc autem *Judicium protulit*, ſeque ſupremum Judicem exhibuit, dando novam Legem משפט effundens Spiritum Sanctum. Prima nimirum Legislatio erat in monte Sinai: Novam autem Meſſias promulgavit in monte Sion, quoad formam antiqua Sinaitica ſanctiorem & perfectiorem, Legem novi Fœderis; unde dicit Eſajas Cap. II. 3. *ex Zione egredietur Lex*, מציון תצא תורה hoc eſt, Doctrina veræ Religionis, Lex משפט (quod vocabulum interdum idem notat quod תורה) Meſſiæ egredietur ex Eccleſia, Societate ſive Schola Zionea, poſt effuſionem Spiritus Sancti; iterum εἰς νῖκος. *Decore* enim *ſuo*, ut præpotens aliquis Victor, *equitavit ſuper, vel in, verbo veritatis, & proloquutus eſt Juſtitiam, edens documenta ſui,* terri-

terribilibus dextra ſuæ. Sagittæ ejus acutæ, ut populi ſub illo procidant, penetrant cor inimicorum Regis. Pſal. XLV. 5. 6.

δ. משפט ſive κρισις ſignificat tandem etiam Judicium Chriſti in Hoſtes ſuos, quod Regii ejus muneris pars eſt, quando eos qui Evangelium Gratiæ rejiciunt etiam rejicit, ſuamque Populique ſui cauſam in Hoſtibus ſuis ulciſcitur. Cum vero Judicium hoc varia judicia particularia includat, hic illud intelligitur, quod Salvator in Judæos Doctrinæ ejus reſiſtentes & ſeſe ei opponentes exercuit, quæ etiam occaſio fuit, cur hic vaticinium illud citavit; ut ſenſus ſit, Chriſtum qui tanta lenitate atque patientia uſus erat erga malos Judæorum mores, qui maximum ſtudium impendit ad revocandum eos ad meliorem frugem, qui magna cum patientia bonas uvas exſpectans omnia beneficia Vineæ ſuæ præſtitit, & in ſtatu humili, abjecto, contemto, munera ſua adminiſtravit, aliquando *proferet judicium ad victoriam*, ſeque Vindicem, Judicem & Victorem exhibebit in Gentem iſtam nequiſſimam, rebellium colla confringet, non ut manſuetus & clemens, ſed ut ſeveriſſimus Judex, conſpicuo & tremendo Judicio, cauſam ſuam ab illis ulciſcendo, donec plenaria Victoria potiatur. Unde executio judicii in Gentem iſtam vocatur *Adventus ejus in Gloria.*

§. XXI.

Hoc unum adhuc addere lubet, quod poſt mentionem Judicii & Victoriæ in Judæos ſtatim addatur, *Et in nomine ejus* לתורתו *in Doctrina ejus*, quæ, cum ſe per eam manifeſtet, etiam eſt *nomen* ipſius, *Gentes ſperabunt.* Ut adeo rejectio Judæorum cauſa fuerit Vocationis Gentium, τω ἀυτων παραπlωματι ἡ σωτηρια τοις ἐθνεσιν, unde ἡ ἀποβολη ἀυτων erat καταλλαγη κοσμȣ. Loco enim Rami jamjam quaſſati & tandem amputati, debuit inſeri oleaſter ille ſylveſtris, *Rom.* XI. 17. quam bene ergo per Judicium verſu præcedente etiam exterminatio Populi Judaici intelligitur! Rogo

§. XXII.

Rogo autem Miſericordem illum Sacerdotem, ambulantem inter ſeptem illa Candelabra, ut pro Bonitate & Clementia ſua Calamum hunc confractum, Gentem nunc quidem rejectam, ob Patres autem adhuc dilectam, mox in gratiam recipere & Candelabro Eccleſiæ iterum inſerere velit; utque tempore veſpertino, quando omnes ſeptem Lampades ita lucebunt, ut ſplendor ipſorum *ſepties major* futurus ſit quam antea (hoc eſt, quando lucebunt non tantum Lampades unius candelabri, ſed omnes Lychni ſeptem Candelabrorum) ut inquam tum temporis etiam hanc Eccleſiæ Judaicæ Lampadem, olim fumigantem, nunc plane extinctam, ſecundum Miſericordiam ſuam iterum oleo Spiritus Sancti ſui velit implere, aptis lucendo linis inſtruere, igneque tenerrimi Amoris ſui accendere!

TANTUM.

VIII.

Nova Literaria Helvetica.

Vix vulnus graviſſimum ex obitu Summe Ven. *CRAMERI* Academiæ Tigurinæ inflictum coaleſcere cœpit, cum d. 8. Eid. Martii hujus anni novum accideret, deceſſu Viri Celeb. *JOHANNIS SCHEUCHZERI*, M. D. Phyſ. Prof. & Archiatri Excell. de cujus Vita Scriptisque videſis *Temp. T. II. p. 159. ſq. 502.* Addantur *Theſes Phyſicæ Miſcellaneæ*, paucis ante ſupremum diebus, *Reſpp. 4. Candidatis*, defenſæ. Vitæ Fatorumque Ejus compendium exhibet, quod in Tumulo legitur, Tetraſtichon:

Mercator, Medicus, Miles, Scriba, ullius expers
Ne fierem ſortis, denique Doctor eram.

Quæ

Quæ mihi tam varios emenſo præmia curſus?
Nulla, niſi cœli præmia parta forent.

Relicta Philoſophiam Nat. tradendi Provincia ab Ampliſſ. *ACAD. CURATORIBUS* commiſſa fuit Viro Clar. *JOHANNI GESNERO*, M. D. & Profeſſori Matheſeos Solidiſſ. ut utramque ſimul Spartam egregia, qua pollet, Eruditione exornet.

Libri & Diſſertationes.

1. Heilige Bibel-Ubung / oder deutliche und gründliche in Fragen und Antworten gefaſſete Erklärung und Zueignung des Evangeliums St. Lucä, in welcher jedes Stück diſes Heil. Schreibers begriffenlich erläutert, und zur Gottſeligkeit zu Nutz gemachet wird; von **Hans Conrad Wirtz** / Pfarrer und des Stiffts zum Groſſen Münſter; Zweyter Theil / in ſich begreiffend die Verhandlung der XII. letſten Capiteln. Zürich, verlegts David Geßner, Gebrüdere. An. 1738. 8 3. Alphab.
2. *ACADEMIA COELESTIS* (ex mente *Socini* & *Lucæ Mellenii*, *Antemonii* dicti:) ad S. Scripturam, ſanam rationem, & canam antiquitatem examinata, cum vindicatione locorum Joh. III. 13. VI. 62. Phil. II. 4, 6. aliorumque. Quam Disquiſitionem Theol. ſub Præſidio *Samuelis SCHEURERI, SS. Theol. Prof.* defendit *Sam. Kauffmann*, *V. D. M.* Bernæ 1738. 4. pl. 10.
3. *Joh. Jacobi LAVATERI*, *S. Theol. Prof.* Diſſertatio Theol. de Semine Abrahami, in quo benedicantur omnes Familiæ Terræ. Reſpp. 5. Candidatis. Tig. ex Officina Heideggeriana. 1738. 4. pagg. 28.
4. *Ejusd.* Diſſertatio Theol. de Spiritu teſtante, quod Spiritus Veritas ſit; ad 1. Joh. V. 16. Reſp. Joh. Henr. Waſero, V. D. M. Aſſum. Diethelmo Meiſio, S. Theol. Stud. Tig. Typis Geſsn. 1738. 4. pl. 5.

5. *NUMISMATA REGUM MACEDONIÆ OMNIA*, quæ laboribus Cell. Virorum, *Crophii*, *Lazii*, *Goltzii*, *Patini*, *Spanhemii*, *Harduini*, *Begeri*, *Wildii*, *Haymii*, *Liebii*, *&c.* ex Regiis aliiſque Numiſmatophylaziis hactenus edita ſunt, additis ineditis & nondum deſcriptis, quotquot comparare licuit, integra ſerie hiſtorica, *Tabulis Æneis*, repræſentata; digeſſit, deſcripſit, & *Notis Variorum* Doctiſſimorum Virorum illuſtrata edidit *Johannes Jacobus GESNERUS*, *Tigurinus*. Præfixa ſunt *Prolegomena*, de Theſauro Univerſali omnium Numiſmatum Græcorum & Romanorum; item, de Numiſmatum Græcorum Præſtantia, Uſu & Raritate, &c. Tiguri, ex Officina Heideggeriana, 1738. Fol. pl. 10. Tabb. 7. Conf. Tempe, T. I. p. 243.
6. Anpreiſung des hell-leuchtenden **Urims und Thummims**/ des Lichts und der Wahrheit, die einig zu finden auf der Bruſt des Oberſten Prieſters J. H. S. mit erwünſchtem Nachdruck angetrungen in freundlichen Geſprächen eines Römiſch-Catholiſchen und Evangeliſchen. Zürich, bey Joh. Heinrich Bürckli, 1736. u. f. 8. Hactenus 6. Stück, jedes circiter von 8. Bogen
7. **Ein neuer Strauß von ſchönen und geſunden Himmels-Blumen**/ welche denen Heyls-begierigen Menſchen-Kinderen zur Erweckung und Ergötzung aus ſeinen gedruckten und ungedruckten Schrifften durch Göttliche Gnaden-Hülff zuſamen geleſen und geflochten Chriſtophilus Gratianus oder *Samuel LUCIUS*, Gärtner des HErren im Berneriſchen Ober-Land. Baſel, bey Johann Rudolph Imhoff, 1737. 4. 7. Alph. 12. Bogen.
8. **Jacob Lauffers** Prof. Hiſt. Bern. Beſchreibung Helvetiſcher Geſchichte, ꝛc. XVI.ter Theil. Zürich, bey Conrad Orell und Comp. 1738. 8.
9. **Xenophons** Geſchichte von der Lebens-Art und den Lehren des Socrates/ nach **Chriſtian Thomaſens** Überſetzung; Der beygefüget iſt Abhandlung von der Kunſt und

den

den Vortheilen der Socratiſchen Lehr-Art und Geſpräche, durch den Zürcheriſchen Zuſeher. ibid. 1738. 8.

10. *Le Babillard, ou le Philoſophe Nouvelliſte*, traduit de l'Anglois par A. D. L. C. nouvelle Edition. 2. Voll. 8. a Basle chez Jean Brandmüller & Fils. 1737.

11. Ouvrages pour & contre les ſervices militaires étrangers, publies pour mettre le public en état de juger ſainement de l'uſage des Peuples anciens & modernes à cet égard, & en particulier de celui des Suiſſes; par *J. Louis de BOCHAT*, Prof. en Droit & en Hiſtoire à Lauſanne. 8. 3. Tom. à Gen. 1738.

12. *P. Leodegarii MAYER* Explicatio Compendioſa, Litteralis, Hiſtorica, Ceremoniarum Eccleſiaſticarum, earum præcipue, quæ ad S. Liturgiam ſpectant. Tugii, Typis Hen. Ant. Schell. 1737. 8. pl. 41.

13. *Hiſtoire du Concile de Trente*, écrite en Italien par *Fra-Paolo SARPI*, de l'Ordre des Servites; & traduite de nouveau en François, avec des Notes critiques, Hiſtoriques & Theologiques, par *Pierre-François le COURAYER*, Docteur en Theologie de l'Univerſité d'Oxford, &c. 2. Voll. 4. Basle, chez Jean Brandmüller & Fils. 1738

14. Oeuvres de Mr. *de VOLTAIRE*. 3. Voll. 8. Basle, chez les mêmes. 1737.

15. *Le Mentor Moderne*, ou Diſcours ſur les Mœurs du Siecle; Traduits de l'Anglois du *Guardian* de Mrs. *ADDISON*, *STEELE*, & autres Auteurs du *Spectateur*. 8. 3. Voll. chez les mêmes. 1737.

16. *Le SPECTATEUR*, ou *le Socrate Moderne*, où l'on voit un portrait naïf des Mœurs de ce Siecle. Traduit de l'Anglois. 8. 6. Voll. chez les mêmes. 1737.

17. Commentaire ſur la Traduction en vers de Mr. *l'Abbé du Reſnel*, de L'Eſſai de *Mr. Poppe* ſur l'Homme, par *Mr. de CROUSAZ*, 12. à Geneve, chez Peliſſari & Comp. 1738.

18. Eſſais ſur la Neceſſité & ſur les Moyens de plaire, par

par Mr. *de MONCRIF*, de l'Acad. Françoiſe. 12. à Geneve, chez les mêmes. 1738.

19. Abregé de l'Eſſai de Mr. *LOCKE*, ſur l'Entendement Humain, traduit de l'Anglois par Mr. *Boſſet*. 8. à Geneve, chez les mêmes 1738.

20. M. Chriſtian Scrivers Seelen-Schatz, ꝛc. bey dieſer neuen Aufflag mit bequemen Diſpoſitionen an dem Ende einer jeden Predigt/ ꝛc. verſehen. 2. Voll. fol. Schaffhauſen, druckts und verlegts Emanuel Hurter, 1738.

CONSPECTUS

Sectionis Decimæ.

I. *Marci MORLOTI* Diſputatio Theol. de Idololatria Gentili. p. 169.

II. *Caſp. BRUNNERI* Oratio Paneg. de Spiritu non extinguendo, ad locum 1. Theſſ. 5 : 19. p. 191. cui adjuncta eſt Hiſtoria Vitæ *Ejus* a *J. Caſp. HULDRICO*. p. 225.

III. *Ludov. TRONCHINI* Oratio Inauguralis de requiſitis Doctoris Evang. in 2. Tim. 2 : 23 - 25. cui adjecta Deſcriptio Vitæ & Obitus atque Operum V. Cl. *Joh. Alphonſi TURRETTINI*. p. 232.

IV. *Jacobi BRUCKERI* Diſſertatio Epiſtolaris, de *STOICIS*, Subdolis Chriſtianorum imitatoribus. p. 260.

V. *Jac. Chriſtoph. BECKII*, Specimen Obſervationum Hiſtoricarum. p. 296.

VI. *Sam. KOENIGII* Meditationes de Myſterio Vaticiniorum Jeſajæ & Michæ citat. Matthæi cap. I. & II. de Nativitate D. N. J. Chriſti. p. 310.

VII. *Joh. Frid. STAPFERI* Diſſertatio de Longanimitate Chriſti erga Eccleſiam Judaicam interitui proximam, ad illuſtrationem loci Matth. 12 : 20. p. 325.

VIII. Nova Literaria Helvetica. p. 356.

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Tertii

Sectio Tertia.

TIGURI,

EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.

M DCC XXXVIII.

Ampliſſimo,
Plurimum Venerando atque
Celeberrimo

CHRISTOPHORO MATTHÆO PFAFFIO,

SERENISS. WIRTEMBERGIÆ DUCI
A CONSILIIS,
In Celeberrima

Academia Tubingenſi

S. S. Theologiæ Doctori & Profeſſori
Primario & Univerſitatis Cancellario;

VIRO

Ad pacem & tranquillitatem Eccleſiæ ſtabiliendam, augendam, conſervandam,

Ad Rempublicam Literariam immortalibus Ingenij & Doctrinæ multivariæ documentis illuſtrandam, erudiendam,

Ad bonarum Literarum Cultores juvandos, ornandos, promovendos,

Spectatiſſimo, Honoratiſſimo,

Sectionem Undecimam
TEMPE HELVETICÆ

Tanquam publicam Cultus ſui

Tabellam,

Cum ardentisſimo perpetuæ incolumitatis Voto,

Suſpendit,

Simulque Virum Magnificum

ad hanc Collectionem

Ex incomparabili Vaſtæ ſuæ Eruditionis

theſauro illuſtrandam

Rogat

J. GEORGIUS ALTMANNUS.

I.

JACOBI KOCHERI

V. D. M.

OBSERVATIO CRITICA

DE

EMPHASI SERMONIS

In terna interrogatione Chriſti ad Apoſtolum Petrum

Joh. XXI. v. 15. 16. 17. †

Οτε ὀυν ἠριστησαν, λεγει τω Σιμωνι Πετρω ὁ Ἰησους. Σίμων Ιωνα, ἀγαπας με πλειον τουτων; λεγει ἀυτω, Ναι Κυριε, συ ὀιδας ὁτι Φιλω σε. λεγει ἀυτω, Βοσκε τα ἀρνια μου. λεγει ἀυτω παλιν δευτερον, Σιμων Ιωνα, ἀγαπας με;

† Conſtitueram apud me, cum traditam ab Amico Doctiſſimo Diſſertationem hanc primo legiſſem, ſpicilegium aliquod adnectere; non quidem ea mente, ut elegantiſſimam obſervationem, quæ nova luce hunc locum perfundit, impugnarem, ſed ut quædam ad ternam Chriſti Petro factam interrogationem, quæ maximo pondere non caret,

λεγει ἀυτω, Ναι Κυριε, συ ὀιδας ὁτι Φιλω σε. λεγει ἀυτω, ποιμαινε τα προβατα μου. λεγει ἀυτω το τριτον, Σιμων Ιωνα, Φιλεις με; Ελυπηθη ὁ Πετρος, ὁτι ἐιπεν ἀυτω το τριτον, Φιλεις με, Και ἐιπεν ἀυτω, Κυριε, συ παντα ὀιδας. συ γινωσκεις ὁτι Φιλω σε. λεγει ἀυτω ὁ Ιησους, Βοσκε τα προβατα μου.

ſubjungerem ; Cum autem à Celeberr. *Lampio* jam maxima pars eorum, quæ dicenda videbantur; ſit occupata, nolui talia adferre, quæ ex aliorum ſcrinijs tranſumta videri poſſent. Peculiari vero obſervatione digna eſt, non tantum terna Chriſti interrogatio, ſed etiam Petri reſponſio. Occaſionem ternæ Chriſti interrogationis ex Patribus omnium optime nobis exhibet *Cyrillus*, in qua facile acquieſcimus. *Terna igitur*, inquit, *confeſſione Petri ternæ denegationis delictum eſt evacuatum; dixit autem, paſce oves meas, Apoſtolatus ei renovans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.* In prima interrogatione Chriſti obſervamus, quod Doctor optimus Petrum interroget, *Simon Jonæ, diligis me plus quam hi*? Huic interrogationi occaſionem fecerat non tantum magnificum Petri promiſſum dicentis, ſe nunquam Chriſtum abnegaturum, licet omnes reliqui diſcipuli ipſum abnegarent, ſed etiam præſens factum Petri; cum enim audiret, Chriſtum in ripa adſtare, illico Petrus deſcendebat in mare, cum non expectare vellet cum reliquis, donec navis ad ripam appelleret, moræ omnis impatiens illico in aquam inſiluit, reliquis in ſcapha manentibus; utrumque horum Domino occaſionem fecit ad hanc interrogationem faciendam, *an diligis me plus quam hi*? Ex omnibus illis, quæ hiſtoria Evangelica nobis de Petro Apoſtolo tradit, patet, illum ingenio & natura fuiſſe fervida, promta, veloci; & exinde etiam mira velocitate & promtitudine gladium ſtringebat ad ſervum Pontificis feriendum. Ex reſponſione autem ad ternam inter-

interrogationem facta videmus, quod Petrus triſti abnegatione magiſtri, ſui nimiam confidentiam abjecerit, indeque ipſi ſufficiebat reſponſione interiores animi ſui motus omni candore & modeſtia prodere, qua fidem, amorem & ſincerum in magiſtrum ſuum affectum in apricum produceret. Interpretes quidam in ſuis commentarijs ad hunc locum, ſollicite inquiſiverunt, an non quædam differentia ponenda eſſet inter ἀγαπαω & φιλεω; aliquam etiam ſibi inveniſſe videbatur *Caſaubonus*, quam autem *Lampius* merito tanquam nimis argutam atque ſubtilem habet, dicit enim, *quod ſi inter voces, quibus Johannes uſus, aliquid eſt diſcriminis ponendum, dici poteſt non abſurde, Joannem in Chriſti interrogatione uſum eſſe verbo αγαπαν ſemel atque iterum, ut ſignificaret, Chriſtum deſideraſſe in Petro amorem perfectum, qualis Deo debetur, nam in ſcripturis, quoties ferme amor Dei præcipitur, non φιλειν verbum uſurpatur, & amor erga Deum & proximum in ſcriptura ἀγαπη, dilectio, dicitur, nam φιλια eſt amor. Petrus igitur, qui interrogatus bis per αγαπαν, ſemel per φιλειν reſpondens, videri queat conſcius ſuæ infirmitatis, conſulto conſilio verbum aliquod Syriacum uſurpaſſe, quod Græco φιλω magis reſpondet.* Hoc equidem verum eſt, quod ſacri ſcriptores ſæpiſſime, imo fere ſemper utantur verbo ἀγαπαω, quoties de amore, quem Deo & Servatori noſtro debemus, ſermo eſt; nihilominus tamen etiam notandum, quod uſus horum verborum ſit promiſcuus, ut recte obſervat *Dietric: in Antiquitatib. N. Teſt. p. 20. Sicuti autem Latini non ubivis obſervant diſcrimen inter amare & diligere, ſed promiſcue ijs & indifferenter utuntur, ita nec in Græcanica obſervatur lingua, inter ἀγαπαν & φιλειν, unde Chriſto interroganti, ἀγαπας με πλειον τυτων, reſpondet Petrus,* Ναι κυριε, συ οἰδας ὁτι φιλω σε; *cui demum ter amorem profeſſo ſuas committit oves, ut ſciamus, neminem idoneum eſſe Sacerdotio, niſi qui neglectis omnibus terrenis nil amet quam Chriſtum.* Extant tamen exempla, ubi φιλω occurrit in locis ubi de divi-

LEMMA.

Studium conferendi dictionem ſacrarum tabularum cum oratione Auctorum των ἔξω commendatur & vindicatur, §. I. & II. Tentatur idem in loco præſcripto, cujus majeſtas generatim exponitur, §. III. Eidem ſingularis Orationis figura, & complexa vis tribuitur, §. IV. Eaque α. *ſatisfaciendi*, §. V. Ex qua παρερμηνεια Pontificiorum notatur, §. VI. β. *Stipulandi & adſtipulandi*, §. VII. γ. *Obteſtandi & adjurandi*, §. VIII. & IX. Exemplum geminum ex *Ariſtophane* adfertur. §. X. Reliquæ orationis virtutes per ſatyram quaſi perſtringuntur, §. XI.

Lemmata, ſi quæris, cur ſint adſcripta, docebo;
Ut ſi malueris, Lemmata ſola legas.

§. I. Quum

---

no amore ſermo eſt, & de Patre Cœleſti dicitur, Matth. X: 20. ὁ γαρ πατηρ φιλει τον υἱον; atque exinde facile videmus, quod non tantum de amore communi, quales inter Parentes & liberos, vel amicos familiares eſſe ſolet, ſed etiam de dilectione divina accipiatur. Eadem fere ratio eſt duorum verborum etiam in hac pericopa occurrentium βοσκω & ποιμαινω; Primum *paſcere* & *alere*, apud ſcriptores ubique notat, ut hoc adductis locis evincit Cl. *Schwarzius in Commentar. Ling. Græc. pag.* 259. Hoc autem *docere* & *paſcere* ubique ſignificat, ut Actor. XX: 28. Rariſſime, ſi de regibus ſermo eſt, etiam *regere* ſignificat, probante *Raphelio in Obſervat. ad N. Teſt. ex Polyb. p.* 6. & Cl. *Alberti in Obſervat. Philolog. ad Novum Foedus. p.* 7. Hoc vero peculiari attentione dignum, quod Salvator ad primam interrogationem & reſponſionem Petro curam committat των ἀρνιων, *agnorum*,

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

§. I.

QUum multa ſunt, propter quæ in Sacrorum Voluminum reconditos ſenſus altius hoc, quod vivimus, quam anterioribus ſeculis penetratum eſſe, ex vero prædicare liceat, tum id inprimis eximium duco, quod hoc præcipue ævo ſermonis, quo S. tabulæ exaratæ ſunt, virtutes, dotesque, prægnantes & reconditi ſenſus curatius ſcrutati, atque etiam demonſtrati ſunt, quam antehac factum fuerat. Atque ego quidem ita ſentio, ſcriptores ſacros duce Spiritu Deo ita exaraſſe volumina ſua, inſtruendis omnibus ſeculis deſtinata, ut ea perfectiſſima exemplaria Orationis jure merito veneretur omnis, qui Chriſtum profitetur, Orbis: Quod duplici dote abſolvitur, ſublimitate rerum, & concinna majeſtate verborum, ita ut non modo con-

 tenta

ad ſecundam & tertiam vero *των προβατων*, *ovium*; in quibus haud dubie regulam habemus à Doctore Cœleſti, quæ debeat eſſe miniſtrorum cura, primo quidem in illos, qui adhuc ſunt fide imbecilla, tenera, ad primos hactenus cognitionis & illuminationis gradus tantum progreſſa, & propter quam lacte tantum, non fortiori cibo, ejusmodi agnellis proſpiciendum eſt, & ſecundo demum, in alios, qui jam ad numerum ovium ætate & doctrina profectiorum pertinent, qui cognitionis & illuminationis majorem gradum ſunt conſecuti, ita ut in hoc Chriſti Petro dato mandato tota prudentia regiminis Eccleſiaſtici comprehendatur. Quanta autem vis lateat in hac terna Domini noſtri interrogatione, atque toties à Petro data affirmatione, ex veterum ſcriptis Eruditiſs. atque Amiciſs. KOCHERUS in hac obſervatione abunde declaravit.

J. G. Altm.

renta eorum longiſſime omnem humanæ ſapientiæ doctrinam antecellant, ſed ut ipſa Oratio virtutes, quas in ſummis quibusvis Auctoribus miramur, exæquet, quin ſuperet. Uti vero ſublimis rerum dogmatumque majeſtas cuivis, qui ſenſum ſui habet, ultro & prodit atque ingerit, ita alterum illud paulo altius eſt conditum, quodque quis non absque interiori Sermonis Originalis cognitione, & curata optimorum ſcriptorum lectione comparanda aſſequatur. Sunt viri alti adeo Spiritus, & divinæ fidei, ut ſacer ſtylus præjudicatæ ipſis Auctoritatis ſit, parum in eo laborandum cenſent, ut divinorum Auctorum oratio cum profanorum ſcriptorum dicendi ratione in concordiam redigatur, illorumque cum his conſenſus demonſtretur; firmiter, nec abs re, tenent, volumina ſacra convenientiſſimo ad ſcopum, quem præfixum habent, hoc eſt, perfectiſſimo ſtylo eſſe exarata, neque adeo ea cum humani ingenij monumentis conferenda, multo minus ad horum normam exigenda eſſe concludunt. Veneror virorum iſtorum præclaram fidem, & ipſorum ſententiæ meam adjungere nullus abnuerem, niſi hominum quorundam, Chriſtianæ civitati male volentium, perverſa ſtudia hanc, quam iſti ſupervacuam æſtimant, operam neceſſariam utique efficerent. Hi omnes, vel præcipuas ſaltem, ornatæ & ſuis numeris abſolutæ Orationis virtutes ſacris Oraculis non alio fine denegarunt, quam ut hoc nomine ea in contemtum adducerent, atque de divina eorum Auctoritate fideque detraherent. Et ſpecioſum iſtud non minus atque periculoſum eorum eſt conſilium, minuendæ divinarum tabularum fidei, ut hodie maxime homines ſunt, unice idoneum. Qua de cauſa conſultum, quin neceſſarium omnino eſt, ut cœleſtis veritatis Interpretes in id incumbant ſtrenue, ut omnem vel ſpeciem imperfectionis ab ſacris monumentis abſtineant, docendo

do, ſummas quasvis virtutes, quas in perfecta oratione Sermonis Magiſtri requirunt, ijs ita proprias eſſe, ut omnium, quæ ſapientia claruerunt, ſeculorum judicio & hac in parte præclare ſe tueantur.

§. II.

Huc accedit propior quoque conſilij quod commendo ratio, eaque rei, de qua ago, inſita. Placuit providentiſſimo Numini, cœleſtem veritatem, qua ſalus humani generis continetur, lingua humana nobis patefacere, debuit ergo ſe accommodare legibus Orationis inter homines conſtitutis, quæ ut principijs quibusdam certis, humanæ menti congruentibus nitantur, regulas tamen ſpeciales inde deductas nimium quantum ex arbitrio hominum vario & in ſecula mutabili trahere, nemo unus ignorat, qui aliquam Linguis & orationi impendit operam. Præcepta itaque Sermoni ſcripta in tantum ex rationibus neceſſarijs ac intrinſecis fluunt, ut maximam tamen partem a decretis ſapientum & uſu vulgi pendeant, quorum placita pro norma, ad quam perfectio Orationis exigatur, fixa ſunt. Ex quo prono alveo conſequitur, non modo neminem ſacrorum voluminum interiorem intelligentiam ſibi comparare poſſe, qui linguæ qua exarata ſunt non aliquam facultatem habeat, ſed id inprimis, neminem perfectiſſimam indolem ſacræ dictionis, ejus concinnam ſtructuram, ſublimem vim, jucundam varietatem, reconditum ſenſum, nervos denique, veneres & virtutes omnes plene aſſecuturum, niſi qui probatiſſimorum, ejusdem maxime ævi & linguæ, ſcriptorum aſſidua & curata Lectione judicium ſubegerit, & ad omnes venuſtates dotesque dictionis obſervandas ac dijudicandas formaverit. Iſtud quoties animo cogito, non me contineo, quin prædicem præclarorum Virorum ſapiens conſilium, & imitandam induſtriam, qui certatim

Claſſi-

Claſſicos veteris ævi, quorum ſtylus præjudicatæ per omnia ſecula authoritatis fuit, Authores, cum Claſſicis Sacris eo fine contulerunt, ut luculentis exemplis evincant, hos omnibus Orationis virtutibus, quas in illis miramur, eſſe locupletes, priores ut non aſſequantur modo, ſed poſt ſe relinquant. Quæ laus cum noſtro ſeculo fere priva ſit, tum eam ſpartam magna cum nominis ſui gloria nuper admodum exornavit *ANTONIUS BLACKWALLUS* Anglus, Vir divinis ac humanis litteris æque excultus, cujus *Claſſicos S. illuſtratos* latio donatos & proprijs Muſis locupletatos debemus induſtriæ Doctiſſimi Viri *CHRISTOPHORI WOLLII.* Eſt iſte liber elegans aliquod quaſi Criticæ Sacræ Syſtema, & præceptis non minus quam exemplis locuples viam munit ad Sermonis divini dotes indagandas ac aſſequendas. Quantiscunque vero laudibus hujus & cæterorum, quos enumerare longum foret, ſtudia digna exiſtimem, fatendum tamen eſt, in elementis nos ac carceribus adhuc hærere, nec ſpes eſt, ad aliquam perfectionem laborem perductum iri, nî pertinaci ſeculorum induſtria urgeatur, & felicibus nobiliorum ingeniorum ſtudijs profligetur.

§. III.

Interea dum plena lux, cujus Splendorem ſpe præcipio, venturæ ætati exoritur, juvat bonis præſentibus frui, & animum præclaris monumentis optimorum virorum paſcere, quibus hac quoque in parte res ſacra & litteraria quotidie locupletatur. Sed dum horum divites muſas veneror, nonnunquam tamen & meis, ſint quamvis pauperes, indulgeo: frequens aliquem Oraculorum divinorum locum ab interpretibus vel neglectum, vel minus excultum, examini ſubjicere, atque tentare ſoleo, num ex ſtyli profani collatione cultior aliqua & ſignificatior dictionis virtus ei tribui & vindicari queat: quod ipſum

ſum & nunc agenti commode ſe offert graviſſimum illud Colloquium Jeſum inter & Petrum habitum, a S. Johanne Evangelij ſui Cap. ult. commat. 15. 16. 17. exhibitum, quod ſub ſimplicibus verbis, & interrogationum reſponſionumque minime quæſito apparatu, fœcundiſſimos ſenſus, & ingentia rerum pondera complectitur; ἐστιν ἄρ' ὁ ἰδιωτισμος * ἐνιοτε του κοσμου παραπολυ ἐμφανιστικωτερον: *Eſt quippe vulgaris Oratio exornatâ ſæpe multo illuſtrior.* Judice *DIONYSIO LONGINO* περι ὑψους *Sect.* 27. Qui idem apte ad inſtitutum noſtrum *Sect.* 5. ita præcipit: Τουτο γαρ τω ὀντι μεγα, οὑ πολλη μεν ἡ ἀναθεωρησις, δυσκολος δε, μαλλον δ' ἀδυνατος ἡ κατεξαναστησις, ἰσχυρα δε ἡ μνημη, και δυσεξαλειπτος. ὁλως δε καλα νομιζε ὑψη, και ἀληθινα και διαπαντος ἀρεσκοντα, και πασιν. ὁταν γαρ τοις ἀπο διαφορων ἐπιτηδευματων, βιων, ζηλων, ἡλικιων, λογων ἑν τι, και ταυτον ἁμα περι των αὐτων ἁπασι δοκη, τοθ' ἡ ἐξ ἀσυμφωνων ὡς κρισις και συγκαταθεσις την ἐπι τω θαυμαζομενω πιστιν ἰσχυραν λαμβανει και ἀναμφιλεκτον. *Illud namque vere magnum, quod ſubinde cogitandum conſiderandumque nobis occurrit, quod vix, ac ne*

* Ἰδιωτισμος eſt is ſermonis character, quem D. Paulus ſibi tribuit, quando ſe Ἰδιωτην τω λογω fatetur 2. Cor. XI: 6. Oratio nimirum vulgaris, nativa, ſimplex, rebus exprimendis reſpondens, qualis fere hominum privatorum, præceptis quæſitæ eloquentiæ non imbutorum eſſe ſolet: Oppoſita Orationi legibus artis adſtrictæ, nimium excultæ, & curioſe ornatæ, quæ intra naturæ terminos ſe coërceri non patitur, ſed omnia vel in majus auget, vel nimium deprimit, qualis eſt plerorumque ex ijs, qui eloquentiam profitentur. Prius dicendi genus, non niſi ſapientiſſimis probatum, ad laudem perfectæ eloquentiæ non aſſurgebat, probabat enim populus Oratores, qui quicquid vellent, invita veritate dicendo efficere valerent: hinc frequenter Oratores veritatis fidem ſibi conciliaturi hunc quaſi Orationis defectum ita excuſare ſolent, ut ap-

ac ne vix quidem animo excidere poteſt, ſed conſtanti, firma ac indelebili memoria retinetur. Denique præclaram illam demum granditatem & veram eſſe ducito, quæ per omnia & omnibus placeat: Quam enim in Oratione aliqua, qui moribus, vitæ ratione, inſtitutis ſtudiisque & ætatibus differunt, idem ſimul de iisdem ſentiunt omnes, tum a diſſidentibus alias & diſcrepantibus veluti profectum judicium & approbatio unanimis ei, quod habetur in admiratione, fidem certam & minime dubiam acquirit. Ad hanc normam ſi exigatur iſte, quem tracto locus, nemo Lector perſpicax, & ad rei geſtæ ordinem attentus, eum non gravem & ſublimem dicere auſus fuerit: Præſentem tibi ſiſte animo Servatorem O. M. ab intimæ admiſſionis diſcipulo, qui fidem ſuam ſæpe antea, & nuper demum ſancte obligaverat, in vitæ diſcrimine conſtitutum, & Capitis cauſam dicere juſſum, non relictum modo, ſed negatum ejuratumque, nihilominus tamen hunc ipſum Dominum, vitæ æternæ redditum, venia decreta Diſcipulum pœnitentem, blandis non minus, quam graviſſimis verbis compellatum,

pareat ſe eum in laude ponere, & de eo gloriari. Eo ſenſu *XENOPHON de Venatione p. 787.* Ἰδιωτην ſe profitetur: locum ad Paulinum cit. notavit *RAPHELIUS Annotatt. Xenophont. p. 242.* Addo alium haud minus luculentum ex *DIONIS Chryſoſtomi* λογω Ολυμπικω p. 134. edit. Aldinæ. ὁμως δε προλεγω ὑμιν, ὁτι ἐσπουδακατε ἀνδρος ἀκουσαι - - - μαθητην ὀυδενα ἐχοντος, τεχνην δε ἡ ἐπιστημην ὀυδεμιαν ὑπισχνουμενου σχεδον, ὔτε των σεμνων, ὀυτε των ἐλαττονων, ὔτε μαντικην, ὔτε σοφιστικην, ἀλλ᾽ ὔδε ῥητορικην τινα ἡ κολακευτικην δυναμιν, ὔδε δεινου ξυγγραφειν. & aliquibus interjectis. χρη δε ἐαν ὑμας ἐν βραχει ὁ τι ἀν ἐπιτημοι τουτω ἐπεσθαι, και μη ἀγανακτειν ἐαν φαινωμαι πλανωμενος, ὡσπερ ἀμελει και τον ἀλλον (χρονον) ἐξηκα ἀλωμενος, ἀλλα συγγνωμην ἐχειν ἀτε ἀκουοντας ἀνδρος Ἰδιωτου και ἀδολεσχου. Reliqua lege penes authorem, eſt enim locus prolixior.

latum, in munus, quo dignius in his terris non datur, reſtituere: Præſentem tibi ſiſte Legatum Domini, non fidum modo, ſed zelo pro gloria ejus ardentem, eo prolabi, ut ipſum, quem Deum noverat, & profeſſus fuerat, ejuraret, & atroci adeo crimine ſe obſtringere, ut videri potuerit omnem emendationis & reconciliandæ gratiæ ſpem decollaſſe, hunc ipſum tamen conſcientia facti attonitum, pudore ſuffuſum, ſincera pœnitentia ductum, in ordinem vel juratum redire, & blanda ſatisfactione præſtita non veniam modo gratuitam conſequi, ſed prolixa Domini gratia florere, & denuo jurata fide domui præfici: Cogita tenerrimorum affectuum multiplicem complexum, blandam neque minus vehementem vim, quæ omnia tanquam in tabula vivis coloribus expreſſa Colloquium hoc ſiſtit, & fatebere, grandem Orationem eſſe.

§. IV.

Sunt iſta ſublimia, nullius non animum afficere idonea, magis tamen in rei geſtæ magnitudine ordineque, quam in verborum arte ſita, cuivis aperta, indice non indigentia. At alia quædam virtus, minus obvia, in hoc loco reſidet, non niſi ex verborum ſtructura eruenda, ab Interpretibus, quos evolvi, non obſervata, figura nimirum Orationis vehemens, ad affectus ciendos, & mentem intime commovendam unice apta. *Continet*, ſi quid argumentis valeo, *ſermo ſacer gravem obteſtationem Servatoris, quæ ſub amoris titulo à Petro ſatisfactionem, & emendatam fidelitatem in obeundo ampliſſimo munere, cui denuo inauguratur, ſub juramenti fide ſtipulatur; Quibus is, ſatisfactione præſtita, jurejurando ſolemni adſtipulatur.* Hoc ſi evicero, operæ feciſſe pretium mihi videbor. Habent Hebræi, Græci, Romani, cultiſſimæ quævis gentes, in omnibus publicis ac privatis negotijs, conceptas quasdam formulas

mulas, & ſolemnia verba, quæ, cum virtutem ſuam ex uſu ſolemni, civili, ſive religioſo potius, quam ex nativa vocum vi trahant, ampliorem, quam pro verborum ſignificatione, poteſtatem habent, & brevi ambitu maxima rerum pondera exprimunt: Iſtiusmodi ſunt ſatisfaciendi, ſtipulandi, obteſtandi, jurandi formulæ, negotijs hominum, quibus maxima fides & religio in ſocietate adhibetur, tranſigendis propriæ. Conſtant autem plerumque formulæ iſtæ interrogatione emphatica, ad quam ipſis interrogationis verbis repetitis ſolet reſpondere interrogatus, cumque hanc Orationis formam referat ſermo noſter, & omnis rei ordo, ſuadeat, formularum, quas dixi, contextam quaſi & colligatam vim eundem in ſe continere veriſimillimum habeo: Quæ ut ſingulatim pertexam adnitar.

§. V.

Inſunt loco noſtro ſatis indicia, deinceps curatius evolvenda, quæ ſuadent, Servatorem interrogantem reſpexiſſe ad triſtem illum Petri lapſum, quo ipſum Dominum ſuum ejuraverat, quod obſervatum ſponte nos eo ducit, ut ſuſpicemur, Sermonem Sacrum ſatisfactionem à Petro, Chriſto præeunte, præſtitam continere: Iſtud, quod rei geſtæ ratio veriſimile reddit, ex ſolemni ſatisfactionis formula, quam verba exhibent, porro confirmatur, ut a certitudine parum abſit. Satisfaciendi apud Romanos hic erat plerumque legitimus modus. Læſus verbis conceptis de injuria ſibi illata interrogabat reum, num eam confeſſus, & pœnitentia ductus, ſatisfacere velit? Atque hac ratione ſatisfactionem reo deferebat, qui non nudis modo verbis, ſed jurejurando in re majoris momenti interpoſito, eam præſtabat.

Ita Alcumena probri ab Amphitruone viro ſuo inſi-

inſimulata poſtulat apud *PLAUTUM Amphitr. Act. 3. Sc. 2.*

- - Satisfaciat mihi, atque adjuret inſuper,
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.

Jupiter vero, alter ille Amphitruo, ita ei ſatisfacit:

Per dextram tuam te, Alcumena oro, obſecro,
da mihi hanc veniam, ignoſce, irata ne ſies.

& jusjurandum ſubjungit.

- - Arbitratu tuo jusjurandum dabo,
me meam pudicam eſſe uxorem arbitrarier;
id ego ſi fallo - - - - -

Qua ſatisfactione Alcmena contenta redit cum eo in gratiam;

Quin veni, quando vis intro: faxo haud quicquam ſit moræ;
quando exjuraſti, te mihi hæc dixiſſe per jocum.

Quamquam vero ut plurimum in ſatisfaciendi formula expreſſa injuriæ mentio fieret, haud tamen inſolitum erat in quibusdam caſibus, quando honori rei conſulendum erat, obliquis verbis eam concipere, ut non de injuria, ſed de emendato animo interrogaret læſus; quod in ſermone ſacro obtinere arbitror. Erat ſatisfaciendi maxima neceſſitas, poterat Petrus ſibimet ipſi, poterat cæteris Apoſtolis, poterat omnibus omnino fidelibus videri atroci crimine dignitate Legati Jeſu Chriſti prorſus excidiſſe, poterat iſta dubitatio turbas dare Evangelio peſtiferas, Civitatique Chriſti anæperniciosas; intererat itaque Petri, intererat Eccleſiæ, intererat Principis Eccleſiæ Chriſti ipſius, ipſum quondam Apoſtolum poſtliminio priſtino muneri ſolemniter reſtitui; idque ſeria pœnitentia & emendato mentis propoſito à Domino conſecutus erat, ut gregi electo Paſtor denuo præficeretur,

tur, non tamen ſine prævia ſatisfactione, quæ offenſionem aboleret, & fidem fidelibus ipſique Petro certam faceret, ad officium redeuntem, veniam eorum, quæ deliquerat, ampliſſimam conſecutum eſſe. At nolebat Servator optimus injuriam condonatam dignis coloribus pingere, nolebat ancipitem Diſcipuli animum commiſſa exprobrando prorſum de ſtatu dejicere, quin potius, qua eſt facilitate & immenſa gratia, blandis ex oppoſito traductis verbis, ita lapſum in memoriam ei revocat, ut pœnituiſſe laudet, eoque fortius ad officium reducat; Satisfactio aliquis verbis per definitionem ex oppoſito ita concipitur, ut reo parceret, neque tamen minus offenſionem tolleret, in quo dicendi modo latet virtus bonis Auctoribus non neglecta. Ejuraverat Petrus Dominum, quem unice profiteri debuerat, peccatum ex defectu amoris erat, neque ergo congruentius de injuria ſatisfacere, nec certius immutatæ mentis fidem facere poterat, quam Sacramento dicto, ſe utique Dominum tenerrimo amore proſequi, quem, cum præ reliquis Diſcipulis conſtantem oſtentaverit, profeſſus, *ἐι καὶ πανῖες σκανδαλισθησονῖαι ἐν σοι, ἐγω ὀυδεποῖε σκανδαλισθησομαι*, & *κ' ἀν δεη με συν σοι ἀποθανειν, ου μη σε ἀπαρνησομαι*. Matth. XXVI. v. 33. 35. Miſer tamen turpiter fefellerit: Huc dubio procul Jeſus reſpicit, dum interrogationem ex comparatione exaggerat, non ſimpliciter quærens, Simon, fili Jonæ, num amas me? Sed, num plus quam iſti me amas? plus quam cæteri Diſcipuli, * quos amore mei vincere,

* Ita enim verba *πλειον τουῖων*, quorum ambiguitatem *Vulgata* quoque *Verſio* ſervavit, de *Subjectis* potius, quæ amant, quam de *Objectis*, quæ amantur, explicanda eſſe, concinnitas ſenſus, emphaſis, & omnis rei ratio perſuadent, conſentientibus *Syro* & eruditiſſimo quoque Interpretum. Vid. *LAMPE Comment. in h. l.*

re, fidem mihi feceras, quam cum turpiter deſtitueris, num veniam conſecutus ita ad officium redis, ut memor arctioris vinculi, quo ob gratuitam veniam mihi obligaris, intenſiori etiam, quam cæteri, amore me complectaris. Non poterant non hæc penitus commovere pronum in affectus Petri animum, cogitantis, quanto ſe ſcelere obſtrinxerit, abnegando Dominum Optimum, Maximum, Clementiſſimum quoque, qui pœnitenti, nec dum præ pudore orare auſo, veniam gratuitam, dudum decretam, non tam concedat, quam ſponte offerat, qui blandis adeo verbis, amicitiam unice ſpirantibus ſatisfactionem exigat, neceſſariam eam quidem, dulciſſimam tamen, quod conſcientiam ſauciam penitus ſanaret; promte itaque ſatisfacit ſolemni profeſſione, utique ſe Dominum diligere, quam ut ſinceram eſſe doceat, ex intimo cordis affectu prolatam, ad ipſum eum emendati animi ſui conſcium provocat, pudibundus tamen, jactantia priſtina in modeſtiam verſa, non audet cæterorum amori ſuum præferre, abunde ei ſufficiebat, quod hanc conſecutus eſſet immeritam gratiam, amore Servatoris ſui non excidiſſe; Jeſus quoque in ſimplici declaratione acquieſcebat, ut comparationem poſthac omitteret. Quum tamen de re maximi momenti ageretur, & commiſſum facinus adeo turpe eſſet, ut merito dubitare licuerit, num Petri promiſſis poſthac ulla fides tuto adhiberi poſſit, altera atque tertia vice eandem interrogationem Jeſus repetit, cui Apoſtolus uti prius ſatisfacit, quin tertium concepto jurejurando Dominum omniſcium, conſequenter Deum teſtatus; qua ſanctiſſima aſſeveratione non veniam modo delicti tacitam, ſed ejus declarationem publicam, reſtitutione in ampliſſimum munus demonſtratam, obtinet.

§. VI.

Hujus, quam commendavi ſententiæ, ſi Lectori

 meo

meo fidem feci, mirabitur profecto, frontem adeo de rebus periiſſe, ut majeſtatis Pontificalis Patroni ad hunc inter primos locum provocare audeant, quo D. Petro dignitatem præ fratribus eximiam, invito ipſo, adſtruant, eumque his ipſis verbis Eccleſiæ ſummum Præſidem conſtitutum eſſe evincant: iſtud dum moliuntur luculento nobis exemplo ſunt, homines, partium ſtudijs præcipites, noxijs argumentis quam nullis, ad cauſam nullo tubicine nixam, quam tamen obtinere e re ipſorum eſt, ornandam uti malle. Ita ſolent, qui præjudicata ratione utuntur, ijs armis cauſam præpropere ſuſceptam defendere, quibus ea jugulatur certiſſime; quo ipſo ſpretæ veritatis pœnas luunt, dum fidem ſuam non ex Dei Oraculis hauriunt, ſed doctrinæ præcipitis aliunde acceptæ rationes ex iis firmare, cumque id minus valent, cum iis ſaltem in aliquam conſenſus ſpeciem redigere nituntur, ut ne cum veritate cœlitus patefacta fronte adverſa pugnare videatur. Nam quid, quæſo tuam fidem Lector! Sermoni S. ineſt, quod ulla cum ſpecie cauſam eorum juvare aptum ſit? quid, quod ei non ſit adverſum; Conſtituitur S. Petrus Paſtor gregis Domini, quid in eo eximij occurrit, quod ipſi cum cæteris Apoſtolis, fratribus ſuis, non fuerit commune? Paſtorum titulo omnes, cujuscunque gradus & ordinis Eccleſiæ Doctores atque Miniſtros, in divinis literis indiſcriminatim venire, apertius eſt, quam ut negari debeat; dum ergo Petrus Paſtor conſtituitur, nihil inde evincitur, quod ipſum cæterorum numero eximat, & in altiori gradu collocet; atque dum Cœtui ſelecto generatim Paſtor datur, non reſtricto ad gregem aliquem particularem munere, ut eo ſupra ordinarios Eccleſiæ Miniſtros evehitur, ita in numero Apoſtolorum manet, quorum id commune munus erat, ut Civitatis Chriſtianæ univerſæ commodis, non partitis provinciis, invigilarent. Sed, inquiunt,

quiun', Petrus tamen ſolus hic a Domino ſanctificato gregi præficitur; in promtu cauſa eſt, debebat transſcribi in ordinem fratrum, ex quo ejectus videri poterat, cæteris iterata inauguratione non indigentibus; nihil eſt quod dominium, nihil quod non Miniſterium inferat; ποιμαινε τα προβατα μου, ait Dominus, oves alienas paſce, non proprias, meas, non tuas. Magnifice ſecum actum putabat Vir ex lapſu & pœnitentia humilis, ſi priſtinum locum tueri, & in Collegium fratrum æquo jure cooptari denuo meruiſſet; adeo non ex verbis Servatoris altiora reliquis ſentiendi materiam captabat, ut potius in memoriam revocata triſti abnegatione dejectum ſe ſentiens, & in triſtitiam prolapſus, erigi neceſſe habuerit. Verbo ut abſolvam, qui id unum cogitaverit, orationem eſſe ſatisfactoriam, is nunquam in animum inducere poterit, ut credat, ea jus conceſſum eſſe D. Petro, præ omnibus omnino hominibus eximium, & poteſtatis divinæ æmulum, quale Romanæ fidei Vindices hic tuentur, invitis priſcæ Eccleſiæ Doctoribus, invito *JO. LAUNOJO** fidei ipſorum Socio, ſed præ multis erudito, & quæ major virtus eſt, ingenuo.

§. VII.

Non tamen Servator, dum Petri amorem explorat, ita de injuria præterita fuit ſollicitus, ut non ad negotium præſens, quod agebatur, vel primario reſpexerit, atque Apoſtolum ad fidelitatem in obeundo munere, & intenſam curam concrediti gregis valide obligare intenderit; qua ratione interrogatio

* Vide eum in *Epiſtolis*. p 90. 637. 703. ſeqq. edit. Cantabrig. fol. 1689. & paſſim alibi. Auctores cæteros, qui veritatem in hoc loco, ultra quam in cauſa manifeſta neceſſum fuit, vindicarunt, laudatos vide à Cel. *PFAFFIO de Originibus Juris Eccleſiaſt. p. 33. ſeq.*

Chriſti ſtipulandi & obſecrandi, reſponſio Petri, jurejurando firmatæ adſtipulationis vim habet: Eſt autem *Stipulatio, verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus reſpondit, velut ſpondes? ſpondeo; dabis? dabo; promittis? promitto; fidei tuæ erit? fidei meæ erit.* Definiente *PAULO Lib. II. Sententiarum Tit. 3.* adde *Inſtitut. Tit. de Verbor. Obligat. & Commentatores ad eundem*, ita apud *Plautum in Bacchid. Act. IV. Sc. 8.*

CH. *Roga hunc tu, tu promitte huic. N. Promitto.*
CH. Roga.
CL. *Ducentos Nummos aureos Philippos probos*
Dabin'? CH. *Dabuntur, inquam, reſponde.*
N. *Dabo.*

Idem in Captivis Act. IV. Sc. I.

ER. *Sponden' tu iſtud?* HE. *Spondeo.*

Has dum formulas Romanas in exemplum excito, non ſum adeo nullius judicij, ut Jeſum ex Jure Romano cum Simone egiſſe mihi perſuadeam; hoc ſolum oſtendere intendo, miſſa ſolemnitate rituum & verborum, apud varias gentes varia, quæ ex Jure quoque Romano Leoniana conſtitutione poſtea ſublata eſt, ſenſum & conſonantem intellectum, Interrogatione & reſponſione ab utraque parte declaratum, ſubſtantiam ſtipulationis abſolvere; Cumque ex jure naturali promiſſa obligationem conſtituant, Hebræos maxime, ſanctiſſimo & divino jure uſos, hac verborum forma ſolemnem obligationem contraxiſſe. Comparet itaque hic optimus *Servator*, phraſi juris Romani, *Reus ſtipulandi, Petrus Reus promittendi;* Ille, ſub amoris titulo ſtipulatur omnes, quæ inde fluunt virtutes in Paſtore neceſſarias, diligentem operam, curam, fidelitatem in gubernando grege. Eſt quippe amor Domini virtus in bono Paſtore primaria, conditio ſine qua nemo legitime gregem regere poſſit:

poſſit: Amantis is character eſt, ut ejus quem diligit commoda omni niſu promovere ſtudeat; cumque in ſalute gregis gloriam ſuam ponat Chriſtus, is demum, qui ipſum diligit, ſcopo huic digne proſequendo erit idoneus, is demum ſaluti gregis unice ſtudebit, nullo labore, moleſtia, periculis, perſecutionibus nullis abſtineri ſe patietur, quo minus eum ſalvum ſoſpitemque ſervet, tueatur, augeat. Arduo Paſtoris gregis, quem ſuo ſanguine Dominus ſibi redemit, muneri ex propria virtute nemo ſufficit, is demum, qui amicitia, amore paranda, ei jungitur, donis viribusque, quarum in obeundo munere uſus eſt, large inſtruitur, is demum gregi regendo à Chriſto præficitur. Hac amoris nota qui caret, ineptus æque ac injuſſus ſanctiſſimo muneri ſe ingerit, atque in jura Dei involat, ſub ſpecioſo Paſtoris titulo lupum agit, ſpe mercedis adductus ſibi ſtudet, nec gregem ultra curat, quam rationibus ſuis conducere ſibi perſuadet. Petrus itaque, dum Jeſum de amore ſuo certum eſſe jubet, rogationi ipſius adſtipulatur, fidem & ſummam, quæ quidem in hominem cadit, ſancti cœtus curam promittit, atque ad omnia officia, quæ cum amore Chriſti conjuncta ſunt, & ex eo conſequuntur, ſollicite præſtanda ſemet obligat. Sed hæc, cum ab alijs, tum maxime à Cel. *LAMPE*, in luculento, quo *Johannis Evangelium* illuſtravit, *Commentario* ad h. l. pro rei dignitate pertractata, opera mea non indigent. At quorſum iſthæc? inquies: paucis docebo, ea obſervata maximum pondus orationi addere. Poterat Chriſtus de mente Petri perſuaſiſſimus, omiſſa exploratione, munus priſtinum ei reddere, ſed malebat ex pacto cum ipſo agere; volebat, ut de amore ſuo magis ex propriæ conſcientiæ ſenſu, quam ex Domini ſui teſtimonio certus eſſet; volebat, ut in ſe deſcenderet, atque amoris infirmitate deprehenſa, ei continuo alendo & perficiendo ſtuderet; volebat

 fidem

fidem ejus eo validius obſtringere. Jeſus gratioſe agit cum Diſcipulo, jubere poterat, ſed rogare mavult, ſpontaneam obedientiam imponit, ſtipulatur officium, jam ante debitum, eo fine, ut vinculum eo fiat arctius blandiusque, quo lubentius homo eo ſe ipſe obſtrinxit. Hac itaque verborum ſolemnitate obligatio maxima impoſita fuit Apoſtolo; *Nam verbis obligatio contrahitur, ex interrogatione & reſponſu, cum quid dari fierive verbis ſtipulemur*; *ait Cajus in L. 1. §. verbis ff. de Oblig. & Act.* Quam non ad fidem ſervandam ſtimulare mentem Petri cogitatio debuit, ſe adſtipulatione promiſſi reum factum eſſe, & ex pacto teneri, quod præmia ampliſſima Paſtori fido, pœnas atroces infido dictet; non poterat non continuo animum ejus ſubire ſententia, non deero muneri, quod deliberato conſilio, ſponte mea in me ſuſcepi.

§. VIII.

Non tamen ijs, quæ hactenus diximus, omne Orationis S. pondus abſolvitur, eadem illa formula, quam ſatisfactionis & ſtipulationis eſſe oſtendi, obteſtationem quoque adjurationemque graviſſimam continet, hancque eximiam dictionis vim ab interpretibus neglectam huic loco vindicare operæ pretium duxi. *Obteſtatio dicitur, quando eum adjurantes, quem rogamus, oramus per eas res, propter quas rogamus*, definiente *Donato in Terent. Andr. Act. 1. Sc. 5.* Solebant veteres rem gravem difficilemque à quoquam oraturi, vel valide ad officium præſtandum hortaturi, eum obteſtari, & Sacramento rogare. Teſtabantur ea fini Deos, homines, fidem κ. τ. λ. quicquid unquam ſanctum, grave, dilectum, gratum erat, quicquid movere, & ad fidem ſervandam homines obligare poſſe credebant. Exempla non dabo, dabit autem ipſo horreo Vir Litteris quam infauſtis honoribus illuſtrior *Barnabas Briſſonius* in eruditiſſimo *de formulis ſollemnibus Populi Romani verbis* Comentario, Lib. VIII.

quem

quem alias quoque ad locupletandam hujus noſtræ tractationis pauperiem a B. L. adhiberi velim. Satis erit, ad rem præſentem notaſſe, veteres frequenter etiam amorem, quo vel ipſi complectebantur alterum, cum quo res erat, vel quo hunc in ipſos ferri par erat, allegare conſueviſſe: ita apud *TERENTIUM in Andr. Act. II. Sc. 1. Charinus:*

- - Nunc te per amicitiam & per amorem obſecro.

& ibid. Act. IV. Sc. 2. Ancilla ad Pamphilum:

orare juſſit, ſi ſe ames hera, jam ut ad ſeſe venias.

apud *Ariſtophanem in Pace v. 118. puella ad Trigæum Patrem:*

- - εἰπ' ὦ πάτερ ὅτι φιλεῖς με.

Dic, genitor, ſi quid amas me.

curatius apud *Terentium in Andr. Act. I. Sc. 5. Chryſis.*

Quod ego te per hanc dextram oro, & ingenium tuum
per tuam fidem, perque hujus ſolitudinem
te *obteſtor*, ne abs te hanc ſegreges, nec deſeras.
Si te in germani fratris dilexi loco,
ſive hæc te ſolum ſemper fecit maximi,
ſeu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem.
bona noſtra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.

&, ne in re obvia teſtimonia accumulem, fuiſſe hanc obteſtandi formulam Hebræis quoque ſolemnem docet locus *1. Sam. XX. v. 17.* in quo Jonathan Davidem per amorem obteſtatur. ויוסף יהונתן להשביע את דוד באהבתו אותו כי אהבת נפשו אהבו׃ quorum verborum emphaſin, ab Interpretibus fere neglectam, curate expreſſit *R. LEVI GERSONIDES*, qui poſtquam ad præcedentia notaſſet: והנה

ברת

כרת יהונתן גם כן ברית עם בית דוד ר"ל שאין בריתו עם דוד לבר אבל עם בית דוד בכללם לשמרם מהרע לפי היכולת וקלל יהונתן עצמו אם יעבור על זה הברית לבגוד בדוד ובביתו: & *ecce pepigit Jonathan cum Davidis quoque familia fœdus, videlicet ne David ſolus, ſed omnis ſimul ipſius familia eo contineretur, ad ipſos a malo tutandos pro virili. Et imprecatus eſt ſibimetipſi Jonathan, ſi transgrederetur fœdus, perfide cum Davide aut familia ejus agendo, dum dixit*: Requirat Jehova e manu inimicorum Davidis. Comma citatum deinde ſequentem in modum παραφραζει. ויוסיף גם כן יהונתן להשביע את דוד בדרך שיהיה ברית שלם ביניהם מצד חוזק אהבתו אותו כי אהבת נפשו אהבו: *Porro Jonathan ſacramento rogavit Davidem, quo fœdus inter ipſos perfectum foret, ratione vehementis erga ipſum amoris, ex animo quippe diligebat ipſum.* paria facit *KIMCHI* ad h. l. הוסיף להשביעו בכח האהבה שהיה אוהב אותו: *præterea obteſtatus eſt ipſum Jonathan, per vim amoris, quo ipſum complectebatur.* Obteſtatur itaque Jonathan Davidem *per* amorem, quo vel ipſe in hunc ferebatur, quod ſimplicius & verius eſt, vel quo David Jonathanem proſequebatur, uti *Alexandrini* intellexiſſe videntur, qui amorem reciprocum expreſſerunt, quemadmodum priora quoque verba non de Jonathane Davidem obteſtante, ſed ipſo illi juramentum præſtante, at male, tranſtulerunt. Και προσεθετο ἐτι Ιωναθαν ὀμοσαι τω Δαυιδ, ὁτι ἠγαπησε ψυχην ἀγαπωντος αὐτον. Utrum ſenſum præferas ad rem præſentem perinde eſt, ſufficit inde patere, *obteſtationem per amorem* Hebræis conſuetam fuiſſe; Eadem ratione Servator O. M. Petro illuſtre Legati munus commiſſurus, & Cœtum fidelem ejus curæ mandaturus, ipſum obteſtatur per id, quod ſanctiſſimum & dulciſſimum communionis cum ipſo eſt vinculum, per amorem, quo is jure merito intenſiſſimo complecti debebat Dominum, clementem & facilem adeo, ut diſcipulum

pulum alienatum ſanctiſſimo amore præoccupaverit; eaque obteſtatio tanto eſt gravior, quod is ipſe amor ſit conditio & qualitas, in Paſtore gregis Jehovæ requiſita, ſine qua ad munus prorſus ineptus eſt, quod modo monuiſſe ſufficiat. Neque quemquam moretur, quod non expreſſa *per amorem* formulâ, ſed ſimplici interrogatione, *num amas me ?* obteſtatio concepta ſit, ita enim frequenter juramentum deferri ſolebat. *POLLUX in Onomaſtico L. VIII. c. 9. n. 86. Erat & quædam Theſmothetarum diſcuſſio* (ἀνακρισις) *appellata, num ſcil. ex utroque Parente Athenienſes ſint a tertia usque generatione ?* κ. τ. λ. ἐπηρωτα δε ἡ βυλη, ὤμνυον δε ὀυτοι προς τη βασιλειω στοα, *interrogabat autem Senatus, hi vero jurabant apud porticum regiam, quæ eſt lapidea, ſe leges obſervaturos &c. A. GELLIUS, Cenſor,* inquit, *agebat de uxoribus ſolenne jusjurandum. Verba ita erant concepta: & tu ex animi tui ſententia uxorem habes?*

Verborum adeo Chriſti ſenſus commode ſic exprimitur: per eum, quem mihi debes, amorem te obteſtor, ut gregem meum paſcas, uti hoc amore dignum eſt. Vel etiam ſic: Si me amas, paſce gregem meum, ut ſervum amantem Heri condecet.

§. IX.

D. Petrus ſinceri amoris ſibi conſcius ſancte affirmat, Ναι Κυριε. Quæ particula aſſeverantis, promittentis, & promiſſis ſtantis eſt, adeoque ſolitaria jam maximam vim habet; perſuaſus tamen, Domino intimos cordis ſui receſſus patere, ad ipſum affectus ſui infucati teſtem confidenter provocat, eoque ipſo Judice dignus habetur, cui cura Eccleſiæ denuo demandetur. Quo tamen rei momentum diligentius penſitet, quoque ad fidem datam intemerate ſervandam validius adigatur, ut etiam circumſtantes rei geſtæ teſtes, & dehinc cœtus ipſi concreditus, de ejus emendatione, & reſtitutione in priſtinum munus certiſſimi

tiſſimi forent, Servator altera atque tertia vice obteſtationem repetit, & Petrus quidem obteſtanti verba ſua reddit; *vox mea facta tua eſt.* Attamen vehementiſſimorum affectuum pugna agitatus, ejurationis prioris memor, & metuens, ne ſinceritati ſuæ diffiſus eandem interrogationem denuo repetat, ſolemni nunc demum jurejurando fidem datam roborat, invocans Dominum, quem omniſcium profitetur, Teſtem & Vindicem veritatis. Solemne id jusjurandum appello, quod ex Hebræorum quoque doctrina tale ſit. Jure Conſulti Judæi, varijs licet conſtitutionibus in juramenti religionem haud parum ſint injurij, præclaro tamen Canone decreverunt: Aſſeverationes, allegato aliquo ex attributis Divinæ Majeſtati privis confirmatas, juramentis per nomen Dei τετραγραμματον, quod ipſis, ut decet, ſollemniſſimum jusjurandum eſt, æquipollere. Ita docent *in Codice SCHEVUOTH. IV. 13.* משביע אני עליכם באלף דל"ת ביו"ד ה"י בשדי בצבאות בחנון ורחום בארך אפים ברב חסד ובכל הכנויין הרי אלו חייבין: Si quis dixerit; *Adjuro vos per Aleph, Daleth, per Jod, He, per omnipotentem, per Zebaoth, per gratioſum & miſericordem, per longanimem aut per multum beneficum, aut per quæcunque (Dei) cognomina: tum ecce iſti ſunt rei.* Quem Canonem paulo dilucidius, ut ſolet, exprimit *MAIMONIDES Hilcoth Schevuoth. II. 2.* אחד הנשבע או שהשביעו אחר בשם המיוחד או באחד מן הכנוין כגון שנשבע במי ששמו חנון ובמי ששמו רחום ובמי ששמו ארך אפים וכיוצא בהן בכל לשון הרי זו שבועה גמורה: *Qui jurat, aut quem alius adjurat per nomen proprium* (Jehova) *aut per aliquid ex cognominibus, v. g. qui jurat per eum, qui vocatur benignus, aut miſericors, aut longanimis, &c. in quacunque lingua juret, ecce hoc eſt jusjurandum perfectum.* Ea itaque mente Petrus Dominum omniſcium profitetur, ut doceat, id ſe agere, ut ſanctiſſima juramenti religione fidem ſuam obliget, ne-

que

que alium cenſeri velle, quam qui ſolemni ritu, ſummo Numine in partes vocato, amorem, curam, & fidelitatem ſummam in munere demandato promiſerit; quippe probe ſibi ſit conſcius, quas quantasque pœnas in caput ſuum devocet, ſi datam fidem falleret. Qua ratione Chriſtianis deinceps ſolemne fuit *per Chriſtum* jurare, quod de Militibus purioribus ſacris addictis teſtatur *VEGETIUS de Re Militari* L. II. c. 5. Perpende Lector, & agnoſce mecum affectuum in Petro vehementem vim, animum pudore, pœnitentia, triſtitia, gratitudine, gaudio & quibus non motibus agitatum, his tamen prævalentibus, & in tranquillum amorem deſinentibus, quem jurejurando teſtatur, quo nullum vinculum ad adſtringendam fidem Deus arctius eſſe voluit. Ut enim Sacramentum temere dictum impiam actionem & orationem facit, ita illud ipſum in cauſa gravi, certo fine, ſancto mentis propoſito adhibitum ſublime eſt, movet, flectit, perſuadet; ex vero judicat *LONGINUS*, iterum mihi in partes vocandus, περι ὑψυς Sect. 14. ἐςι δ' ὀυ το ὀπωσουν τινα ὀμοσαι μεγα, το δε που, καὶ πως, καὶ ἐφ' ὠν καιρων, καὶ τινος ἑνεκα. *Jurare quomodocunque magnum non eſt, ſed jurare ubi, quomodo, quibus convenit occaſionibus, & certo fine, utique ſublime eſt.* Magnum eſt in Petro, jurare in cauſa tanti momenti, in qua concordia, ædificatio, ſalus non unius modo hominis, ſed cœtus totius a Chriſto redemti verſabatur; magnum eſt ei fidem ſuam obligare, cujus cauſa agitur, qui jus habet Sacramento rogandi, qui, cum ſit omniſcius, novit mentis ſanctæ propoſitum, qui Teſtis invocari ipſe poteſt; pulcrum eſt, atrocis criminis noxium emendatæ ſententiæ ſacrum teſtimonium perhibere; ſublime eſt, jurejurando vigilias, labores, mentis corporisque vires mancipare muneri, quo excelſius digniusque inter mortales cogitari nullum queat.

§. X.

§. X.

Cauſa perorata videri poterat, ſed metuo, ne parum exercitati in eruendis ſermonis dotibus accuſent ſententiam, quæ varias dictionis virtutes ex plurium Auctorum phraſibus particulatim collectas, uni alicui loco eique ſimplici ineſſe, affirmet potius, quam argumentis evincat: iſtos velim perpendere, hunc quem Sermoni S. tribuimus ſenſum unicum, ita fœcundum & abundantem eſſe, ut pluribus formulis æquipolleat; ſimplicibus phraſibus contineri, ſed quarum diffuſa vis, non niſi diviſa Oratione ſingulatim exhauriri poſſit. Quo ſapientior, doctiorque inter homines quis exiſtit, eo dictis ſcriptisque ipſius ampliorem ſignificationem ſubeſſe recte præſumimus, quidni divinis Oraculis hunc honorem habeamus, ut ea, ultra quam humanum ingenium aſſequi plerumque valeat, putemus eſſe emphatica. Cœterum dubijs ſatisfacturum ſpero exemplum, quod, quippe Comicum, cauſæ gravitate & ſenſus divitijs ſacro longe concedit, reliqua ita eſt geminum, ut mirer, ab Interpretibus, quorum labor in eo enituit, ut ſacras tabulas ex Claſſicis Authoribus illuſtrarent, non eſſe cum eo collatum: Extat illud apud Comicorum Principem, *ARISTOPHANEM* Atticæ Orationis laude florentiſſimum, *in Nubib. v. 79.* ſeqq. Strepſiades ære alieno obrutus, magnum quid filium Phidippidem obſecraturus, quod ægre impetraturum ſe duxit, quod tamen curarum finem, quibus ſenex miſer inſomnis excruciabatur, laturum videbatur, filium e lecto excitat, clamans:

Φειδιππιδη, Φειδιππιδιον. ΦΕΙ. Τι ὦ πατερ,
ΣΤ. Κυσον με, καὶ την χειρα δος την δεξιαν.
ΦΕΙ. Ιδου, τι ἐστιν; ΣΤ. ἐιπε μοι, Φιλεις ἐμε;
ΦΕΙ. Νη τον Ποσειδω τουτονι τον Ἱππιον.

ΣΤ. Μη

ΣΤ. Μη μοιγε τουτον μηδαμως τον Ἱππιον·
Ουτος γαρ ὁ Θεος αἴτιος μοι των κακων.
Αλλ' ἐιπερ ἐκ της καρδιας μ' ὀντως Φιλεις,
Ω παι, πιθου. ΦΕΙ. Τι ὀυν πιθουμαι δητα σοι;
ΣΤ. Εκστρεψον ὡς ταχιστα τους σ' αυτου τροπους·
Και μανθαν' ἐλθων ἁ 'ν ἐγω παραινεσω.
ΦΕΙ. Λεγε δη τι κελευεις. ΣΤ. Και τι; πεισει. ΦΕΙ.
Πεισομαι,
Νη τον Διονυσον. ΣΤ. Δευρο νυν. κ. τ. λ.

Phidippide, Phidippidule. PH. Quid eſt pater.
ST. Exoſculare me, & tuam cedo dexteram.
PH. Ecce, quid eſt? ST. Dic mihi, num amas me.
PH. Ita per Neptunum equeſtrem.
ST. Ne mihi hunc ullo modo equeſtrem.
Iſte enim mihi Deus malorum fons eſt omnium.
Sed ſi me animitus utique amas
Fili mi, obtempera. PH. Quid ego obtemperem tibi?
ST. Mores tuos immuta quam celerrime:
Et ego, quæ te juſſero, in his morem geras mihi.
PH. Quid ergo jubes? cedo. ST. An morem geres? PH. Geram,
Per Bacchum. ST. Veni ergo. &c.

ad Socratem voluit ablegare filium, a quo diſcat injuſtas cauſas orando vincere, ut ne Creditoribus, quod debuit, teneatur ſolvere. Abſtineo verba verbis, ſententias ſententijs componere, nemo eſt, cui non applicatio ſit facilis.

§. XI.

§. XI.

Præter ea, quæ in medium propoſui, ſermo ſacer illuſtratur varijs quaſi Orationis luminibus, quorum ſplendor omnium ſe oculis ingerit, ut Interpretes ad eum caligare non potuerint. Actum agerem, ſi in ijs exponendis prolixam operam poſuiſſe velim; ad id tamen, ne tractatio hac in parte prorſus deficiat, quæ ad inſtitutum maxime faciunt, obiter recenſuiſſe ſufficiet. Fidem, pondus, vehementiamque Orationi vel maxime repetitiones ſuo loco, in re momentoſa poſitas, conciliare, apud omnes in confeſſo eſt, qui de Sermonis virtutibus præceperunt, quod in eo, quem volvimus loco, facilem applicationem habet: Trina interrogationis & reſponſionis repetitio, rei momentum, certitudinem, plura alia, quæ quis facilius ſecum ſentiat, quam eloquatur, generatim inſinuat. Exempla non cumulabo, quod magna ubique eorum ſeges ſit; unicum, negotio præſenti aptum excitabo. Apud *Comicum in Ranis* v. 306. *Bacchus* ſpectro vehementer territus *Xanthiæ*, aſſeveranti illud diſparuiſſe, credere noluit, donec ter repetito juramento fidem veritatis feciſſet.

. . . ΔΙ. Κατομοσον. ΞΑ. νη Δια.
ΔΙ. Κἀυθις κατομοσον. ΞΑ. νη Δἰ. ΔΙ. ὀμοσον. ΞΑ.
νη Δια.

. . . *BA. Jura mihi. XA. per Jovem.*
BA. Jura iterum. XA. per Jovem. BA. Jura.
XA. per Jovem.

Sed præterea repetitio in hoc loco eximiam vim habet, eſt enim trinæ ejurationi manifeſte oppoſita, quod non potuit non Apoſtolum, tam memorem præteritorum, quam præſentium conſcium, vehementer commoviſſe, & affectus maxime contrarios

in

in ipſo excitaſſe : Ita cenſent ex veteris jam Eccleſiæ Doctoribus plerique. *AMMONIUS in Catena ad h. l. p. 470.* Ἀναζωπυρησαι ἀυτον βουλομενος ἐκ της κατα την ἀρνησιν ῥαθυμιας, ἐρωτα ἀυτον, καὶ δια των τριων ἐρωτησεων καὶ καταθεσεων ἐξαλειφει τας τρεις φωνας της ἀρνησεως. Jeſus *volens* Petrum *ex torpore abnegationis excitare, interrogat eum, & per trinam interrogationem & profeſſionem obliterat trinam ejurationem.* Plurium ſuffragia collegere *BASNAGIUS in Annalibus Politico-Eccleſiaſt. ad A. C. 33. §. 157. LAMPIUS in Commentar. ad h. l.* & alij. Quem porro cultum, quam pulchritudinem, quem vigorem, quod robur, quos lacertos, figuræ & translata verba Orationi addant, quivis in ſe experitur, & Rhetores docent, quorum hic vel præcipuus in perfecta Oratione deſcribenda locus eſt. cujus tractationem *LONGINUS Sect. 28. lib. cit.* his verbis concludit. Ἀποχρη τα δεδηλωμενα, ὡστε δειξαι, ὡς μεγαλαι την φυσιν εισιν ἀι τροπαι, καὶ ὡς ὑψηλοποιον ἀι μεταφοραι; καὶ ὁτι ὀι παθητικοι καὶ ἐκφραστικοι κατα το πλειστον ἀυταις χαιρουσι τοποι. *Sufficiunt, quæ expoſuimus ad demonſtrandum, quam ſint natura grandes verborum mutationes, quantumque ad ſublimem efficiendam Orationem conferant translationes, & quam affectibus & deſcriptionibus conſtantes loci iſtis ut plurimum gaudeant.* Quam vero dulce, quam concinnum, quam verecundum & grave hic Emblema paſtionis eſt, quam apertum & obvium, quam amplum & fœcundum! Quam varia in exiguo gyro Oratio, quæ per ἀρνια, tenerrimi affectus vocem, ad προβατα, per βοσκειν, alimenti ſuppeditationem, Evangelij præconium, ad ποιμαινειν, omnem gregis curam, totum regimen Eccleſiaſticum exprimens verbum, per gradus quaſi aſcendit, ut omnia qualiacunque Cœtus fidelis membra, omnia omnino officia in Legato Domini requiſita complectatur: Quam divina denique compellatio, quæ ſub verbis φιλειν & ἀγαπαν perfectiſſimum amorem

Servatori O. M. ex jure atque condigno debitum, poſtulat. Faxit Benigniſſimus Jeſus, ut omnes & ſinguli hac fidelium certiſſima nota inſigniti vel jurati profiteri poſſimus ; Κυριε φιλȣμεν σε. Siquidem æternæ veritatis cœleſte Oraculum ſit : Εἰ τις ου φιλει τον Κυριον Ιησουν Χριϛον, ἠτω ἀναθεμα μαρανα θα.

****

II.

JOH. GEORGII ALTMANNI

PRÆLECTIO LITERARIA Pro Comœdia & Ludis Theatralibus. *

Speciminis loco, jubente Ampliſſimo Magiſtratu Academico, pro vacua in Academia Bernenſi Hiſtor. & Eloquentiæ Cathedra habita Bernæ: 1734.

SOlebant quondam apud Romanos artis Rhetoricæ & cauſarum magiſtri, omnibus illis, qui ad majorem Eloquentiæ gradum contendebant, difficillima orationum argumenta, in quibus artem ſuam expo-

* Is equidem inſtituti noſtri ſcopus & ratio in hac Collectione Theol. Philologica non eſt, ut paginas *Diſſertationibus* & *Obſervationibus* deſtinatas, *Orationibus* expleamus; cum autem hujus Prælectionis exemplaria dudum fuerint

exponerent, atque ingenii fœcunditatem declararent, præſcribere: Non enim artis nec peritiæ in dicendo eſſe credebant, vel bonam vel integram cauſam defendere, vel innocentem longa oratione ab injuria vindicare, vel virum bene meritum laudare: Sed illud demum artis eſſe; in re dubia & difficultatibus plena feliciter judicem movere, accuſatum contra receptam fori & plebis opinionem à carcere liberare, Virum communi ſuffragio damnandum è vinculis eruere.

Ego certe hodie A. H. in eruditiſſimo Veterum Romanorum conſeſſu, ubi tenuis mea dicendi facultas cenſenda erit, conſtitutus videor, in quo non patrocinium ſuſcipiendum cauſæ integræ & argumentis ubique affluentibus refertæ, ſed dubiæ, difficultatibus ubique conſitæ, & in qua forſan optimus dicendi magiſter ingenii & Eloquentiæ laudem facile decoquere poſſet. Clamant enim parentes, *Comœdiarum* & *Ludorum Theatralium* uſu, Juvenes ad Rempublicam natos, ad mollitiem, ad otium, ad temporis perditionem abduci. Clamant matres, filias in locum, ubi amor per viſum & aures intret, à re domeſtica, à caſtitatis & modeſtiæ legibus abduci. Clamant mariti, pudicas uxores laſcivo hiſtrionum & pantomimorum ſaltu, geſtu, perſonarum ſcenicarum impudica oratione, ad illicitos amores pellici, & ſopitos lubricæ ætatis motus iterum moveri & ſuſcitari. Clamat ſubditus, fruſtra Judicum fores pulſari, ubi magiſtratus ad ſpectacula defluat; imo & ipſe tan-

D d 2 dem

diſtracta, malebam iteratæ editioni in his Miſcellaneis locum dare, quam paucas pagellas iterum ſeparatim prælo committere. Pium vero lectorem rogo, ne temere ex ſola *Orationis inſcriptione* judicet; quam ſerio enim rem egerim, atque *Ludorum Theatralium* cauſam defenderim, ex lectione cuilibet facile patebit.

dem clamat coquus, totam in expectatione, longiori comœdia, cœnam aſſatam & exuſtam. Creditisne jam A. P. me tantum hominum globum in partes meas modica admodum & inexercitata dicendi facultate abrepturum ? Putatiſne Auditores, me his omnibus ex aſſe reſponſurum, variasque difficultates, vel a bono cive, vel à morum & pietatis cultore, contra ſpectaculorum theatralium uſum exhibitas, me ſolidis & invictis argumentis exſoluturum ? Exiſtimatiſne tandem A. Nobiliſſimi, hominem umbraticum, tecto, in loco à theatris & urbibus ſemoto, gaudentem & umbra, & ſimplici & agreſti vita, in auguſtiſſimum hoc auditorium delatum, rationes inventurum, quibus vobis facile perſuadeam, ſcenas & theatra in hac urbe extruenda, atque perſonatum hominum chorum in noſtram civitatem advocandum eſſe ? Cum autem Veſtris, Mecœnates Spectatiſſimi, obtemperandum ſit imperiis, meum eſt ludorum theatralium uſum omni niſu & ratione defendere. Faciam ergo, ut *Carneades* injuſtitiam, *Quinctilianus*, oratorum optimus, Meretricem atque Tribunum Marianum militi ſtuprum inferentem defendit. Orationem ergo habebo A. H. quali *Heinſius* pediculum, *Eraſmus* ſtultitiam, ebrietatem & tertianam alii, laudarunt & extulerunt. Cum enim, teſte *Plinio juniore*, oratoris officium ſit, bene dicere in cauſis, quatenus rerum & perſonarum conditio patitur, nemo, quantum ego quidem confido, abs me expectabit, quod in cauſa ſatis ſuſpecta, nolentes & repugnantes obtorto collo perpetua Eloquentiæ ubertate in partes meas trahere poſſim. Cum autem ſæpius per integras horas non ſine attentione & delectatione varias in theatro perſonas loquentes audiveritis, mihi ut jam eorum cauſam agenti, eandem gratiam & voluntatem per breviſſimum tempus præſtetis, ea qua decet ſubmiſſione & obſervantia rogo atque obteſtor.

Primo

Primo ergo, ne cauſæ meæ deeſſe videar, ne *COMOEDIARUM* Fautores & Patroni aliquid, quod ad præſidium *Ludorum Theatralium* afferri poſſet & deberet, à me neglectum aut omiſſum conquerantur, fabularum ſcenicarum uſum ex remota antiquitate vobis repetere & probare primo jam loco conſtitui. Noſtis enim A. P. quanta apud nos ſit, ut apud moratiores gentes omnes, antiquitatis exiſtimatio: Quidquid enim ex longa ſeculorum & temporum antiquiſſimorum perpetua ſerie & conſuetudine ad noſtram defluxit ætatem, illud communi gentium conſenſu, bonum, juſtum, æquum & laudabile cenſetur. Nihil autem in omni diſciplinarum genere antiquius, nihil magis venerandam redolet priſci temporis memoriam, quam ludorum ſcenicorum inventum; Tanta illorum eſt vetuſtas, ut originem Comœdiarum & Tragœdiarum antiquiſſimi ſcriptores ne quidem certo evolvere poſſint. Natales habet ludus ſcenicus in remotiſſimo tempore mythico, in quo ſecundum Poëtam

- - - - - - Frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignemque laremque
Et pecus & dominos communis clauderet umbra.

Cum enim homines à natura ad Sacrorum culturam, honorem Deorum, & laboris intermiſſionem animum intenderent, non in luctu & mœrore, ſed in hilaritate & curarum oblivione tempus illud collocandum eſſe exiſtimabant. Variorum hinc Deorum Gentilium cultus natus fuit & exortus, inter quos Liberum Patrem, triſtia mortalium pectora curis ſolventem, primum poſuere, cui Satyros & Silenos comites adjunxerunt: In hujus præcipue honorem vetuſtiſſimi mortales collectis frugibus conventus cogere, genio indulgere, vino ſe proluere, liberiora ſcommata effundere, alter alterum inter hilaritates

& pocula dictis inceſſere cœperunt. Ita paulatim ab his initiis crevit, ut feſtorum dierum cura & Solemnitas, ita etiam, creſcente hominum induſtria, in ordinem aliquem coacti liberiores joci, ex quibus primo *Satyricæ fabulæ* & *poëmata* nata ſunt. Antequam enim homines in Græcia urbes colerent, & pagatim in ſylvis & agris diſperſi habitarent, hæc dramaticæ Poëſeos fundamenta jacta ſunt. Originem *ſcenicæ fabulæ* ita etiam deſcribit *HORATIUS*:

- - - - - Agricolæ priſci, parvoque beati,
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus & ipſum animum, ſpe finis dura ferentem,
Cum Sociis operum, pueris & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant;
Feſcennina per hunc invecta licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

Cum jam, modo & ratione ita deſcripta, artis ſcenicæ fundamenta jacta eſſent, mox ſequente tempore verſus in Deorum honorem componere, eorum laudes & beneficia carmine deſcribere, & Deos ipſos in fabulis loquentes introducere cœperunt; quod *Tragœdiæ* fuit initium. Ex quo jam facile colligitis A. P. quod Satyrica Græcorum poëſis omnium ſit antiquiſſima, quæ confuſa ex Comœdia & Tragœdia primitus conſtabat, quia antiquo illo tempore iidem poëtæ, qui Satyrica poëmata ſcribebant, etiam ſimul Tragœdiarum auctores fuere. Cum vero hoc modo paulatim hominum ingenia frequentiore exercitatione à naturali ſtupiditate & hebetudine, ad liberius vitæ genus eſſent transmiſſa, varia inſequenti tempore ludorum theatralium genera fuere exorta. Primi equidem dramaticæ poëſeos auctores & fabularum ſcenicarum architecti, inter Tragœdiam & Comœ-

Comœdiam diſtinctionem hactenus nullam excogitaverunt, ſed ab iis, qui ad majorem ſplendorem, ordinem & elegantiam ſcenam evehebant, Tragœdia novo ornatu commendari, & Comœdia, novum jam ſcenæ genus, extolli cœpit. Tum ſtatim confuſa antè ex utroque Satyrica fabula penitus ſepulta & abjecta. Prima hæc *Comœdiæ* inventio *vetus* dicta, quia multa adhuc cum Satyrica poëſi & priſca ſimplicitate communia habebat, nec illa certis hactenus regulis & membris eſſet addicta: Miræ etiam erat hæc vetus comœdia licentiæ, quia ea principum, heroum vitam & mores, ne ſuppreſſo quidem nomine, cruento dente laceſſeret. Hanc veterem excepit *media*, quæ vitia exagitabat diſſimulato nomine. Poſt hanc tandem caput extulit *nova*, à *MENANDRO* exculta, ex cujus ſcriptis modicæ admodum nobis remanent tanquam ex ingenti naufragio tabulæ. Ut jam magnifica & decora à Græcis facta Tragœdiæ & Comœdiæ facies, ita etiam utramque talem excepere Romani; hinc Latini Comici & Tragœdiæ artifices ex Græcorum fabulis & inventis, aliena arte & ingenio ſuperbientes, ſcripta ſua locupletarunt; docent nos *TERENTII* fabulæ, quas *Philemoni* & *Menandro* furtim abſtulit comœdias; docet nos *SENECÆ Tragici* exemplum, qui ex *Sophocle* & *Euripide* cothurnos ſuos inſtruxit. Hos jam natales & primordia ex remotiſſima antiquitate brevibus hic exponere neceſſarium videbatur, ut ante omnia ſua ſe vetuſtate cum ludis theatralibus commendaret comœdia. Quis jam eſt, A. H. qui receptam apud gentes, quibus omnium artium & diſciplinarum incunabula debentur, perpetuam conſuetudinem apud nos antiquare ſuſtineat? Quis eſt, qui gentibus, quibus ſanctiſſimas legum tabulas, & doctrinæ moralis perpetua exempla debemus, non laudabilem & decorum in Republica bene inſtituta ludorum theatralium uſum affirmare

 audeat?

audeat? Mos eſt ſua antiquitate venerabilis; hunc ergo morem, ut *QUINCTILIANUS*, optimus dicendi magiſter, de *Ennio* dicit, ſicut ſacrum vetuſtate lucum conſervabimus, qui non tantum habet apud nos ſpeciem, ſed ex antiquitate religionem. Si ergo Græci Romanique, homines ad unguem facti, boni juſtique perpetui Cenſores, ad Reipublicæ decus & ornatum commodam & ſalutarem judicarunt Ludorum Scenicorum operam, quare ergo nos à tam laudabili inſtituto animum oculosque averteremus?

Si autem quisquam eſt, A. P. qui antiquitatem contemnit, facile erit, per omnes probationum claſſes, quas nobis *Cicero* & *Quinctilianus* præſcribunt, decurrere, & Ludorum theatralium non utilitatem tantum, ſed & neceſſitatem demonſtrare, ita ut nullus veſtrum deinceps futurus ſit, qui non promto animo Comicis atque Tragicis theatris locum apud nos ſit conceſſurus.

Unaquæque res vel conſuetudo publice probata, quam Reipublicæ moderatores intra mœnia recipiunt, & ſuo quaſi conſenſu fovent, vel utilitatis publicæ, vel commoditatis, civilitatis, vel jucunditatis communiter probatæ nomine, commendari debet. Hoc jam à vobis, A. majorem in modum peto & contendo, ut victas pro comœdia manus detis, ſi invictis per has claſſes rationibus cauſam meam theatralem vobis probavero. Suadet ergo primo utilitas, juſti prope mater & æqui, ut ait *HORATIUS*, theatrales ludos in urbem advocandos; quid enim magis ſcenam & theatrum propugnat & defendit, quam fabularum ſcenicarum non utilitas, ſed neceſſitas, quæ vitia omnis generis quocunque modo urbe & civitate ejicere, depellere, atro carbone notare, proprium ſuum & perpetuum finem habet. Non Reges, non Principes, non accuratiſſima Legum ſcondendarum ratio ita preſſo pede vitia poſſunt inſectari,

ri, ut illud Comici faciunt, & feliciter exequuntur. Sola Comœdia publice audet

Detrahere & pellem, nitidus qua quiſque per ora
Cederet, introrſum turpis.

Scopus Societatis eſt, ut homines, ſepoſita vitiorum intemperie, honeſte vitam agant; Huc leges, huc placita & reſponſa ſapientum, unice tendunt; his vero amicas manus jungit comœdia, quæ temulentum, quæ avarum, quæ ſub religionis larva omne criminis genus committentem, quæ amatorculum inſanum, quæ vetulas & mulieres jam edentulas, in amore & inſano adhuc veſtium ornatu, ad exemplum primæ ætatis puellarum inepte ſuperbientes, ſeque pueris adhuc probare ſtudentes, ineptiæ ac ſtultitiæ arguit, & ad meliorem forſan mentem reducit, ut dehinc publicis hominum ſibilis ſe exponere deſinant. An non hoc grande & magnificum Comœdiæ emolumentum? quo zelotypus maritus, quo ad luſum & aleam effuſus juvenis, quo forma ſua & novo veſtium ornatu captus Adonis & amatorculus, quo affectati Sermonis imitator, ad inſaniæ ſuæ cognitionem adducuntur. Si forſan hujus rei teſtimonium deſideratis, graviſſimum dabo, auctorem enim & teſtem habeo elegantiſſimum Eloquentiæ Romanæ Parentem *CICERONEM*. *Fabula*, inquit, *confictæ ſunt à Poëtis, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ cottidianæ videremus.* Teſtem habeo Celeberrimum Gallum D. de la BRUYERE, qui cum diu contra Comœdiam diſputaſſet, hoc fere unicum in patrocinium addit: *On dit, que Arlequin avec un ridicule aſſortiment de rubans a fait eclipſer les grandes Fontanges de Paris; Que les folies d'Octavie ſont des leçons de ſageſſe, combien il eſt fatal, de s' abandoñer à l' amour. Le Phœnix detruit la fauſſe vertu de prudes; La Baguette decouvre l' artifice d'une Femme qui affe-*

ƈa de la paſſion pour ſon Mari, qu'elle n'aimá jamais. Teſtes tandem habeo pueros omnes, qui tempus matutinum in coma concinnanda, & corpore ad genium ſeculi exornando conſumunt. Teſtes habeo viros plurimos ſplendide compoſitos & ornatos, qui, ut *Seneca* ait, magis amant Rempublicam, quam capillorum criſpatum ordinem turbari. Teſtes habeo mulieres & puellas univerſi Orbis, quæ per integras horas tot compagibus altis ædificant caput, ut decenti & magnifico ornatu formæ ſuæ cottidianæ nævos & errores è hominum aſpectu ſubducant. Quis jam veſtrum eſt, A. H. qui cauſam meam tanto teſtium veterum & modernorum exercitu munitam atque ſuffultam damnare poſſit? Quis jam eſt, qui ludos theatrales, communi ſuffragio ita probatos, non admittendos eſſe cenſeat? Sed ſi hæc nondum movent, tanto adhuc Vos, A. P. argumentorum apparatu expugnabo, ut me, non malam vel dubiam, ſed optimam, ſed probatiſſimam cauſam defendere, deinceps exiſtimetis.

Noſtis A. Humaniſs. in quo cenſu Helvetiorum natio hactenus à Gallis, ab Italis, ab ipſis tandem majori nobis pituitæ parte preſſis & gravatis vicinæ Germaniæ incolis habita ſit; Nobis enim vix, ac ne vix quidem, in hominum Societate locum relinquunt, ſed ad brutorum claſſem inique protrudunt, noſque tanquam magnarum ædium moloſſos habent, quibus horrendo ſonitu & acerbo vultu latrandum ſit, quoties vel latrones vel ſicarii palatium ſpoliare tentent. Quid autem illis eventurum putatis, A. ſi apud exteros rumor increbreſceret, Comœdiæ artifices, ludorum theatralium inſtitores, hiſtrionum turbam, Pſaltriarum chorum, apud ipſos etiam obeſæ naris Helvetios, locum inveniſſe? An non illico nos ad veterum Græcorum ſagacitatem & ingenium, ad modernam Gallorum agilitatem transformatos dicturi eſſent?

Sed quæ hactenus à me dicta ſunt & allata argumenta, mihi quidem gravia & egregia eſſe videntur; Aſt alia adhuc ſuperſunt, quæ tantam perſuadendi vim ſecum ferunt, ut nullus jam dubitem, unumquemque veſtrum, certam & deſtinatam argenti ſummulam ad ludos theatrales illico exhibiturum; Et, cum ab initio argumentum ſterile mihi habere viſus ſum, tanta rationum undique affluentium copia me quaſi obrutum ſentio, ut iis omnibus vel enarrandis vel evolvendis & lingua & tempus deficere videatur.

Nemo eſt in tota hac Civitate, qui non mecum facile fateatur, vino, otio & alea in Republica nil eſſe deterius; Nullus veſtrum eſt, A. H. qui non utraque manu mihi largiatur, communes hos eſſe civitatis noſtræ hoſtes, contra quos vel leges vel remedia invenienda ſint: Certiora autem, & quæ magis ſint in promtu, inveniri nulla poſſunt, quam ludorum theatralium expedita inſtitutio. Sic enim qui ad tabernas vinarias decurrunt, qui turpi otio tempus ſegniter abſumunt, qui argentum ludo & alea perdunt & abiiciunt; his, perditi iſti homines, omnibus neglectis, ad ſola Comœdiæ ſpectacula decurrent. Quid præterea utilius, quam mentem lectione veterum & recentiorum auctorum imbui, & ita politiori literatura ad morem ſeculi examuſſitari? Cum autem omnes iſti, vel priſci theatri, vel recentioris temporis comœdiarum ſcriptores, vel immoderata fere pecuniæ ſumma comparari, vel longo temporis ſpatio legi & evolvi neceſſe habeant, brevi tempore Comœdiarum uſu & frequentatione, quæ vel *Æſchylus, Sophocles, Euripides, Ariſtophaneſque* Græcis, vel *Plautus, Terentius, Seneca* Latinis exhibuere, percipi, animuſque omni morum & urbanitatis cognitione imbui poteſt. Quis jam non videt, A, P. brevem hanc & compendioſam ad artium & diſciplinarum experientiam, ad honeſtam vitæ conſuetudinem inſtillandam,

dam, ad mores recte inſtituendos viam, ſolo ludorum Scenicorum uſu & exercitatione comparari poſſe?

Ut autem hactenus ſua ſe utilitate commendavit Comœdia, ita certe non minore commoditate ſua ſe deinceps in vita civili probatura eſt. Quid enim commodius à crapula & ludo ſurgentibus, temporisque ſui teredinem quærentibus, quam tutiſſimum Comœdiæ refugium, ubi vino ſopitæ mentes iterum ſuſcitantur, & hiſtriones ſepultam quaſi animam reſtituunt? Quid certius illis, qui alea magnam æris copiam jacturam fecere, quam Comicorum fabulis, Pantomimorum ſalibus & ſaltationibus moleſtæ memoriæ & detrimenti oblivionem obducere? nulla unquam Philoſophorum Stoa vel Academia tam docta & opportuna fuit ad tantum dolorem tam cito & feliciter abjiciendum & mente extirpandum. Quis unquam ex priſcis & recentioribus præceptorum moralium Magiſtris & Profeſſoribus, ad omnes hominum motus & paſſiones cognoſcendas vel detegendas viam invenit, ut Comicorum deſcriptionibus & reprehenſionibus ſagacitatem & eruditionem ſuam æquiparare poſſet? in quibus interiores cordis receſſus aperiuntur, omnis conditionis & ætatis vita & mores deſcribuntur, & quæ ſint vitia magnatum, quid moliatur herus, quid hera, quid ſervulus audax, tanquam in elegantiſſima tabella nativis coloribus exhibetur. De Tragœdia idem affirmari poteſt; quam opportuna enim, quam apta ad animum hominum humi repentem ex limo quaſi & torpore ad auguſta, ad magnifica extollendum, & ad geſta heroica, ad virtutem, ad magnanimitatem provehendum? In eà enim dum magni heroes loquentes in Scenam prodeunt; Dum Hannibal, ingenti caliendro ad noviſſimum Gallorum genium comtus & ornatus, facta ſua exponit; Dum exempla Ajacis, Herculis, Theſei, Agamemnonis, pectori juvenum calcar addunt; an

non

non ſimul ad patriam tuendam, ad amicos ex miſeria liberandos, ad vitia punienda inſtigantur? Videtis, A. ludorum Scenicorum emolumenta. Quam magnifice *SENECA* dulciſſimis verbis virtutis amorem & mortis contemtum inſtillat? Quam candide homines ad cottidianas vitæ moleſtias & labores ferendos ſuſcitat, & inſtruit, ne imparatum ærumnis pectus gerant? Quam neceſſaria hæc ſint præcepta pueris, ad luxum, ad mollitiem educatis, ne deinceps conſpecto vulnere & periculo, ne ad ſtridorem hoſtilis enſis & globi illico contremiſcant, ſed firmatum præbeant periculis latus, nemo veſtrum eſt, A. qui ignoret. Quis jam porro eſt, qui Comœdiarum & Tragœdiarum uſum, ex uberrimo inde in vitam communem ſe ſe ſpargente fructu & commodo dehinc ex noſtra urbe & Republica proſcribere ſuſtineat? Nulla ætas eſt, nulla conditio, quæ non aliquam inde utilitatem & boni alicujus conceſſionem ſentiat.

Plurima quidem hactenus, A. pro ludis theatralibus audiviſtis argumenta, ſed multa adhuc ſuperſunt, egregia & gravia, quæ vacillantes adhuc animos ad Comœdiæ favorem movere & ſtimulare deinceps poſſunt. Cognitum vobis eſt & perſpectum, nil in vita humana triſti & tenebricoſa vita eſſe calamitoſius; Vitium hoc Graja voce *melancholiam* vocant. Gravi hoc morbo juvenes apud nos laborant, virgines atque uxores moleſtæ pituitæ queſtus Medicis ubique ingerunt, atque lamenta eructant; Sola Comœdia ad hos morbos funditus delendos & curandos apta nata eſt. Quis ergo curarum unicum & dulce ſolamen, tot morborum pertinacium ſalutarem medicinam, è civitate ejicere deinceps auderet? Noſtis ad hæc, A. P. ſenes plurimos apud nos, totamque juventutis coronam, pro naturæ inſtinctu, vel viduarum vel puellarum amore teneri, quibus, qui

avido

avido & ſuſpenſo amore capiuntur, conditos cordis motus aperire & declarare nunquam ſuſtinent; Sed Comœdia ſola eos audaces facit, dum enim perſonæ comicæ vim amoris, ſollicitos pectoris ignes perpetuo Eloquentiæ flumine exprimunt, inde ſæpius linguæ repagula ſolvuntur, dum voces & ſententias arripiunt, quibus tandem vulneratum amore pectus aperire & ſignificare poſſint. Quot jam torrida & amoris ignibus & flammis languentia pectora in Orcheſtra ſuo onere fuere liberata? Sed non minus emolumentum ex ludis theatralibus viduæ & puellæ, quam maſculi, colligunt atque percipiunt, cum enim innata fœmineo generi modeſtia, vel formæ ſuæ venuſtatem, vel ad conjugale vinculum propenſionem exponere prohibeat, ſola Comœdia ſine dedecore & famæ detrimento illas omnium oculis tanquam eximia amoris pignora proponere poteſt, dum enim

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.

Verum non formam tantum, non modo roſeam cervicem, vultuſque ſui decus & elegantiam, ſed & novarum veſtium ornatum & fulgorem publice ita exhibere & exponere poſſunt. Quis theatro locus commodior, ad noviſſime effictas Gallorum, vel in ornatu capitis, vel alio veſtimentorum genere, ornandi & cincinnandi formulas in apricum explanandas? Quot non mulieres, tenui admodum, vel caſtitate, vel fortuna gaudentes, hac via ad altiorem, vel honorum, vel divitiarum gradum aſcenderunt? Quot non jam matronas atque puellas theatrum, cœlibis vitæ tædio feliciter liberatas, maritali thalamo junxit?

Sed jam ad finem mea paulatim A. H. procedit oratio. Dum vero in evolvendis pro ludis theatralibus argumentis hactenus deſudavi, non plane negligendæ ſunt objectiones aliquot, quas mihi forma-

ri

ri poſſe ſentio. Et ante omnia primævæ Eccleſiæ ab ejusmodi ſpectaculis horrorem non absque gravi ratione obiicietis: Nullus fere primorum Eccleſiæ ſeculorum ſcriptor eſt, qui non doctrinæ evangelicæ diſcipulos, à Comœdia præſertim, tanquam rerum turpiſſimarum ſpectaculo, omni ratione & labore avertere conetur. Quid autem ad hanc ſanctiſſimæ, & in primæva integritate viventis Eccleſiæ legem pro cauſa ludorum theatralium reſponderi cum aliqua argumentorum firmitate poſſit, mihi equidem, ut verum fatear, parum conſtat. Memini autem, à Comœdiæ Fautoribus ad piam hanc Chriſtianorum veterum conſuetudinem reſponſionem aliquam parari: in eo autem pro ludis theatralibus noſtri temporis patrocinium ſe inveniſſe exiſtimant, quod ſcil. in primis naſcentis Eccleſiæ natalibus, gentilium Comœdia non niſi ſarcaſmis, ſcommatibus atque dicteriis, adverſus Chriſtianæ Religionis cultores fuerit referta, quæ vel videre vel audire, in ſanctiſſimæ doctrinæ diſcipulis non incongruum modo, ſed & ſceleſtum & impium futurum fuiſſet. Satis enim cognitum eſt, atque variorum auctorum probatum teſtimoniis, quod temporibus Heliogabali & ſequentibus, cum ipſi Cæſares ad perditam ingluviem & omne propudium deflexiſſent, theatra publica impunitatis & nefandi ſceleris templa facta ſint, in quibus omni plane honeſtate abjecta nudæ meretrices in ſcena chorum agebant: quæ effrenis libido & licentia poſtea correcta & repreſſa. Hoc equidem certum eſt, ludorum theatralium uſum, regnante Theodoſio, ad majorem iterum emendatum & correctum fuiſſe modeſtiam, atque paſſim tum iterum ludi ſcenici ipſis etiam Chriſtianis videre & frequentare permiſſi; ſed nihilominus tamen ſalutari lege cautum erat, ne dies dominica, Deo & rebus ſacris deſtinata, Comicorum fabulis conturbaretur. Aliud tandem ludorum præſidium quidam ſe inveniſſe putant

in

in exemplo *CHRYSOSTOMI*, qui ex Comœdiis *Ariſtophanis* ſtilum ſuum caſtigaſſe, & plurima exinde ad rem ſuam hauſiſſe, à plurimis inſimulatur. Omnia vero, quæ vel ex Scriptis Patrum, vel ex rationibus vel Theologicis vel Politicis, contra Comœdiam obiici poſſunt argumenta, ſolidis & invictis rationibus Eccleſiæ Romanæ Theologia caſuiſtica ita ſolvit & dilucidavit, ut vobis dehinc nec dubium, nec in mente ſcrupulus ullus remanere poſſit. Licet enim priſci temporis ſcriptores, qui Patrum nomine circumferuntur, unanimi quaſi conſenſu adverſus theatra omni ſpiritualium armorum apparatu depugnaverint, nihilominus tamen poſterioris Eccleſiæ Proceres atque doctores, qui feliciter, quod in Eccleſiæ ædificio addendum, vel labefactatum & adhuc deforme emendandum erat, perfecerunt, Comœdiam absque ſcandalo non tantum è civitate Chriſtiana, ut illam vocant, non ejiciendam, ſed potius admittendam & fovendam eſſe exiſtimarunt. Teſtem dabo graviſſimum Eccleſiæ Seraphicum & Angelicum Doctorem *THOMAM AQUINATEM*, virum unanimi Eccleſiæ conſenſu in Patrum numerum receptum; Hic, cum rem maturius examinaſſet, publicam ludorum theatralium inſtitutionem ad Eutrapeliam, hoc eſt, ad decentem morum urbanitatem, pertinere invictis rationibus probavit; Cum enim homo animi relaxatione, ad pia & bona opera eò alacrius peragenda, opus habeat, comœdiarum uſum neceſſarium eſſe cenſuit, cum nec preces fundi, nec mentes rebus ſacris addictæ eſſe poſſint, niſi pectus lætitiâ perfuſum ad ſanctum fervorem prius ſtimuletur. Habetis A. novam & in hoc auditorio forſan vobis inexpectatam, ſed ſolidam, ſed rebus convenientem ad quorundam Theologorum objectiones reſponſionem. Videtis, Studioſi præſtantiſſimi, quam facilis, quam tuta hæc ſit, ad omnes nodos theo-

theologicos exſolvendos, ad omnes turbatas conſcientias illico ſedandas, via & remedium. Ne autem adhuc aliquis Veſtrum, vel Alcibiadis, Comicum tanquam hominem impune in publico civitatis conſpectu mentientem, indeque eum in mare abiicientis exemplum; vel Juſtiniani Cæſaris legem, qua Comœdos tanquam probroſum hominum genus publicâ notavit infamiâ; vel ſanctiſſimos Patres, theatrales perſonas communione Eccleſiæ & Sacramentorum uſu prohibentes, mihi eorum cauſam omni induſtriâ agenti obiiciat, Vobis omnia hæc occupare & diluere me poſſe promitto. Cum enim Thomas Aquinas, Bonaventura, & alii, ex Vita Patrum probent, quod *Paphnutius*, Vir in Eccleſia probatæ fidei & authoritatis, tranquille dormiens viſionem habuerit, in qua Vir hic Venerabilis inter alia Comœdum aliquem ſummum in Cœlo honoris & beatitudinis locum occupantem vidit, nihil deinceps contra hanc vitæ conditionem obiiciendum erit. Quis jam A. hos homines dehinc vel inhoneſtum vitæ genus profiteri, vel jocularem tantum & inutilem artem exercere affirmare ſuſtinebit? Cum tandem videmus, A. P. ſedis Sanctiſſimæ Romanæ Purpuratos Senatores & Antiſtites, Venerandos Eccleſiæ Epiſcopos, perpetuæ caſtitatis & integræ obedientiæ legibus devotos Presbyteros, Comœdiis aſſiſtentes, quare ergo nobis vel dubium ullum orietur, hæc ſpectacula non ſalvâ conſcientiâ à toto Chriſtianorum cœtu poſſe frequentari? ubi gregis antiſignani primi Scenicorum portam ingrediuntur, Orcheſtram occupant, & perſonarum ſermonibus & fabulis aurem mentemque deliniunt. Quis tandem unquam audivit, teneras, molles, & in rebus leviſſimis ſuſpenſas hominum religioſorum mentes comœdiarum uſu fuiſſe vel leviter vulneratas? Quis unquam audivit in venerando peccata confitentium tribunali, vel cottidianam ſpectacu-

ſtaculorum theatralium frequentationem, hominibus ſuſpiria & ærumnam extorquere, vel de cohibenda, Comicorum colloquia audiendi conſuetudine dubium ſuſcitare potuiſſe?

Ut nunc tandem, A. N. è pictoris pergulâ, ubi ficta erant omnia, (quo enim alio dicendi genere ad cauſam Comicorum defendendam, quam comico, convenientius uti potuiſſem?) ad Vos redeam; Non jam vel ſatyrice vel ironice, ſed ut mihi res ipſa videtur, ſententiam meam deinceps declarabo.

Theatrales ludi, ut res fere omnes, lapſu temporis, quales eos à Græcis & Romanis accepimus, à Chriſtianis mihi videntur deteriores facti; ſive Anglorum ſpectem, quæ auctore Johnſonio caput extulit, comœdiam, ſive Gallorum, quæ Molierio famam ſuam & patrocinium debet. Habent equidem omnes plurima virtutis præcepta, vitia atro carbone pingunt; interim tamen interlocutiones tantum mali habent, quantum virtutis & morum præcepta in illis contenta utilitatis. Ego equidem nullus dubito, quin brevi tempore, ut luxus crevit & effuſa licentia, theatrum apud nos locum & commodum domicilium inventurum ſit; dudum haud dubie id factum eſſet, niſi ambitioſa paupertas retinuiſſet; ad tabernariam ergo, qualem quædam Italicæ urbes quondam habebant, nobis recurrendum erit. Ludum tamen aliquem theatralem, & ad regulas veterum Comicorum adornatum, & ego ferre poſſem; ſed à laſcivo hiſtrionum & ſaltatorum geſtu & ſermone remotum. Comœdias vel Tragœdias in Reipubl. Chriſtiana facile admitterem, quales vel *Gualtherus*, vel *Aretius* & *Beza*, vel alii probatæ virtutis viri quondam compoſuere. Optime & elegantiſſime de Comœdia judicarunt elegantiſſimi ſcriptores epiſtolarum, *ſur les Anglois, ſur les François & ſur les Voyages*, dicentes: *Si la Comedie étoit rectifiée & purgée de ce qui n'eſt que farce, ſi elle*

elle étoit vouée à la correction, autant qu'elle l'eſt à l'amuſement, il ſe pourroit enfin qu'elle eût ſon uſage, & que ce fut un jeú à donner au peuple. Ego quidem, nec Comœdiam nec Tragœdiam virum Sapientem apud nos ad hodiernum, vel Gallorum vel Italorum, genium examuſſitatam optare, certiſſimis argumentis mihi facile perſuadere poſſum: Dum enim ipſa vita ludus eſt; dum ego tumidos Ajaces & Hannibales in plateis decurrentes video; Dum ego juvenes tales, quales Terentius depingit, in amore perditos, animadverto; dum Pſaltrias amoris retinacula ubique ſpargentes deprehendo; dum Senes vel avaros noctu in angiportis ſtantes conſpicio; dum homines pietatis & religionis prætextu aures demittentes, vixque humi repentes video, Comœdiam nullam peto. Unusquisque noſtrum ſcenam ſuam in miſero ærumnoſæ vitæ Stadio exhibet; ubi certe nulla Scenicarum perſonarum larva eſt, quæ ſe attendenti non facile conſpiciendam exhibeat, & certe veriſſimum eſt illud Satyrici:

Humani generis mores tibi noſſe volenti
Sufficit una domus.

Vos autem, A. P. veniam dabitis, ſi, pro argumenti præſcripti ratione, liberiori ſtilo pro Comœdia vobis locutus fui. Si grave contigiſſet argumentum, ſi pro bona cauſa dicendum fuiſſet, à tali equidem dicendi genere abſtinuiſſem. Si contra ludorum theatralium uſum mihi depugnandum fuiſſet, talia mihi forſan dicenda obveniſſent, quæ eruditioni, quæ pietati, quæ auctoritati veſtræ accomodata magis fuiſſent: Nunc autem, ut communi more Comœdiarum perſonæ è Scena diſcedentes exclamant: *Valete & plaudite;* hâc ego rogatione à vobis diſcedo: ignoſcite, & quæ Vobis minus grata & accepta dicta ſunt, æqui bonique conſulite.

T A N T U M.

III.

M. PETRI ADOLPHI BOYSEN,

Diſſertatio Philologico-Critica

De

ΚΥΒΕΙΑ ΑΝΘΡΩΠΩΝ,

In Loc. Eph. IV. 14.

Argumentum.

§. I. Seculi noſtri præ præcedentibus eruditio; Quæ ex ſtudio Philologiæ provenit; Cujus ſtudium defenditur. §. II. Ad Epiſtolas Pauli intelligendas Philologia eſt neceſſaria. Pauli eruditio indicatur, quæ in loco illuſtrato quoque elucet. Κυβεία ex Antiquitate illuſtrabitur in hac Diſſertatione. §. III. Varians Lectio, quam *Millius* annotat, nullius eſt ponderis. Profecta eſt illa à *Jacobo Fabro*, qui male Κυκείαν pro Κυβείαν deſcripſit; qui error probabiliter inde venit, quod Seculo IX. B. & K. iisdem figuris ſignarint. §. IV. *Salmaſii* ſententia proponitur. Vocis Κυβος & Κυβεία ſenſus indicatur. Sententia allata *Salmaſii* refutatur. §. V. *Clerici* profertur conjectura, atque refellitur. Male ex etymologia vocis ad ſenſum ejus concluditur. §. VI. *Bezæ*, *Dempſteri* & *Xylandri* opinio indicatur. §. VII. Sen-ten-

tentia Authoris proponitur. §. VIII. Fraudes in luſu aleatorio olim obtinuiſſe probatur. §. IX. Senſus voci affixus confirmatur teſtimoniis Græcorum. §. X. Ulterius ex Scriptoribus Eccleſiaſticis probatur. §. XI. Conſenſu Talmudicorum & Verſionum, præcipue Syriacæ, pondus ſententiæ affertur. §. XII. Senſus loci explicati breviter enarratur.

§. I.

CUm ea ſeculi noſtri felicitas ſit, ut literæ incrementa ſubinde capiant, & Viri doctrinæ copia, ingeniique viribus excellentes, ad ſummam diſciplinas amplitudinem ac dignitatem deducant; tum imprimis illis divinior cœtus non deſtituitur, qui in peroranda divinioris Codicis cauſa non candide minus quam diligenter verſati ſunt. Unde adeo contigit, ut veritates illæ divinorum ſcriptorum, germanaque ſpiritus ſancti ſententia nobis multo melius pateant, quam veteribus, ab illis, quibus recentior ætas abundat, præſidiis, maxima ex parte deſtituris. Neque vero falli mihi videntur, qui neglectum literarum, quas ab humanitate appellare conſuevimus, ad cauſas referunt, quo minus ad interiorem ſacri Codicis notitiam bona Interpretum pars adſpirare potuerint, ſed partim nodos finxerint, nullo conſilio ſolvendos, partim expedita quædam judicarint, quæ inſigni adhuc difficultate laborant, ſæpius autem mente Spiritus S. exciderint. Quæ cum ita ſe haberent, aliam ingreſſi ſunt viam Viri Eruditi, atque unanimi conſenſu decreverunt, Grammatices, ſanæque φιλολογίας ſtudium,& cum Theologiæ cultura, & cum Scripturarum explanatione, nexu quodam ſingulari eſſe copulandum. Comparentur ornamenta Eccleſiæ noſtræ *CHEMNITIUS*, ὁ μακαρίτης, *Part. II.*

 Loc.

Loc. Theol. p. 217. & *GLASSIUS, in præf. ad Gram. Sacr. Part. II. edit. recentiſs.* ut & *WOWERIUS de Polymath. C. XVIII. WITSIUS in præf. ad opera Gatakeri Crit.* & qui inſtar multorum eſſe poterit, illuſtris *SPANHEMIUS in Epiſt. Hiſt. Crit. V. T. R. Simonii annexa p. 65.* qui noſtram de hoc argumento ſententiam luculenter & copioſe explicarunt. Laudandum itaque eorum inſtitutum, qui ad profanos profecti Authores, nativam vocum ſignificationem ex illis depromunt, & verecundo modeſtoque Critices ſtudio telam, quam alii haud infeliciter exorſi ſunt, pertexunt. Neque ſane illis fraudi eſſe poterunt ψευδερμηνειαι quorundam, quas ex intempeſtiva ſcriptorum profanorum collatione dimanaſſe, graviter *B. CALOVIUS, ὁ πανυ, in Præl. Gener. ad Bibl. illuſtr. p. 14.* monuit. Cum enim hi, profanæ ſapientiæ faſtu inflati, mediam non inſtiterint viam, ſed ipſa adoranda myſteria, ab intelligentia hominum multum remota, ex imbecillitate ingenii humani metiri, ac proprias Theologiæ locutiones ad ſtilum των ἐξω exigere voluerint, bonorum merito indignationi ſeſe propinarunt. Melius viciſſim illi rebus ſuis conſulunt, qui de vocibus, quas ſacri cum profanis ſcriptoribus communes habent, ſolliciti, Græcorum Magiſtros adeunt, indeque locis difficilioribus lucem fœnerantur. Non attinet hic dignis laudibus extuliſſe *Dietericos, Gatakeros, Schmidios, Stolbergios, Caſaubonos, Olearios*, aliosque qui magna cum nominis ſui celebritate in hoc negotio verſati ſunt, ut proinde merito acquieſcamus in *Th. HAYNII*, hominis Angli, *in præf. diſſert. de linguis*, quam vide *in Anal. Phil. Crit. Th. Crenii, p. 14.* effato: *Profanos authores, in uſu quarundam vocum explicando, ſubvenire, par eſt.* Conf. *DILLHERR. in farrag. Rit. Sac. & Sec. in Faſc. VII. opuſc. p. 358.*

§. II. No-

§. II.

Nominatim autem ea, quæ D. PAULUS in literas retulit, difficilius intelligentur, niſi ab illis, quæ nominavimus, ſtudiis tempeſtive interpres præmunitus ſit. Qui enim ſecum perpendit, quanto Paulus ſapientiæ & cognitionis apparatu res divinas exponere conſueverit, nunquam, credo, ei denegabit elogia, quæ *CHRYSOSTOMUS Homil. XLIII.* μεγαλοφωνότατον, *THEODORITUS Epiſt. CXLVI.* πανσοφον, *PHOTIUS Epiſt. CXCI.* τον οὐρανειω παιδευθεντα διδασκαλειω, καὶ των ἀποῤῥητων ῥηματων πρωτον, Paulum nuncupantes, in illum contulerunt. Ipſa illa, quam ad Epheſios exaravit, epiſtola, ad reprimendum, refellendumque hæreticorum furorem compoſita, exquiſitaque eruditione referta, luculenter illam ſuadendi vim, dicendique gravitatem comprobat, quam jam olim admirationi habuiſſe cives Lyſtrenſes, tradit Lucas *Act. XIV. 12.* Cui quidem aſſerto abunde viri eruditi adſtipulantur, nec exiguam fidem facit idonea illa, egregiaque loquendi ratio, qua mores hominum callidos, verſutosque κυβειαν recondita ſententia appellat Apoſtolus. Cujus adeo vocis dulcedine deliniti, præſens molimur inſtitutum; operæ pretium facturos nos eſſe exiſtimantes, ſi genuinam hujus vocis ſignificationem, à pleriſque male intellectam explicatamve, ex ipſis antiquitatis fontibus eruamus, valoremque illius commonſtremus; tantus judicio noſtro qui eſt, ut nihil & ad argumentum ſermonis, & ad perſonas accommodatius dici potuerit; quod ex tractatione, credo, eluceſcet.

§. III.

Ante vero, quam id expediamus, juvat varias hujus loci lectiones, ſi quæ ſunt, exponere, & quo loco habendæ ſint, brevibus diſpicere; ubi equidem

non magnam illarum copiam afferri videas, dum *MILLIUS in N. T. ad h. l. p. 447. ed. Kuſteri.* Celebris inter Anglos ſcriptor, unicam ſaltem lectionem, à vulgata diverſam, adducit, ita comparatam, ut vel primo intuitu non omnium rerum imperito pateat, nullius eam pretii eſſe, tantumque abeſſe, ut aliquam hoc loco lucem fœnerari poſſit, ut & mentem Apoſtoli intervertat & obfuſcet, nec ulla probati Codicis authoritate nitatur, ſed illam potius Lectionum claſſem occupet, quæ à *Lud.* *KUSTERO*, Viro literatiſſimo, *in præf ad Millii N. T.* *3. falſo ita dictæ appellantur. Cum enim, præeuntibus *ERASMO in Comment. ad h. l. T. VI. opp. p. 846. edit. Lugd.* ipſoque, quem modo laudavimus, *MILLIO l. c. à Jac. Fabro Stapulenſi* eam profectam eſſe, exploratum habeamus, qui vel ex male impreſſo exemplo, vel, quod probabilius nobis videtur, male lecto intellectoque Codice deſcripſit, quid pretium ſtatuendum ſit idgenus lectionibus, dudum Viri Clariſſimi *Clericus, Wihtbius, Kuſterus*, aliique monuerunt. Non forte cauſam hujus mendoſæ lectionis inde temere derives, quod in Codicem Seculi IX. vel alium ab hoc tempore exaratum, inciderit, ductusque literarum, quibus ea ætate uſi ſunt librarii, familiares ſibi non reddiderit, ſed permutatis inter ſe elementis ex ſimilitudine ductuum κυκειαν legerit, quam κυβειαν legendam eſſe Codices conſpirant. Exploratum enim veterum monimentorum explanatores reddiderunt, nominatim doctiſſimus *MONTFAUCONIUS* in exquiſito illo opere *Palæogr. Græc. Lib. IV. cap. X. p. 335.* & *Eduard. BERNARDUS in Tab. ſua Alphab. Var.* receptum fuiſſe Seculo IX. à librariis morem, B. & K. literas eadem figura exhibendi. Comparentur cum hactenus dictis, quæ *ERASMUS l. c.* cui eadem ſuboluit conjectura, hanc in ſententiam eſt commentatus. Cæterum non impune tulit illam Lectionem ſuam

Stapu-

Stapulenſis, quandoquidem adverſarium expertus *Job. Stunicam Caſtellanum*, contentioſum pariter ac impotentis animi virum, hanc quoque hallucinationem exprobrari ſibi ab eo videbat. Conf. *Eraſmus* & *Millius l. cit.* Nec minus *ERASMUS* partim *in annotationibus in N. T. l. c.* partim *in Apologia*, qua contra *Fabrum* cauſam ſuam peroravit, *Tom. IX. opp. edit. laud. p. 63.* genuinam noſtram lectionem, aut temere aut per oſcitantiam à *Fabro* ſollicitatam, vindicavit; quibus cauſis motus ille mutavit ſententiam, & a noſtris ſtare partibus incepit.

§. IV.

Hiſce ita præſtructis, pulchri rem operis judicamus, ante ad varias eruditorum, quas de loco hoc fovent, perſuaſiones examinandas proficiſci, quam noſtram depromamus fulciamusque ſententiam, quarum aliæ ita comparatæ ſunt, ut non idoneo nitantur fundamento, aliæ viciſſim, ut nimis longe petitæ ſint, nec ſenſum vocis, qui ampliſſimus eſt, legitime exhauriant. Primo nobis loco, & propter nominis celebritatem, & meritorum magnitudinem, Cl. *SALMASIUS*, exquiſitæ doctrinæ vir, eſt nominandus, qui cum à πολυμαθεςατῳ *Gatakero* de ſubdifficili aliquo loco *Antonini Imperatoris Lib. 1.* εἰς ἑαυτον. §. 8. in conſilium adhiberetur, quam quoque ſententiam ὡς ἐν ὁδῳ παρεργῳ, *Lucianus in Nigrino T. 1. p. 20.* de noſtro loco hiſce verbis, quæ vide *in Annot. GATAKERI ad Anton. l. c. p. 9. opp. Crit. Gatakeri edit. Wits.* expromebat; *eodem*, inquit, *ſenſu*, quem antea verbo κυβευειν adjudicaverat, κυβεια των ἀνθρωπων *uſurpatur ab Apoſtolo; puerorum enim ætas improvida, qui nondum certæ rationis uſum habent, paulo momento huc & illuc impellitur.* Κυβειαν ἀνθρωπων *Apoſtolus appellat rationes hominum temerarias & fortuitas, quæ nullo certo conſilio explicantur.* Cauſas vero, quibus opinionem ſuam ſu-

perſtrueret, nullas attuliſſe virum doctiſſimum videas, præter teſtimonia quædam, ex *SUIDA*, quæ ſignificationem vocis κυβος & κυβευειν, non autem κυβειας. tradunt, hauſta; ex quibus tamen parum præſidii ad Cl. *SALMASIUM* redundabit. Quamvis enim non inviti largiamur, κυβευειν εν τω βιω, præter rationem & cum periculo aliquid facere, Græcis dici, bene memores fragmenti illius, quod ex *Polybio* diverſis vicibus retulit *SUIDAS*: ὁ μεν αλογιςιαν και μανιαν ἐφασαν ἐιναι, το παραβαλλεσθαι και κυβευειν τω βιω, τετ' ἐςι παραλογως τι πρατἰειν και ῥιψοκινδυνως; nec inficiemur, κυβευειν τοις πραγμασι de illis dici, qui nihil ex certo deſtinatoque conſilio agunt, ſed incertis fortunæ caſibus ſe ſuaque committunt. Præterea quoque, quæ hic oppoſita eſt, locutionem ακυβευἰον ἐιναι, eum ex mente *Antonini Imperatoris* εἰς ἑαυτον, *Lib. I. §. 8.* qui ea utitur, denotare, qui firmo certoque propoſito res ſuas conficit. Iſta tamen omnia, re curatius examinata, ita comparata ſunt, ut nihil ad explicationem κυβειας faciant, nec illam voci ſignificationem concilient; cui præterea & autoritas idoneorum ſcriptorum, & textus inprimis συναφεια repugnat. Conſtat enim inter omnes, derivari κυβειαν à κυβος, quam vocem *SUIDAS* πᾶν τἐἰραγωνον denotare ait, *in voc.* κυβος. Licet autem teſſeram aut cubum ſignificet, à Græcis tamen, ῥηἰορικως πανυ loquentibus, ad fortunam periculumque, quod in alea obtinere conſuevit, illud κυβε vocabulum fuit traductum: Eleganter hanc in rem *Author incertus* apud *SUIDAM in voc.* κυβος & ἀδυναἰα, τε ςραἰηγε ἀδυναἰα ἐχοντος, ἀναῤῥιψαι κυβον πολεμε τοσεἰε; quem loquendi modum quam eleganter imitati ſint Latini, hic excutere non convenit. Eundem fere in modum voce κυβειας Græci utebantur; cujus nativam ſignificationem ſi ſpectes, jactum teſſerarum aleamque, ſi metaphoricam, vafritiem & calliditatem, quam adhibebant aleatores, deſignabit.

Ver-

Vernacula lingua non inepte cum quibusdam das Würffel-Kniepen appelles. Utramque ſignificationem idonei ſcriptores calculis ſuis luculenter comprobant, à nobis deinde excitandi. Conf. *BALDUINUS, ὁ μακαρίτης, in Comment. ad h. l. p. 907.* Inprimis vero, non multum ſententiæ Cl. *Salmaſii* tribuendum eſſe, interpretes Syrus & Arabs, quorum autoritatem deſugere non debemus, haud obſcure ſuadent, textusque ſeries jubet. Meminiſſe enim debemus, ſcopum Apoſtoli non eſſe, ut Epheſiorum temerarias & fortuitas actiones, id quod Cl. *SALMASII* ſententia invehere videtur, increpet juxta ac deteſtetur; ſed ut animos illorum ab hæreticorum ſtrophis tempeſtive præmuniat, riteque præparet, ne ſibi ab aliorum calliditate imponi paterentur Epheſii, ſed circumſpecte agerent, aſtutiamque evitarent; non Gnoſticorum ſolum, quos *HAMMONDUS in præf. Epiſt. ad Epheſ.* (*HAMMONDUS* ſemper *Gnoſticos* ab Apoſtolis innui & refutari, valde confidenter & in publicis ſcriptis & in familiaribus, quos cum amicis cædebat, ſermonibus confirmavit, ut adeo ludibrium *Uſſerio*, aliisque doctis debuerit, notante *MOYNEO Obſerv. Sac. p. 598.* adde *CLERICUM in Epiſt. Crit. p. 327. & Cel. ITTIGIUM de Hæres. Ævi Apoſt. Sect. II. Cap. IX. p. 166. ſeqq.*) hic denuo ſibi reperiſſe viſus eſt; ſed Judæorum quoque & Philoſophorum, quæ probabilior *GROTII* ac *CLERICI l. c.* eſt ſententia, inprimis, qui ex Pythagoræ ſchola prodierant; &, à quibus majus periculum imminebat, Pſeudo-Apoſtolorum, quippe qui id unice intendebant, ut decipere incautum, illique, aleatorum ad inſtar, qui homines nummis arte ſua emungunt, fucum facere poſſent. Quæ præterea Cl. *SALMASIO* obſtitit πανουργίας vox, quæ ſequitur, nos à ſententia non dimovet; uſu enim receptum eſſe D. Paulo novimus, pleonaſmo, non vitioſo illo quidem, ſed

quem numeroſum appellamus & ἐξηγητικον, ſuam orationem animare, vocibusque ſæpe ejusdem ſignificationis uti; provocamus ſaltem ad eundem, in quo verſamur, verſum, ubi Apoſtolus eleganti pleonaſmo μεθοδειαν της πλανης conjungit, quibus, ſi ſenſum reſpicias, eandem rem Apoſtolus inſinuaſſe videtur. *HESYCHIUS* enim hanc vocem τεχνας interpretatur. *SUIDAS in voc.* μεθοδευειν: μεθοδευειν, τεχναζεσθαι, ἐξαπατᾶν, & *Ephes. VI. 11.* Apoſtolus per μεθοδειαν διαβολυ, inſidias, ἐπιβυλας και δολυς, intelligit. Non vacat, rem tralatitiam, & communi conſenſu comprobatam, operoſius roborare; illud tamen obſervamus, paria cum *SALMASIO G. CALIXTUM in Annot. ad h. l. Joh. COCCEIUM in Comment, ad h. l.* aliosque, ſentire.

§. V.

Nec mentem Apoſtoli aſſecutus eſſe videtur Cl. *CLERICUS*, ornamentum illud Bataviæ, quando in diverſam prorſus ab aliis abiit ſententiam, in notis, quibus *Hammondianas* in hunc locum obſervationes emendare anniſus fuit, eandem confidenter valde ita explicans: *Vocem* κυβειας, inquit, *non male vertas ſortilegium, ſi liceat uti voce inferioris ævi*; hancque opinionis ſuæ interſerit cauſam, *quod plani talis ſeu ſortibus ad divinandum uti conſueverint.* Quod ultimum momentum uti veriſſime ita ſe habet, & communi reconditæ antiquitatis conſenſu comprobatur, ita vereor, ut conjectura, tali tantum fundamento ſuperſtructa, ætatem ferat, aut calculum mereatur. Digna ſunt, quæ commemorentur, *CICERONIS* verba, quando, *Sortilegus*, inquit, *eſt, qui per ſortes futura prænunciat*, & quæ alibi *Lib. II. de Divin. c. 18.* in argumento non diſſimili dicit: *Quid ſors eſt? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere.* &c. Novimus præterea, quæ viri eruditi de ſortilegio, diverſa ab

Augu-

Augurio & Extiſpicio divinationis ſpecie, plerisque gentibus familiari, monuerunt. Conſulat, qui harum rerum deſiderio tenetur, *BARTHIUM in Animad. ad Statium T. III. 1341. & 1146. DOUSAM Juniorem in Præcid. ad Tibull. C. VIII. p. 432. ed. Zill. C. PEUCERUM de divin.* & ex antiquis *CICERONEM de divinat.* & *VALER. MAXIMUM Lib. I. C. I. p. 6. ed. Hack.* inprimisque *BULENGERUM de Sortibus, ANT. van DALEN Diſſert. II. de Oraculis.* & Cl. *STRUVIUM in Syntagm. Antiqu. de reb. Sac. p. 304.* ut reliquam teſtium nubem ſilentio involvamus. At mirari convenit, quod unica hac ratione ſuffultus Cl. *CLERICUS* ſignificationem voci affinxerit & veteribus incognitam & noſtro loco minus convenientem. Ad conſenſum ſcriptorum ſe provocare non poſſe, ipſe doctiſſimus Vir non obſcure confiteri videtur; quibus tamen non præeuntibus, talem cur accipiamus ſignificationem, cauſa apparet nulla. Nec *EUSEBII* locus, *Hiſt. Eccles. Lib. IV. Cap. 11.* quem excitavit, negotium conficit, quandoquidem à noſtris *Euſebium* ſtare partibus, copioſior deinceps dabitur evincendi locus. Quamvis autem præſidium ſententiæ ſuæ aliquale in Etymo reperierit, res tamen ipſa loquitur, & conſenſu eruditorum comprobata eſt, nullam faciliorem eſſe conjecturam, quam quæ ſola Etymologia nititur. Videatur vel ipſe *CLERICUS in Arte Critica T. II. p. 130. ſeq.* & *in Diſſert. II. Commentario in Geneſin* præmiſſa *de Interpret. Script. §. 12.* ubi inter cætera ait: *Cavendum eſt, ne ex ſola Etymologia ratiocinationes deducamus, ut faciunt quandoque Rabbini, qui paratas hiſtoriolas habent inde confictas.* Cum enim Etymologia nihil fallacius ſit, ut propterea eam ἀλαζόνα μάρτυρα vocet *GALENUS*, facile apparet, rationem ei ſuperſtructam incertam admodum fore. Non enim in ſola nominis ratione interpreti acquieſcendum eſſe, ſed autoritatem etiam aliorum, uſumque

in

in partes vocandum, & præterea ordinis ac συναφείας rationem habendam eſſe, pervulgatum quidem, ſed prudens admodum graveque doctorum monitum eſt. Quod ſi ●im viæ, à Cl. *Clerico* tritæ, inſiſtere velimus, neſcio, quem voci κυβείας ſenſum affingere poſſemus, & quid quæſo obſtaret, quo minus κυβείαν per molem quandam quadratam, fundamento τετραγώνῳ ſuperſtructam, exponendam cenſeremus, cum vox κύβος, ipſo non diffitente Cl. *Clerico*, autore *Suida* πανταχόθεν τετράγωνον denotet. Quæ tamen explicatio, tantum abeſt, ut aliqua veri ſpecie ſe tueatur, ut potius & ludicra ſit, & uſui adverſa, menti ſigillatim Pauli in hoc loco plane contraria. Textus etiam rationem contra Cl. *Clericum* urgeremus, niſi eam ſupra ſatis occupaſſemus, & infra luculentius ſimus tradituri, ut adeo conjectura Cl. *Clerici* de ſignificatu vocis κυβείας magni non ſit facienda, cum fallax ſit nec legitimis nitatur fundamentis.

§. VI.

Pari ratione illi mente Apoſtoli excidiſſe videntur, qui cum *BEZA in vers. h. l.* vocem κυβείας proprie accipiunt, aleamque interpretantur, quam tamen ſententiam ipſe *BEZA* κατὰ τὸν δεύτερον πλοῦν (comp. de eleganti hujus παροιμίας ab aliis neglectæ uſu, *Ariſt. Eth. Lib. II. C. IX. Syneſius in Dione*, *Antonin. L. IX.* εἰς ἑαυτὸν *§. 8.* & ad hunc *Gatakerus in notis*, inprimis *Gyraldus de navigat. C. IX. p. 621.*) in quibusdam editionibus ita emendavit, ut aleatoriam ludificationem ſubſtituerit, ſi *SUIZERO in Theſ. Eccleſ. voce* κυβεία fides habenda; tamen *LEIGHIUS in Crit. Sac. p. 361.* adverſari videtur, quando ex mente Bezæ aleam illam ad incertos caſus, quibus jactantur homines, & ad quasvis incerti eventus res deducit. In partes *BEZÆ* quoque abiiſſe videas *DRUSIUM Lib. VIII. Præter.* & alios, quorum recenſionem habent *POLUS*,

LUS, ſcriptor laude digniſſimus, *in Syn. Crit. ad h. l.* & *CRAUSERUS in Phoſph. N. T. p. 293* quorum opinionem examinandam nobis ſumcremus, ſi exiguæ hæ pagellæ ſufficerent, nec limites, quibus incluſi ſumus, nimis anguſti eſſent. Certi interim ſumus, eam locum hic habere non poſſe, argumentis muniti, quæ partim jam delibavimus, partim adhuc ſubjiciemus. Neque porro multum deſudamus in ſententia *Th. DEMPSTERI, Scoti, in Paralip. Roſini p. 432. ap. Crauſerum l. c.* excutienda, qui hic neſcio quod periculum ac diſcrimen, quod hominibus immineret, à Paulo connotari, ſibi & forte aliis perſuaſit, reclamante licet & vocis natura, & textus ratione. Parum præterea moramur *Guil. XYLANDRUM*, qui quamvis multam lectori ſpem de interpretatione vocis κυβειας feciſſet, *in Obſerv. ad Anton. Imper. l. cit.* in eo tamen induſtria ejus ſubſtitit, ut verba tantum, & quæ antecedunt κυβειαν, & quæ ſequuntur, explicaverit, ipſa voce relicta; ita enim, *D. PAULUS*, inquit, *monet, ut* κυβειαν ανθρωπων *caveamus, i. e. ne omni vento doctrinæ circumagi nos, & in errorem abripi patiamur.*

§. VII.

Quæ cum ita ſe habeant, nihil amplius reſtare videtur, quam ut noſtram tandem, quam ſupra jam attigimus, proponamus plenius firmemusque ſententiam. Ubi mittimus propriam ſignificationem, qua *luſum teſſerarum aleamque* denotat; ita enim *ARISTOTELES Lib. I. Rhetor.* &, ut reliquos taceam, *PLATO in Phædro*, qui etiam πεττειαν καὶ κυβειαν ſollicite diſtinguit, atque utriusque inventionem Ægyptiis tribuit, in quo momento eum ſecuti ſunt ex veteribus *DIOGENES, de vit. Philoſ. Proœm. n. 2. p. 8.* & quos allegavit Authores *MENAGIUS in Obſerv. ad Laërt. l. c. p. 8. edit. Meibom.* & *PHAVORINUS in Lex. p. 1494.* Adde, ſi placuerit, *Th. HYDII*, viri

ri in literis ac antiquitatibus Orientis apprime verſati, *Commentarium*, nec ineruditum, nec invenuſtum *de ludis Orientalibus L. II. §. 1.* ubi diverſa illa nomina, quibus aleæ ludus ſignificatur, excuſſit; eam ita explicandam putamus, ut Apoſtolus reſpexerit ad *aſtutiam fraudesque aleatorum*, ac mores hominum denotarit, ad calliditatem, verſutiam, ac decipiendum ea ratione compoſitos, qua agyrtæ & aleatores pueros nec uſu nec judicio confirmatos, aut infimam multitudinem, rudem illam quidem, ludique ignaram, arte ſua fortunis bonisque evertere, atque mira defraudandi libidine circumvenire alios, doloque ſuo ac malis artibus fallere conſueverunt.

§. VIII.

Aleam autem non minus arti, quam fortunæ patuiſſe, luſoresque calliditate ſua ac ſubdola animi nequitia, quod male ceciderat ex teſſerarum jactu, emendaſſe pariter ac fraudulenter correxiſſe, non dubitare ſinunt ea, quæ Cel. *BERGERUS* nuper admodum non ſine exquiſito diffuſiſſimæ doctrinæ apparatu explanavit, cum aleæ veteris fraudem ipſo Præſide excutere mihi liceret. Quamvis vero otium nobis abunde factum videamus, temperare tamen nobis non poſſumus, quominus quædam adhuc eaque luculenta aſtutiæ aleatoriæ documenta ex eodem repetamus. Illuſtris ille, ſed in vulgus notus, incerti authoris Trochaicus, *P. Syri* mimis annecti qui ſolet: *Aleator quanto in arte ſua melior, tanto nequior*, non obſcure comprobat, quanta calliditate uſi fuerint aleatores, ubi aliis fallacias intendere ſatagebant. Celebre præterea eſt illud *Lyſandri* dictum, Philippo Macedoni quod alii tribuunt, autore *ÆLIANO Var. Hiſt. Lib. VII. C. 12. p. 140. ed. Schef.* alii tamen Dionyſio Majori aſſignari malunt, ut fecit *PLUTARCHUS in Lib.* περι της Αλεξανδρυ τυχης ἡ ἀρετης λογ.

λογ. ά. qui tamen diffidentius rem agit, dum alibi *in Apophthegm. p. 229. & Vit. Lyſ. p. 437.* Lyſandro tribuit, monentibus *GATAKERO l. ſæpius cit.* & *SCHEFFERO in not. p. 327.* τȣς μεν παιδας κυβοις καὶ ἀςραγαλοις, τȣς δε ἀνδρας ῥημασι καὶ ὀρκοις ἐξαπατᾶν δει. Comparentur *DIO PRUSÆUS*, graviſſimus ſcriptor, *Orat. 74. p. 640. ed. Lut. 1604. POLYÆNUS Lib. I.* alii.

§. IX.

Cum itaque hoc ludicri genus dolo fallendique artibus ſæpius confectum ſit, idonei ſcriptores vocem κυβειας eo, quo nos, modo ſunt interpretati. Locuples admodum gravisque teſtis eſt *SUIDAS T. II. voc.* κυβεια, qui ita, κυβεια, πανȣργια, quam *Ariſtoteles* δεινοτητα ȣκ ἐπαινετην eſſe ait; & *PHAVORINUS in Gloſſario p. 1612.* Κατεχρησαντο τη λεξει πανȣργιας καὶ πανȣργȣ οἱ παλαιοι, καὶ ἐπι τȣ ἐν κακοις νοημασι καὶ ἐργοις ἐνεπιβȣλȣ, *& alibi. p. 1410.* Αποπλανημα καὶ την ἀπατην πανȣργημα λεγȣσι. *IDEM* veterum ſcriptorum compilator, luculento non minus quam eleganti veritatis documento, noſtram confirmat ſententiam, ubi hanc gloſſam adjecit: Κυβεια, πανȣργια, ἡ παιγνιον. Non aliter *PHOTIUS*, ἀνεκδοτος: Κυβεια, πανȣργια. Rei ſummam declarant *Scholia Ariſtophanea Act. V. Sc. 3. p. 277. ed. Genev. 1607. fol.* nec minus eleganter *BOURDINUS* ad ejusdem *Theſmophor, p. 770.* & *GERARDUS ad Plut. p. 6. E.* Præclare præterea ſuffragatur *HESYCHIUS*, quando hanc in ſententiam: Κυβευσαι, πηξαι, ταβλισαι, χλευασαι, quam ultimam vocem non incommode *illudere*, *ſubſannare*, *decipere* vertas. Ita enim *ARISTOTELES Lib. II. Rhet.* 'Οργιζονται δε τοις καταγελωσι, καὶ χλευαζȣσι, καὶ σκωπτȣσιν. Et *PHAVORINUS l c. p. 1867.* appoſite: Χλευαζω, χλευη, ἀπατη, καὶ χλευασια. *Gloſſa.* ἀλωπος. lege. ἀλωπος, ἀλωπηκωδης, πανȣργος.

§. X.

Quamvis vero hæc ita comparata ſint, ut rem egregie declarent juxta & confirment, magis tamen exploratior reddetur, ſi conſenſus ſcriptorum, quos Eccleſiaſticos vocamus, accedat. *EUSEBIUS* ex *IRENÆO Lib. III. adv. Hær.* de Marco quodam dicturus, mores hominis ingeniumque ad varias fraudes atque fallendi artes fuiſſe conpoſitos, monet, quandoquidem μαγικης κυβειας ἐμπειροτατος fuerit, id eſt, vertente Doctiſſimo Interprete, *H. VALESIO*, *magicarum præſtigiarum peritiſſimus*; nec aliam explicationem vel vocis ratio, vel etiam ipſa locutionis *Euſebij* ſeries admittit. Dixerat initio de Cerdone, qui ex Simonis Schola ac diſciplina profectus, Romæ novæ ſectæ author pariter ac caput fuerat. Hunc excepiſſe Marcionem Ponticum, ait, Scholam latius propagantem, ejus tamen ἀποκρυφον ὄυσαν καὶ λεληθυιαν την κακιαν denudaſſe *Irenæum*. Pari cum Marcione fraude atque malitia uſum fuiſſe alium quendam, nomine Marcum, author eſt *IRENÆUS*, quæ verba Græce *Euſebius* elocuturus, μαγικης κυβειας eum peritiſſimum facit; manifeſto indicio, non alio, quam hactenus explicato, ſenſu vocem κυβειας accipi vel poſſe, vel debere. Magis diſerte *THEODORITUS* ad hunc Apoſtoli locum *p. 308.* Την κυβειαν, inquit, Παυλος πανȣργιαν καλει. πεποιηται δε, ita pergit, ἀπο τȣ κυβευειν το ονομα. Ιδιον δε των κυβευοντων, το τηδε κακεισε μεταφορειν τας ψηφας, καὶ τȣτο πανȣργως ποιειν. Similiter *CLEMEMS ALEXANDRINUS Lib. I. Strom. p. 290.* διαλεκτικα ἀσκȣντας τεχνυδρια, idque agentes, ut inani labore ex ſcriptura errores ſuos pallient, atque adeo fucum imperitis faciant, κυβειαν ἀνθρωπων atque πανȣργιαν exercere, graviter inſinuat. Non minus eleganter *CHRYSOSTOMUS Homil. XI. in Ep. ad Eph.* κυβευται λεγονται, inquit, οἱ τοις πεττοις κεχρημενοι, τοιȣ-

τοι εισιν οἱ πανεργοι, ἐπειδαν ἀφελεςερες τινας λαβωσι. Et qui ex hoc fonte rivulos ſuos duxerunt, *Theophylactus* atque *Oecumenius.* Plura hanc in rem ut excitemus Patrum loca, exiguæ hæ pagellæ non ferunt; adeat interim, qui deſiderio eorum tenetur, *SUICERUM*, multæ variæque eruditionis atque acerrimi judicii virum, in elegantiſſimo libro, *Theſaurus Eccleſiaſticus* qui vocatur, *voc.* Ἀιρεἶικος *num. 3. T. I. p. 126.* & κυβεια *T. II. p. 181.* cui multa nos debere, ingenue profitemur.

§. XI.

Talmudicis quoque frequens vox eſt קיביא, quam, ut multas alias, à Græcis acceperant, ita tamen, ut ab ea, quam inſinuavimus, ſignificatione non diſceſſerint. De קוביא enim & קוביוסטוס, h. e. *alea* & *aleatore* ita pronuntiant, ut utramque hic paginam fraudes & dolos facere exiſtimaſſe videantur. Propterea *R. MAIMONIDES* aleatorem à furto & rapina proximè abeſſe pronuntiavit in *Tract.* גזילה ſeu *rapina*, quando ait: הימשח קוב קוביא הדיוה גזלו i. e. *ludens aleis raptor.* in *Tractat. Talmud.* הולוז *fol. 9. cap. 2.* אנב & קוביוסטוס h. e *fur & aleator* conjunguntur. Videatur *DRUSIUS in Bibl. Critic. Tom. V. pag. 611.* *BUXTORFIUS Lex. Talm. Rabb. voc.* קוביא. & *GROTIUS p. 45.* Quæ res, quamvis non levem noſtro aſſerto fidem faciat, majus tamen robur collocamus in conſenſu interpretum, inprimis antiquiorum, Arabis videlicet, & qui maximæ authoritatis eſt, Syri. Huic enim verſioni tantum tribuitur à nonnullis, ut eam ab Apoſtolico quodam viro, adhibitis in conſilium Apoſtolis, elaboratam eſſe arbitrentur. Vide *B. FRANZII* elegantiſſimum librum *de interpretatione S. Scripturæ, ap. Crenium in Muſæo p. 287.* junge *TRMELLIUM, Jac. MARTINI in*

præf. ad N. T. Syr. & *FABRICIUM in dedic. Reliqu. Syr.* Hi enim doctrinam fallacem, aſtutiam, verſutiamque expoſuerunt, quorum autoritatem declinare cum non conſultum videatur, in illis fundamentum præſidiumque ſententiæ noſtræ nos reperiſſe putamus. Ita enim accepit *D. AUGUSTINUS De Civ. D. Lib. XXII. c. 18.* integrum inciſum latine ſic exhibens: *ut ultra non ſimus parvuli, jactati & circumlati omni vento doctrinæ, in illuſione hominum, in aſtutia ad machinationem erroris.* Nec abludit vetus Interpres, qui per *nequitiam* exponit, Gallus obſoleta voce *piperie*, alius magis eleganter *fineſſe*, *tromperie*, Italus *Malvagita d' huomini*, & *ERASMUS* commodius *verſutiam aleatoriam*, optime vero *D. LUTHERUS* Schalckheit der Menſchen, reddiderunt. Conſenſum aliorum quorundam, qui Commentariis ſuis N. T. illuſtrarunt, hic exponere non juvat, quandoquidem eo labore viri doctiſſimi *POLUS l. c. LEIGHIUS l. c. CRAUSERUS l. c.* jam pridem defuncti ſunt. Adeundum tamen inprimis ſuaſerim *CANTERUM*, cujus verba notionem κυβεια ανθρωπων luculenter exponentia, inſerta leguntur *collectioni Adagiorum* abſolutiſſimæ, uti vocatur, ſub titulo *Verſutia p. 360. ed. Wechel. 1643.*

§. XII.

Atque hæc eſt inſignis illa metaphora, quam orationi ſuæ inſeruit Tarſenſe Oraculum; duæ priores, quibus utitur, non minus elegantes ſunt. Altera ſumta eſt à puerulis, levibus quibusque rebus facile, ad quodcunque volueris, pelliciendis. Altera à navibus, gubernatore deſtitutis adeoque ἀναρμιςοις, & quovis vento facile ad ſcopulos allidentibus. Tertia, ut *FLACIUS in Gloſſ. Comp. N. T. pag. 942.* ait, à fraudibus aleatorum hauſta, qui habent *Singularia quædam compendia fallendi imperitos colluſores.* Confer præter

FLA-

FLACIUM, *CALOVIUM l. ſupra laud. & GATAKERUM.* Omnia vero hunc in finem ab Apoſtolo diſputantur, ut in doctrina, quam ſemel erant amplexi, confirmentur Epheſii, ſibique cavere diſcant ab Hæreticis, ἐν (Præpoſitio ἐν ſæpe pro *per* uſurpari, præter *GROTIUM ad h. l. & GLASSIUM in Phil. Sacr. p. 1039.* oſtendunt *PFOCHENIUS in diatribe de Pur. Stylo N. T. Sect. 63.* & *GATAKERUS in Diſſ. de Styl. N. T. c. 18. p. 114. Opp.*) τῃ κυβείᾳ, *per præſtigias ſuas*, malasque artes, imperitos, nimisque credulos, ac diſciplinam Chriſtianam non ſatis edoctos, qui decipere, irretire ac circumvenire conſueſſent. Ut adeo integri commatis ſenſus, ſerie orationis paulo altius repetita, huc fere redeat: „ Omnibus nobis eo enitendum eſt, ut omnes ad eandem perveniamus fidem, & in viros evadamus, eamque attingamus ætatem, ut adulti plane in Chriſti doctrina, eaque firmiter eruditi videamur; ita enim fiet, ut tuti ab eo infelicitatis genere vivamus, quod hac tempeſtate multis contingere dolemus; qui ſcilicet, infantes adhuc cum ſint, & nimia levitate inſtabiles, ac ſine juſto pondere jactati, inſtar navium, omni doctrinæ vento circumferuntur, modo ad hanc, modo ad aliam doctrinam amplectendam proni propenſique, illudente illis aſtutia hominum hæreticorum, qui more aleatoribus non diſſimili, id agunt, ut dolis ac præſtigiis ſuis nos adoriantur, pariter ac nequitiam ſuam fraudis diſſimulatione tegant, illaqueent etiam, atque ad diſciplinam ſuam, fraudum & inſidiarum pleniſſimam, alliciant.

TANTUM.

IV.

J. R. S. V. D. M.

Emendatio & Explanatio

loci ex Epiſtola

FIRMILIANI

AD

CYPRIANUM

in Quæſtionem:

An Hæretici ſint rebaptizandi?

nec non

Emendatio Loci cujusdam

ex *FL. JOSEPHO.*

Argumentum.

§. I. Epiſtolæ *Firmiliani* occaſio. §. II. Locus in ea explanandus. §. III. Rigaltii emendatio rejecta. §. IV. Alia profertur, §. V. & ex Vetere Theologia de Differentia *Catechumenorum* & *Baptizatorum* adſtruitur. §. VI. De diverſo ſtatu eorundem poſt mortem. §. VII. Narratio *Perpetuæ Mart.* de Dinocrate poſt mortem ex tormentis liberato. §. VIII. Auguſtini de hac narratione ſententia excutitur. §. IX. Quid Eccleſia Antiqua de ſtatu Catechumenorum absque baptiſ-

baptiſmo defunctorum ſenſerit, indagatur. §. X. Cypriani verba exponuntur. §. XI. Pro quibus mortuis olim deprecationes & ſacrificia fuerint oblata? §. XII. Quales fuerint illæ oblationes? §. XIII. Interpretes Juſtini M. notati. §. XIV. Quando & quo fine oblationes & orationes pro mortuis factæ ſint? §. XV. *Paſſio SS. Perpetuæ & Felicitatis* examini ſubjicitur. §. XVI. Collector iſtius mouumenti fuit Montanus vel aſſecla quis Montani. *Nova Prophetia* Montaniſtarum teſſera. §. XVII. Montaniſtarum martyria quando & qua ratione a Catholicis fuerint probata? Auctoritas hujus Monumenti & Narrationis cadit. §. XVIII. Quænam illa *Gratiæ Conſummatio*, quam juxta Firmil. & Cypr. Catechumeni ſine baptiſmo defuncti non aſſequebantur? *Commeatus delinquendi*, apud Tertullianum, explicatur. §. XIX. Locus 1. Petr. 3: 21. exponitur; ἐπερώτημα non ſignificat *ſtipulationem*, ſed reſponſionem vel promiſſum. §. XX. Baptiſmi accepti emolumentum. §. XXI. Diverſi Gloriæ cœlitum Gradus. §. XXII. Locus *Fl. Joſephi* emendatus.

§. I.

IN optimis S. *Cypriani* editionibus occurrit *epiſtola FIRMILIANI Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi, ad CYPRIANUM*, græce forte ſcripta, a Cypriano vero latinitate donata; in qua Firmilianus omnem movet lapidem, ut ſuis & Cypriani in unum congeſtis argumentis, adſtruat novi vel iterati baptiſmi neceſſitatem eorum reſpectu, qui olim hæretici, relicto errore, Eccleſiæ Catholicæ ſe additurí erant. Vulgo enim

 notum,

notum, tum temporis litem *de hæreticis rebaptizandis* plurimas orbis Romani Eccleſias turbaſſe. Hunc novum baptiſmum vel rebaptiſmum Eccleſiæ Orientis & Africanæ mordicus tuebantur: Romana vero Eccleſia cum aliis quibusdam eundem repudiabant. At quamvis utraque pars & Conciliis & argumentis placita ſua tuebantur, modeſtia tamen priores longe præpollebant, quippe qui (ut ex præfatione Concilii Carthaginenſis patet) verbis conceptiſſimis declararunt, ſe neminem ob hanc litem judicaturos, multo minus a jure Communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoturos, ſed cuivis hac in re libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium concedere. *STEPHANUS* vero non eadem indulgentia agendum putavit, quin per Epiſtolas ſignificaret, ſe nolle cum Cypriano nec Firmiliano, aut cæteris illius ſententiæ ſociis Epiſcopis, communionem colere. Quod Firmiliano occaſionem præbebat, Sedis Rom. Epiſcopi typhum in hac Epiſtola acriter perſtringendi & retundendi.

§. II.

Poſtquam Author hypotheſin ſuam optimis ut potuit argumentis firmaſſet, ad diluendas pervenit objectiones. *Quid ergo, inquiunt,* (nimir. contrariæ opinionis Patroni) *fiet de his, qui ab hæreticis venientes ſine Eccleſiæ baptiſmo admiſſi ſunt?* reſpondet *FIRMILIANUS; ſi de Seculo exceſſerunt, in eorum numero, qui apud nos Catechizati quidem ſunt, ſed priusquam baptizarentur obierunt, habentur.* Hactenus omnia expedita, ſed non ita ſe habent reliqua, ſic enim pergit: *Non modo dicunt, emolumentum veritatis & fidei, ad quam relicto errore pervenerant, etſi conſumationem gratiæ conſecuti non ſunt, morte præventi.* Quæ manifeſto abſona ſenſu carent? interim tamen omnes Codices in hac lectione conſentire teſtatur Rever. *FELL*, Oxonienſis Epiſcopus.

§. III. *RI-*

§. III.

RIGALTIUS medicam manum afferre conatus per additionem verbi *habent*, quod, non intellecta reduplicatione præcedentis, excidiſſet; ideoque ſcribendum cenſet: *in eorum numero qui apud nos catechizati quidem ſunt, ſed priuſquam baptizarentur obierunt, habentur. HABENT, non modo diſcunt, emolumentum fidei &c.* q. d. eos qui apud Orthodoxos catechizati quidem ſunt, ſed priusquam baptizarentur obierunt, non tantum didiciſſe, verum etiam habuiſſe emolumentum veritatis & fidei, vitæ ſcilicet æternæ, quamvis conſummationem gratiæ conſecuti non ſint. Conſummationem gratiæ vocari Sacramentum Baptiſmi. ita Illuſtr. RIGALTIUS. Sed, venia magni Viri, rem non acu tetigiſſe mihi videtur. 1. contra Mſs. fidem lacunam ſtatuit. 2. odioſa illa repetitio *habentur* & *habent*, nec CYPRIANI ſtilum redolens. 3. contra fidem ex *dicunt* facit *diſcunt*. 4. nec arridet phraſis *emolumentum fidei diſcere*.

§. IV.

Alia igitur ineunda via, ut absque lacuna, litterarum ductui inhærentes, ſcripturæ tantum compendium vel abbreviationem ſtatuamus. Ita vero exaratum fuiſſe puto: *Non modic. cunt emolumentum.* i. e. *Non modicum capiunt emolumentum veritatis & fidei, ad quam relicto errore pervenerant, &c.* Hoc modo ſi legas, non litterarum tantum veſtigia retinentur, ſed ad ſenſum omnia clara, veterique Theologiæ imprimis conſentanea erunt. *Non modicum* inquit *capiunt emolumentum*; minime ergo *omne*, & diſtant aliquantisper à *gratiæ Conſummationem* per baptiſmum *Conſecutis*, agnita autem veritas & fides deſiderato fructu non penitus caret.

§. V.

Paſſim notum, magnam inter Catechumenos & Baptizatos fuiſſe differentiam, quæ poſterioribus ſeculis

culis immenſum quantum augebatur; Cum priores, etſi eorum conditio gentilium longe potior habebatur, nondum per baptiſmi lavacrum regeneratis pares cenſerentur, & quaſi adhuc ſub reatu conſtituti, a precibus publicis, ab auditione Religionis myſteriorum, quin ipſo aſpectu Baptiſmi & Cœnæ arcerentur: denegabatur iisdem dulce fratris nomen, quippe cœleſtem genituram nondum adeptis. Ut igitur introitus in Eccleſiam per baptiſmum dabatur, quippe qui peccatorum remiſſam & ſpiritum ſanctum conferebat, ita demum Evangelii promiſſionum participes evadebant, qui ejus unda luſtrati erant. Sequitur, ut qui absque ſacro hoc lavacro è ſeculo exceſſerint, non quidem gentilium, vel aliorum Chriſti & Salutis notitiam non genuine habentium, triſtem ſortiantur exitum: prout nec in hoc ævo agentes iisdem accenſebantur, quin tanquam in Eccleſiæ atrio conſtituti, Evangelico lacte nutrirentur, precibusque, imo ſæpe manuum impoſitione & crucis ſignaculo fruerentur: etiam in futuro ſeculo *non modicum* agnitæ veritatis & fidei capturi emolumentum. A qua æquiſſima ſententia plures poſteriorum ſeculorum Doctores longe deviarunt. Author *Quæſt. & Reſponſ. ad Orthodox.* qui JUSTINI M. operibus annectitur, (quamvis ſit ſerioris ævi, cum Chriſtianiſmus jam in orbe Romano prævaleret, ut ex *Quæſt. CXXVI.* palam eſt, niſi forte hic liber ex diverſorum Authorum ſcriptis compilatus ſit;) is autem qualiscunque ſit, demortuos, lavacro baptiſmi non tinctos, omni fidei emolumento privare videtur; Reſponſione enim ad Quæſt. LVI. ſic loquitur: αὕτη ἐςὶ διαφορὰ τῶν βαπλισθέντων πρὸς τὰ μὴ βαπλισθέντα, τὰ τυχεῖν μὲν τὰ βαπλισθέντα (intellige βρέφη) τῶν διὰ τῦ βαπλίσματος ἀγαθῶν, τὰ δε μὴ βαπλισθέντα, μὴ τυχεῖν. Quod enim de infantibus, id etiam de adultis ſtatuiſſe cenſendus eſt.

§. VI. Haud

§. VI.

Haud immerito igitur quæritur : qua in re, maxime poſt mortem, baptizatis extiterint inferiores ? Si cum pœnitentibus conferantur, forte de comparatione jure queri non poſcunt. Pœnitentium vero & lapſorum, cum ſtantibus & maxime Martyribus hanc CYPRIANUS inſtituit comparationem : *aliud eſt*, inquit, *ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire ; aliud miſſum in carcerem non exire inde donec ſolvat noviſſimum quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem : aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione* (ita etiam baptiſmo) *purgaſſe : aliud denique pendere in die judicii ad ſententiam Domini, aliud ſtatim a Domino coronari. In Epiſt. ad Antonian :* quæ *Edit. Noviſs. eſt LV. Pamel. LII.* quæ verba ſi de ſtatu morte functorum intelligenda, ut putat PAMELIUS, & ex noſtris DODWELLUS *in Diſſert. Cyprian.* nobis exhibent ſtatum quendam tertium, a beatitudine & damnatione æterna plane diſtinctum, in quo anima, pro conditionis ſuæ ſorte, carceri quaſi mancipata imo cruciatibus vexata & igne, æva degeret ; vel ſaltem vaga & inquieta, uſque ad ultimi judicii ſententiam, de defenſione ſua trepidaret.

§. VII.

Quod vero non vane conditionem ſalutari lavacro non tinctorum & pœnitentium haud multo diſparem dixerim, patebit ex iis, quæ ex *Paſſione S. Perpetuæ & Felicitatis*, (quæ haud multo plus 50. annis ante *Cyprianum*, forte in eadem Carthagine, Martyrio conſummatæ fuere :) etſi longiora, hic apponam. *Poſt dies paucos*, ſunt verba PERPETUÆ MART. *dum univerſi oramus, ſubito media nocte oratione profecta eſt mihi vox & nominavit* DINOCRATEM. *Et obſtupui, quod nequaquam mihi in mentem veniſſet niſi tunc,*

&

& dolui commemorata caſus ejus, & cognovi ſtatim, me dignam eſſe, & pro eo petere debere, & cœpi pro ipſo orationem facere multum, & ingemiſcere ad Dominum. Continuo ipſa nocte oſtenſum mihi eſt hoc in Oromate. Video DINOCRATEM *exeuntem de loco tenebroſo, ubi & complures erant, æſtuantem & ſitientem valde, ſordido vultu, & colore pallido, & vulnus in facie ejus, quod cum moreretur habuit. Hic* DINOCRATES *fuerat frater meus carnalis annorum ſeptem, qui per infirmitatem facie cancerata male obiit; pro hoc ego orationem feceram: & inter me & illum grande erat diadema,* (diaſtema) *ita ut uterque ad invicem accedere non poſſemus; erat deinde in loco, ubi Dinocrates erat, piſcina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat ſtatura pueri, & extendebat ſe Dinocrates quaſi bibiturus; ego dolebam, quod & piſcina illa aquam habebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non eſſet; & experrecta ſum & cognovi fratrem meum laborare - - & orabam pro eo. &c.*

Hunc puerulum etſi Patris gentilis filium, aliqua Chriſti cognitione imbutum veriſimile, niſi eum quis malit ſororis pietate infernalibus tormentis ereptum, quod ego aſſeverare non auſim. Eundem tamen abſque baptiſmo mortem obiiſſe, multa, ut infra patebit, ſuadent, qui emolumentum veritatis & fidei aliquod habuit, quia non in gehennam detruſus fuerat: at gratiæ conſummationem minime conſecutus, verum carceri mancipatus, longo cruciatuum dolore emundabatur, ac vix enixis *Perpetuæ* ſororis precibus inde liberatus & refrigeratus; ita enim PERPETUA: *Die autem, quo in nervo manſimus, oſtenſum eſt mihi hoc: video locum illum, quem videram tenebroſum, eſſe lucidum, &* DINOCRATEM *mundo corpore, bene veſtitum, refrigerantem: & ubi erat vulnus, video cicatricem, & piſcinam illam, quam retro videram, ſummiſſo margine uſque ad umbilicum pueri, & aquam de ea trahebat ſine ceſſatione, & ſuper margine phiala erat plena aqua, & acceſſit Dinocrates, & de ea bibere cœpit,*

cœpit, quæ phiala non deficiebat : & ſatiatus abſceſſit, de aqua ludere more infantium gaudens, & experrecta ſum. Tunc intellexi, translatum eum eſſe de pœna. Paſs. S. Perpet. & Felic.

§. VIII.

Intercedit AUGUSTINUS, qui *Lib. I. de Origine animæ, Cap. 10 & Lib. III. Cap. 9.* (citatus à Doctiſs. RUINARDO) putat, *Dinocratem* propter peccata quædam, poſt baptiſmum commiſſa, tales pertuliſſe pœnas. At pace tanti Viri, id vero ſimile non eſt; puerulus ſeptem annorum erat eum vita fungeretur, at ſoror ejus *Perpetua* viginti duorum annorum, nupta, & mater filii ad ubera, nondum baptiſmo decorata eſt, itidem frater Dinocratis longe eo provectioris ætatis adhuc Catechumenus, &, hac *Paſſione* teſte, viva Perpetua nunquam baptizatus; nam cum illa a vacca fera in amphitheatro jactata fuiſſet, & menti reſtituta, accerſitum fratrem Catechumenum allocuta eſt, &c. *Perpetua* autem demum, cum in perſecutorum manibus eſſet, ſalutari hac unda dignata fuerat. Objici forte poteſt, morbo urgente Dinocratis baptiſmum acceleratum fuiſſe; Verum nec hoc plauſibile in familia cujus caput & pater familias gentilis & Chriſtianiſmi hoſtis ita profeſſus, ut etiam Perpetuæ, quod illam ab hac religione avertere non potuerat, oculos eruere tentaſſet, narrante ipſa ab initio paſſ. ſuæ. Excipiunt S. Auguſt. defenſores, Patre excepto, univerſam familiam Chriſto fuiſſe dicatam, quod verbis Perpetuæ probare conantur, & *ego dolebam* inquit *canos patris mei, quod ſolus de paſſione mea gaviſus non eſſet, de toto genere meo.* Sunt hæc disquiſitione aliqua digna. In monumento Martyrii Perpetuæ mentio fit Matris ejus & duorum fratrum præter Dinocratem; de matre ſemel tantum, quo tempore Perpetua in carcere conſtituta de puero ſub ubere ſollicita, matrem ad ſe venientem *alloquebatur* : non tamen

men ut Chriſtianam, ſtatim enim de fratre ſubjungitur, *confortabam fratrem, commendabam filium*; erat autem is frater catechumenus, de quo ſupra; alterius vero fratris nullum veſtigium exſtat, niſi in limine hujus Paſſionis. *Vivia Perpetua honeſte nata, liberaliter inſtituta, matronaliter nupta, babens Patrem & matrem & fratres duos: alterum æque Catechumenum* (nimir. ut ipſa) *& filium infantem ad ubera.* Mirum autem eſſet, univerſam familiam in hac Martyrii Scena ita Chriſtianiſmum ſuum diſſimulaſſe, ut ne ſcintilla ejus appareat, niſi in eo, quem ſtatim in limine ut Catechumenum tantum nominaſſet. At ſperat, excepto Patre, totum ſuum genus de paſſione ſua gaviſurum, ſperat inquam, de futuro, ſive viſione monita, ſive quod matrem & alterum fratrem cauſæ ſuæ faventiores ſenſiſſet, Laborat igitur Dinocratis baptiſmus, & præter allata, eo maxime, quod Perpetua admiſſo hoc baptiſmo, nunquam ita plane fratris ſui parvi obliviſci potuiſſet, prout dicit: *Nominavit Dinocratem, & obſtupui, quod nequaquam mihi in mentem veniſſet niſi tunc.* Cum pro more tunc temporis recepto, nomine ejus ſacrificium pro dormitione forte ſingulis Dominicis fieri oportebat, cujus cura proximos tangebat. Hypotheſi ergo inſerviunt S. AUGUSTINUS, & qui eum ſectantur, factum *Perpetuæ* pro fratris refrigerio orantis, Orthodoxiæ & Theologiæ ſui ævi adaptantes, quod ſæpe omnium ſectarum Theologos transverſos rapit.

§. IX.

Ex hoc igitur monumento, & ex verbis CYPRIANI ſupra allegatis, expiſcari poſſe videtur, quid Eccleſia primitiva, vel ſaltem nobilis ejus pars, Eccleſia nimirum Africana, ſenſerit *de ſtatu abſque baptiſmo defunctorum*; quæ ad ſequentia redigi poſſunt. 1. Eos damnationis æternæ ereptos, beatitudinem expectare poſſe, ideoque non modicum fidei emolumentum capere.

2. Dein-

2. Deinde in quodam quaſi carcere, majoribus vel minoribus incommodis, ut & cruciatatibus, ſaltem ad aliquod tempus, brevius vel longius degere, pro ratione haud dubie pœnitentiæ & fidei ſuæ. 3. Superſtitum deprecationibus inde liberari & refrigerio quandoque mactari.

§. X.

Verum multa extorquent, ut ſaltem *Cyprianum* & *Firmilianum* maxima ex parte ab hac philoſophia liberare cogamur. Quia juxta eorum ſcripta nec publicas deprecationes aut oblationes pro demortuis absque baptiſmo unquam admittebant, nec de privatis ullum veſtigium apud illos extet; imo verba CYPRIANI ipſa ſupra allegata, probe expenſa, de ſtatu animarum nequaquam intelligenda videntur; ſolum oſtendunt, quanto potior ſit conditio ſtantium & Martyrum, præ pœnitentibus & lapſis in ſeculo degentibus; ita enim ea & optime παραφράζει Doctiſs. RIGALTIUS: Diſputat, inquit, CYPRIANUS de lapſis „ ad pœnitentiam, h. e. ad veniam & Eccleſiam, re„ cipiendis. Nam poſt impetratam pœnitentiam, eâ „ recte peractâ, pœnitentibus venia datur, pax & „ communio redditur lapſis, ac varias quidem inter„ cedere ait circumſtantias & figuras delictorum, pro „ quibus Epiſcoporum arbitrio temperari pœnitentia debeat. Hoc tamen intereſſe, quod cum libellatis mitius agi debere multa ſuadeant. Contradicebant Epiſcopi non nulli, - - quod laxata ſemel diſciplinæ regula, maximum ſequeretur Eccleſiæ detrimentum; - - Nam quis deinceps pro nomine Chriſti martyria non fugiat, - - qui lapſis pœnitentiæ tempus concedi debere intellexerit? Hoc vero non ita metuendum eſſe *Cyprianus* ait. Etenim longe aliam conditionem eſſe lapſorum, quam Confeſſorum Martyrum. Hos ſtatim paradiſo recipi, de gloria, de mercede, de corona certis: Illos ad ve-

„ niam

„ niam ſtare anxios & ſolicitos, quid ſtatuat Epiſco-
„ pus, & an pœnitentiæ tempus indicat tam longum,
„ quam eſſe ſolet debitori carceris tædium, unde non
„ exeant, donec ſolvant noviſſimum quadrantem? an
„ forma pœnitentiæ futura ſit tam atrox, ut per cine-
„ res & pulverem volutari, per jejuniorum triſtitiam,
„ perque ciliciorum aſperitatem macerari, per gemi-
„ tus & ſuſpiria, cordis exæſtuantis dolorem clare
„ loquentia, velut metallum ignibus ardentiſſimis ex-
„ coqui ac purgari debeant? & poſt hæc omnia tan-
„ dem, aut ſi qua infirmitas urſerit, ægre recepti, in
„ diem judicii, ad ſententiam Domini pendeant re-
„ ſervati, ita ut ſine ſpe viva trementes & Dei judici-
„ um paventes ex ſeculo migrare cogantur. Nec ali-
ter intelligi poteſt CYPRIANUS, quippe qui lo-
cum aliquem medium inter mortem & immortalita-
tem plane ignorat, ut ex tractatibus *de Mortalitate* &
ad Demetrianum patet; cujus *poſterioris Epilogum* ita in-
cipit: *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ
locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus; hic vita aut amittitur
aut tenetur.* Et tantum abeſt, ut ſine baptiſmi lavacro
exeuntibus, carcerem, ignem vel qualescunque cru-
ciatus paratos credat, ut etiam gentilibus ſub vitæ
exitu ad Chriſtum converſis, beatam immortalitatem
addicat: *Tu ſub ipſo licet exitu & vitæ temporalis occaſu*,
inquit, *pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus eſt,
confeſſione & fide agnitionis ejus implores, venia confitenti
datur & credenti indulgentia ſalutaris de divina pietate con-
ceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur. ibid.*

§. XI.

Nec deprecationes aut oblationes pro mortuis
huic dogmati contrariantur. Ejusmodi enim ſolen-
nes deprecationes & ſacrificia pro iis tantum perage-
bantur, qui in omnigena Eccleſiæ communione &
pace obierunt, & quibus mori erat ad Chriſtum ire,
ut in *de Mortal.* loquitur, ergo pro vere piis aut qui
ſaltem

ſaltem pro talibus habebantur, præcipue autem pro Martyribus, *qui tamen ad complexum & oſculum Domini, Domino ipſo gaudente, venerunt. Epiſt. XXXV. & X.* Denegabatur autem non tantum impœnitentibus, aut iis qui extra Eccleſiæ pacem, aut ante baptiſmum, etſi morte præventi, è ſeculo exceſſerunt. Sed etiam iis, qui contra Epiſcoporum Conſtitutiones alicujus delicti tenebantur, prout ille *Victor*, qui teſtamento presbyterum tutorem conſtituit. *Non eſt*, inquit *CYPRIANUS*, *quo pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur. Epiſt. I.* Ex quibus patet, hæc ſolennia minime celebrata metu aliquo, quod ſpiritus vel animæ eorum felicitate æterna non fruantur; *Martyrum* enim *Commemorationes, & orationes pro anima defunctorum*, ejusdem generis erant; utræque enim in ſuis anniverſariis peragebantur, ſacrificiis utræque comitatæ erant, ob id etiam a TERTULLIANO in eundem cenſum relatæ; *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis* (Martyrum) *annua die facimus. de Coron. Milit.* Quod etiam ex harum oblationum naturâ clareſcet, de qua aliquid dicendum.

§. XII.

Temporibus, quibus Eccleſia, dives gratiâ, reditibus vero pauperrima erat, fideles Authore D. *PAULO 1. Cor. XVI.* ſingulis dominicis varia dona in Eccleſiam ferebant, idonea tam ad S. Cœnæ celebrationem, quam ad ſuſtentationem cleri & pauperum; pars quæ S. Cœnæ utilis erat, per manus presbyteri *Sacramento ſolito prædicationis offerebatur*, ut cum Cypriano loquar. Unde haud dubie factum, quod auguſta illa Cœna & *Sacramenti* & *Sacrificii* nomine gauderet. Poſterius oſtendit idem CYPRIANUS, qui Matronam divitem ſed avaram ita perſtringit: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis,*

quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis. Tr. de Opere & eleemoſ. Dominicum celebrare eſt S. Cœnam celebrare, edendo nimirum de oblatione vel ſacrificio, quod pauper obtulit; *in Dominicum venire*, eſt in ædes ſacras venire. Altera vero pars per manus Diaconi recipiebatur, & in Eccleſiæ uſus adhibebatur, quæ & ipſa προσφορᾶς ſive oblationis nomine veniebat, ac in uſum Cleri, *qui in honore ſportulantium fratrum erat*, *CYPR. Epiſt. I.* cæterorumque, ut & pauperum & viduarum, cedebat, teſte JUSTINO, *Apol. I. §. 88. edit. Grabii.*

§. XIII.

Cum hic JUSTINI M. & προσφορας mentio fiat, forte non inutile erit, obſervare, quod ejus Interpr. ſæpe credant, *Juſtinum* de hiſce oblationibus verba facere, quum ne id quidem cogitet. Ut *Apol. I. §. XVI.* de ſui ævi Chriſtianis, *Athei non ſumus*, inquit, (prout accuſabantur, quia ſacrificare renuerent) *qui Conditorem hujus univerſi colimus, minime quidem ſanguine & incenſis indigentem,* λόγῳ δ' εὐχῆς καὶ εὐχαριστίας. ἐφ' οἷς προσφερόμεθα πᾶσιν· ὅση δύναμις αἰνοῦντες. Quod ita reddunt: *in oblationibus, quas afferimus omnibus, quantum facultatis eſt laudantes.* Ad quæ verba Doctiſs. GRABE in notis addit: *intelligit JUSTINUS oblationes panis & vini in Sacramento Euchariſtiæ.* Minime vero, alius plane ſenſus verborum eſt: non ſumus Athei, inquit, Conditorem hujus univerſi colimus, non ſanguine quidem & incenſis, quibus non indiget, *ſed precibus & gratiarum actionibus, propter vel ſuper omnes cibos quos capimus, quantum poſſumus eum celebrantes.* Duplici hallucinatione, particulam adverſativam δὲ ante εὐχῆς omiſerunt, & verbum προσφέρω, *admoveo*, hic male pro *offero*, ſumſerunt, cum προσφέρομαι haud dubie hic ſignificet *cibum capio*, ut de Cicerone PLUTARCHUS, ὀψὲ τῆς ὥρας προσφερόμενος, *ſero in die cibum capiens*; & *idem*

idem de Cæſaris militibus, ῥίζαν τινὰ κόπτοντες καὶ γάλακτι φυρῶντες προσεφέροντο, *in Cæſ.* σιτία καὶ ποτὰ προσφερόμενος *cibum potumque*, eundem nimirum, quem cæteri milites, *capiebat*, Severus apud *HERODIAN. Lib. II.* Hinc τὰ προσφερόμενα, *cibi* apud *LAERTIUM in Xenoph.* & προσφορήματα apud *EURIPID.* πολλὰ δαιτὶ προσφορήματα, *in Electra.* Verba, quæ apud JUSTINUM M. ſtatim ſequuntur, Interpr. de errore monere potuiſſent. *Cum hunc honorem*, ita pergit, *illo* (Deo) *dignum eſſe acceperimus, ut quæ ab illo ad alimentum ſint creata, non igne conſumamus*, ἀλλ' ἑαυτοῖς καὶ τοῖς δεομένοις προσφέρειν. i. e. *ſed in noſtrum & indigentium uſum convertere.* In eundem lapidem iidem Interpr. ſæpius impingunt, ſed non ſoli.

§. XIV.

Sed ut redeat unde digreſſa eſt oratio; *pro mortuis offerebatur*, quando ſingulis Dominicis, vel anno recurrente, nomine mortui etiam oblatio per parentes vel amicos ejus fiebat, inter præſentes viritim diſtribuenda. Id obtinuit ut indicarent, non omnia hominis morte abſumta, ſed potiſſimam ejus partem vivere, nec per mortem avulſum Eccleſiæ membrum eſſe, ſed vivos & mortuos in Chriſto ut capite unitos, unam eandemque Eccleſiam Dei conſtituere, ac in ea vivere; oblationibus hiſce addebantur preces & commemorationes, quarum ſummam ex TERTULLIANI verbis colligere poſſumus: *Enimvero* (vidua relicta) *pro anima ejus* (defuncti mariti) *orat, & refrigerium interim poſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus. De Monogam.* Quid vero his orationibus intenderint, Tertullianus optime oſtendit, quando has deprecationes vel potius orationes ideo producit, ut viduas ſuperſtites doceat, matrimonium morte non diremtum, nec repudium eſſe cum eo, pro quo adhuc oret, *nam niſi hæc*

fecerit, inquit, i. e. memoratas oblationes & preces, *tunc vere repudiavit quantum in ſe eſt.* ibid. & paulo poſt addit, *aut nunquid nihil erimus poſt mortem, ſecundum aliquem Epicurum, & non ſecundum Chriſtum.* Habebant igitur eundem finem cum ſacrificiis quibus ſociatæ erant, ad demonſtrandum unam & eandem Dei Eccleſiam eſſe, quæ in terra incolaret, & eam quæ in ſupercœleſtibus degeret, utriusque etiam vota & deſideria amice conſpirare, ut militantis Eccleſiæ emolumentum Triumphanti curæ, ita etiam illi hujus conſummationem cordi eſſe. Sed qualia deſideria vel vota attribuentur membris Eccleſiæ triumphantis, cum ſint ſpiritus τετελειωμένων, *Hebr. XII. 23.* Sunt perfecte beati, h. e. in ſtatu feliciſſimo, ad quem ſpiritus a corpore ſeparati, ſtante adhuc Eccleſia militante, pervenire poſſunt? At iidem ſpiritus glorificati, non plane afflictionum Eccleſiæ in hoc mundo commorantis ignari, deſiderio tenentur interitus Regni tenebrarum, collectionis omnium fidelium, accelerationis ultimi judicii & gloriæ conſummationis totius hominis. Rem mire illuſtrat Locus *Apocal. VI. 9-12.* ubi animæ Martyrum a Deo vindictam ſanguinis ſui, quaſi dilationis pertæſi, poſtulantes, nobis ſiſtuntur: quibus ſtolis albis interim indutis reſponſum eſt, (*ecce refrigerium*) ut adhuc breve tempus quieſcant.

§. XV.

Quum igitur in eruenda Eccleſiæ primitivæ vel ſaltem Africanæ ſententia, reſpectu ſtatus ante lavacrum mortuorum, prout eum ſuperius poſui, a *Cypriano* & ejus συμψήφῳ *Firmiliano*, contra ſpem, me deſtitutum videam, reliquum eſt, ut diſpiciam, quid in *Paſſione S. S. Perpet. & Felicit.* præſidii ſit. Si quis vel obiter audit, quid PERPETUÆ precibus in *Dinocratis* anima effectum, negare nunquam poterit, tunc temporis ſaltem apud quosdam Chriſtianæ fidei addi-

addictos ſupra dicta dogmata viguiſſe; quare enim ſæpius laudata Perpetua ad fratris nomen pronunciatum ſciviſſet, ſe pro eo petere vel orare debere, niſi antea perſuaſa, ejusmodi preces non irritas fore, & Catechumena ita edocta fuiſſet? Etſi authoritatem traditionis Eccleſiæ Catholicæ ſibi vindicare non poſſit, quippe ad quam requiritur, juxta VINCENTIUM LIRINENSEM, ut dogma *ubique* & *ſemper* & *ab omnibus creditum ſit*, in *Commonit.* §. 2. Si vero quis hæc Martyrii acta pro ſpuriis & embolymæis traducere vellet, næ is hypotheſis & ſectæ ſtudium proderet. Haud dubie igitur, cum viris Doctiſſimis & de antiquitate Eccleſiaſtica optime meritis, HOLSTENIO, PASSINO, RUINARDO, pro genuinis & antiquitate ſua venerandis cenſenda & habenda ſunt. Celebris eſt in Eccleſia Romana *Perpetuæ & Felicitatis* memoria, & Martyrologia feſtum earum Nonis Martii tribuunt: Quod etiam earum feſtivitas primis temporibus Romæ celebrata, patere putat Doctiſs. RUINARDUS ex Miſſali Gelaſii, & ex antiquo Martyrologio Bucheriano. De Eccleſia Africacana idem teſtatur AUGUSTINUS, qui earum die natali tres tractatus habuit, qui in ultima operum ejus editione Sermones ſunt 280. 281. & 282. Aſſerit ſibi itaque Eccleſia poſſeſſionem harum Martyrum; num vero jure mancupii & Quiritium, ac de evictione ſecura? ſtatim patebit.

§. XVI.

De Collectore hujus monumenti jam dudum judicavit Celeberr. HEINR. VALESIUS, atque cum *Montano* vel ejus ſectæ aſſeruit; quo jure quave injuria, inquirendum. In proëmio Collector diſputat de Authoritate Novæ prophetiæ & viſionum, easque veteribus non tantum æquiparandas ſed & præferendas ſtatuit. Nemo autem Authorum Eccleſiaſtico-

rum *Novæ prophetiæ* mentionem facit, excepto MONTANO & ejus Aſſeclis; tempore maxime, quo hoc monumentum exaratum fuerat, *Nova prophetia* quaſi teſſera & Symbolum MONTANISTARUM erat, cujus prædicatione & laudatione quisque ſe Montano palam addicebat. Nec unquam erat controverſia, viſiones, prophetias, ut & alia S. Spiritus chariſmata, in Eccleſia tunc temporis vigere, teſte IRENÆO apud *EUSEB. H. E. Lib. V. C. VII.* & *DIONISIO ALEXANDRINO* apud eundem *Euſebium*; imo aſſeverat modo laudatus Author: πλεῖςαι γὰρ ἔν (loquitur de temporibus M. Aurelii & L. Veri;) καὶ ἄλλαι παραδοξοποιίαι τῦ θείυ χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρυς εκκλησίας ἐκτελύμεναι, πίςιν παρὰ πολλοῖς τῦ κακείνυς (Montanum & ejus aſſeclas) προφητεύειν παρεῖχον. i. e. quia tunc temporis non inſolens eſſet, Spiritus S. chariſmata extraordinaria videre, id ipſum & Montano prophetiæ fidem repræſentaſſe. *H. E. Lib. V. C. III.* Inſuper nullum veſtigium deprehendimus, ejusmodi dona pro ætatibus judicata, ſed omnia pari honore habita, nec vetuſtiora recentioribus præpolluiſſe propter ætatem. Sed hoc controvertebatur inter Catholicos & Montaniſtas, num prophetiæ poſt clauſum Canonem, prophetiis Vet. & Novi Teſtamenti æquiparandæ ſint? quod priores negabant, Montaniſtæ non tantum aſſeverabant, ſed novas paracleti ævo veteribus longe anteponebant. Quum igitur Collectorem hujus Paſſionis omnibus viribus intentum videamus, ut primo novas viſiones veteribus æquiparet, his verbis in proëmio: *Itaque & nos, qui ſicut prophetias, ita & viſiones novas pariter repromiſſas* (ut N. Teſtamenti in Vetere) *& agnoſcimus & adoramus.* Et paulo ante perſtrinxit adverſarios his verbis: *Sed viderint, qui unam virtutem ſpiritus unius ſancti pro ætatibus judicent.* Deinde etiam tantum non præferat, ita enim pergit: *Cum majora reputanda ſint*

novi-

novitiora quæque ut noviſſimiora, ſecundum exuberationem gratiæ in ultima ſeculi ſpatia decreta; in noviſſimis enim diebus, dicit Dominus, &c. ex Joel. II. pro MONTANO, niſi injuſti ſimus, vindicias dicere coacti ſumus. Idem etiam de Martyribus ipſis cenſendum; cum quilibet ſuæ ſectæ hominibus quam maxime faveat, eorumque nominis famam præ reliquis promovendam operam det. Sed Collector ipſe nobis hac de re omnem dubitationem eximit, ſuos enim hortatur, ut communionem cum his Martyribus arcte ſervent; ita enim in præfationis clauſula; *& nos itaque,* inquit, *quod audivimus & contrectavimus, annuntiamus & vobis, fratres & filioli, ut &. vos qui interfuiſtis rememoremini gloriæ Domini, & qui nunc cognoſcitis per auditum, communionem habeatis cum S. S. Martyribus, & per illos cum Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Et vel tacente eo multiplices ac paſſim, ut ita dicam, iteratæ viſiones, Spiritus impulſus extraordinarii, meritorum magna opinio, quæ in aliis Martyribus, aut eorum actis genuinis, tam crebro nunquam reperiuntur, ſatis id attentum Lectorem edocerent.

§. XVII.

Jure quis mirari poſſit, qua ratione Montani Sectatores Catholicis tantopere, ut ſupra vidimus, placuerint; cum tamen vulgo notum ſit, Catholicos hæreticorum, imo & Sectariorum, Martyriis iniquiores ſemper extitiſſe: *ardeant licet,* inquit *CYPRIAN. flammis & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant. Non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* in *de unitate Eccleſ.* Hujus honoris à Catholicis habiti plures poſſunt eſſe rationes. Earum Martyrium erat præclarum, tum ob fortitudinem & conſtantiam, & ſexus & ætas & ſtatus laudem & gloriam abundantiorem reddebant,

 puellæ

puellæ & Catechumenæ erant, quibus Martyribus Eccleſia maxime gloriabatur. Ideo Eccleſiæ vel locis vel temporibus remotiores, abſque inquiſitione eas recipiebant, vel diſſimulantes Montaniſtis præripiebant. Usque enim ad Auguſtini ætatem, excepto *Tertulliano* Montani Sectatore, in Eccleſia Africana nulla earum mentio. Nemo autem ſcire poteſt, quo tempore ante Auguſtinum earum memoriæ cultus inceperit, maxime cum Kalendarium Carthaginenſe à *Mabillonio* & *Ruinardo* editum, eas non nominet. Porro Montani ſecta diverſa habuit fata, non ſemper omnibus æque exoſa erat. Eleutherus Epiſc. Rom. non ſtatim Aniceti deceſſoris ſui auctoritatem ſecutus, (qui novam prophetiam admittere recuſaverat;) ſed litteris & exhortationibus Martyrum impulſus, ad Eccleſias Aſiæ atque Phrygiæ Epiſtolam ſcripſerat de recipiendis in Eccleſiam Montaniſtis. Sed poſtea à Praxea quodam Aſiano admonitus litteras pacificas revocavit, teſte *TERTULL. adv. Praxeam.* Perpetuæ vero paſſio non adeo multis annis poſt, forte ſub initiis Zepherini Epiſcopatus, qui Montaniſtis faventior erat, accidebat: Memoria vero ejus poſterioribus temporibus, evaneſcente jam & ſecta & ejus odio, gliſcente vero viſionum & defunctorum apparitionum ſtudio, prævalente etiam dogmate de mortuorum ſtatu tertio, maxime in Eccleſia Latina, feſtivitatibus celebrari cœpit. Quocunque autem modo id factum, id certe conſtat, earum Acta a Montaniſtis primo laudata & Eccleſiæ propinata fuiſſe.

Cadit ergo hujus monumenti auctoritas, fruſtraque ſit oportet, qui primitivæ Eccleſiæ dogmata ex eo eruere conatur, imo diſcimus, quorum Sectatores ſint, qui talia credunt & docent, & quo firmamento nitantur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Inquirendum nunc, quo ſalutari lavacro' non tincti, juxta *Firmiliani* & *Cypriani* ſententiam, cæteris ſint inferiores, quum vita æterna & ipſis competat, omniſque baptiſmi validitas, ſecundum horum Theologiam, fide baptiſmum recipientium nitatur, quod & Cyprianus & Firmilianus ſemper inculcant. Quænam igitur illa *Gratiæ Conſummatio*, quam morte præventi non aſſecuti ſunt. Hujus quæſtionis enucleatio non tam difficilis eſt. In genere notandum, primævos Chriſtianos non ſine ratione de non baptizatorum ſalute trepidaſſe, eosque quaſi pro non Chriſtianis habuiſſe, ut ejus candidatos magis ad baptiſmum deſiderandum & petendum exſtimularent. Erant enim & plures tergiverſatores, qui ante actæ vitæ non plane pertæſi dilationes necterent; *Certi enim* (ut optime & in cute eos noverat & depingit TERTULLIANUS:) *indubitatæ veniæ delictorum* (per futuram intinctionem,) *medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi, quam eruditionem non delinquendi.* in *de Pœnitent. Commeatum delinquendi* dicit, voce ex Caſtrenſi diſciplina; eſt autem commeatus *tempus, quo iri redirique poſſit*, ab Imperatoribus militibus dare conſuetum; ex FESTO. Haud dubie enim non optime ſperandum de iis qui feliciſſimam non delinquendi neceſſitatem ſibi imponere nollent. *Hoc enim precio Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem*, ut iterum *TERTULLIANUS Loc. Cit.*

§. XIX.

Deinde non ignorabant Domini promiſſionem, ὁ πιςεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται. *Marc. XVI. v. 16.* & quod, juxta D. Petrum, baptiſma σώζει, ſalvum faciat, non certe carnis ablutio, ſed ἐπερώτημα bonæ conſcientiæ in Deum *1. Petr. III. v. 21.* Vir Summus, memoria lapſus, ἐπερώτημα apud Theophilum Juris C.

occurrere dicit, & *Stipulationem* ſignificare. Nunquam vero is neque alius de iis, qui Jus Romanum græce ſcripſere, ἐπερώτημα, ſed ἐπερώτησιν, *Stipulationem*, dixerunt, ut apud THEOPHILUM in Tit. *de verborum Obligationib.* qui eſt *Inſtit. Lib. III. Tit. XVI. & ſequent.* imo & alibi centies, & in *Baſilicorum Ecloge Lib. XXIII. Tit. IX.* περι ἐπερωτήσεων &c. & alibi. Quod ideo monendum, quia Authoritas ſummi illius Viri, præter ſuam mentem, magni nominis Theologum & ſuos diſcipulos decepit, ut hunc Petrinum locum intelligerent, quaſi baptiſmo tingendus a Deo ſtipularetur bonam, i. e. lætam conſcientiam, quaſi Deus eſſet ὁ ἐναγόμενος vel ὁμολογήσας, quod plane ſecus eſt, cum baptizandus promittendi reus fiat, i. e. Deus per presbyterum ſtipuletur vel poſcat ab homine bonam conſcientiam. Utitur autem D. Petrus verbali paſſivo ἐπερώτημα, prout Juris Conſ. verbo paſſivo ἐπερωτῶμαι. Sicut enim ἐπερωτῶντες ſunt *Stipulantes*, ita ἐπερωτώμενοι *promittentes*; etſi autem ἐπερώτημα apud Juris Conſult. nunquam occurrat, adhibent tamen affine τὸ ἐπερωτηθὲν *promiſſum*, ut ἐπάγγελμα & τὸ ἐπαγγελθὲν ejusdem ſignificationis. Idem igitur eſt quod apud Iℭtos σύμφωνος ἀπόκρισις, *congruens reſponſio* vel *promiſſio, ſponſio* & ὁμολογία; unde *SALVIANUS primam* in baptiſmo *Confeſſionem*, de *Gubern. Lib. VI. §. 6.* edit. Baluz. *ISIDORUS* (citat. a *Baluzio*) *pactionem* nominat. Interrogabantur enim, ut notum, *Num abrenuncient diabolo, pompis & operibus ejus*? &, *abrenunciaturos*, clara voce *reſpondebant*: iterum *num credant in Deum Patrem & in Jeſum Chriſtum*? & reſpondebant, *credo.*

§. XX.

Prout autem in humanis & civilibus, ſolennitates, arrhæ, pignora ſcripta & juramenta, non quidem pactum vel contractum efficiunt, interim tamen argu-

argumenta ejus ſunt, quæ omnimodam fiduciam gignunt, ut ex pacto agere, poſtulare & habere, ſine controverſia liceat, ita per baptiſmum jus acquirebatur, cum fiducia ſe pro Eccleſiæ membro gerendi, omnibusque mediis ad gratiam augendam & conſummandam a Deo inſtitutis utendi fruendi, omnesque promiſſiones divinas ſibi vindicandi. Majus igitur emolumentum, ſtatim abſolvi, quam in die mortis & judicii pendere ad ſententiam Domini. Porro per baptiſmum & cum baptiſmo Spiritus Sanctus dabatur, ſalutis arrhabo, cujus ſalutares effectus ſe nonnunquam maxime manifeſtabant; audiamus CYPRIANUM expertum: „ Ego, inquit, cum in te- „ nebris atque nocte cœca jactarem, difficile prorſus „ ac durum, pro illis tunc moribus, opinabar, quod „ mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis rena- „ ſci denuo poſſet, utque in novam vitam lavacro „ aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat, expo- „ neret, & corporis licet manente compage, homi- „ nem animo ac mente mutaret. &c. *Sed poſtquam undæ genitalis auxilio, ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus & purum deſuper ſe lumen infudit, poſtquam cœlitus ſpiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit: mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri poſſe quod impoſſibile putabatur ut eſſet. &c.* in *ad Donatum.*

§. XXI.

Cum etiam ſit analogia inter gratiam & futuram gloriam, & hoc reſpectu genitali lavacro non tincti reliquis inferiores erant, choris ſanctorum quidem accenſi, & apud Chriſtum exiſtentes, non proximæ tamen admiſſionis, ſed remotiores ſtabant: notum quippe veteres, D. PAULO Authore *1. Cor. XV.* varios cœleſtis gloriæ βαθμοὺς quaſi & gradus ſtatuiſſe. Extat

Extat locus *Math. XIII.* in quo memoratur, Dom. Jeſum in parabola Seminantis de una terra & de una ſemente triplicem differentiam propoſuiſſe, quæ trigecuplum reddat, quæ ſexagecuplum & quæ centuplum. Hanc fabulam Veteres non tantum Seculo præſenti ſed & futuro adaptaverunt; ſecundum eos maximus numerus pertinebat ad Martyres, proximus ad virginitatem, tertius ad viduarum continentiam. CYPRIANUS virgines ita affatur; *primus enim centenarius Martyrum fructus eſt, ſecundus ſexagenarius veſter. in de Habitu Virgin.* nonnulli utrumque tulerunt, teſte eodem, loquens de virginibus, iisdem Martyribus vel confeſſoribus, *cujus numero nec virgines deſunt, quibus ad ſexagenarium fructum, centenus acceſſit: quasque ad cæleſtem coronam, gloria geminata provexit. Epiſt. LXXVI.* Aliter has rationes ſubducit *HIERONIMUS advers. Jovin.* ut & *ad Gerontiam de Monogam.* Centenarium numerum referens ad virginitatem, (ne ſuo ævo, deficiente Martyrio ſcilicet, primus vacaret locus;) medium ad viduas caſtas, minimum ad honeſtum matrimonium; at inter ſimplicem & trigecuplum proventum magnum adhuc interſtitium, in quo *Cyprianus* haud dubie in conjugio viventes ponit, ut & diverſis ordinibus cæteros gregarios Chriſtianos, quibus, etſi forte ultimo gradu, baptiſmum nondum adepti adjungi poſſunt; quibus ut Valentiniano Imper. ex *Ambroſii* ſententia, votum baptiſmi pro baptiſmo prodeſt, ut ſaltem aliquem fructum auferant.

§. XXII.

Locus ex FL. JOSEPHI Ἁλώσεως *Lib. V. Cap. V. §. 7. emendatus.*

Loquitur in hoc loco JOSEPHUS, Author nunquam ſatis celebrandus, de Pontificis M. veſtitu, nempe de Ephod & amiculo Coſchen, reliquoque

ejus ornatu; deinde ſubjungit : ταύτην τὴν ἐσθῆτα ὐκ ὁ Ἀρχιερεὺς τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δε ἀνελάμβανεν, ὁπότε δε εισίοι εἰς τὸ ἄδυτον. &c. i. e. *Hunc veſtitum Pontifex non quolibet alio tempore habebat (viliorem quippe ſumſit ;) ſed tunc, cum intrabat in adytum, intrabat autem ſemel quotannis duntaxat.* &c. Quo aſſerto ſane nihil inſulſius, aperte enim contradicit iis, quæ extant Levitici C. XVI. Adeoque mirandum, qua oſcitantia hæc ſcripſerit Vir genere ortus Sacerdotali, ſummisque honoribus in urbe Hieroſolyma perſunctus, & qui ad ſeros poſteros transmittere potuit, quæ viderat oculis ſuis & comperta habuit. Verum hoc ipſum Viros longe Doctiſſimos monere debuiſſet, quod mihi primo fere intuitu ipſa hæc JOSEPHI Auctoritas repræſentabat, χωρίον ſive *locum* hunc in mendo cubare, cujus etiam medela facillima eſt; Legendum enim ὖν pro ὐκ, deinde particula adverſativa δὲ in ὁπότε δ' εισίοι e medio tollenda, ut verba ita ſonent : ταύτην ὖν τὴν ἐσθῆτα ὁ Ἀρχιερεὺς τὸν ἄλλον χρόνον· λιτοτέραν δὲ ἀνελάμβανεν, ὁπότε εισίοι εἰς τὸ ἄδυτον. i. e. *Hunc veſtitum Pontifex quolibet alio tempore,* (vel ſemper alias) *habebat ; Cæterum viliorem ſumſit, quum intraret in adytum.* In qua lectione omnia ſana & veritati congruentia ſunt; favet etiam Joſephi Auctoritas, qui aliter, niſi veritatis vel ſanæ mentis diſpendio, ſcribere non potuerat. Particula ὖν facile Exſcriptoris præjudicio, (qui, ut in domeſticis, viliora veſtimenta quotidiano uſui, & lautiora diebus feſtis deſtinabat,) vel ſane oſcitantia, in ὐκ degenerare potuit : quæ mutatio ὖν in ὐκ additionem adverſativæ δὲ in ὁπότε δ' εισίοι neceſſario poſt ſe traxit. Favet tandem tota conſtructio, quæ emendatione hac admiſſa magis fluit.

Verum mihi videor audire, qui peſſimi exempli ducant ejusmodi mutationes, quippe hac ratione omnia Veterum pro affectu & arbitrio refingi poſſe. Interim tamen, niſi quis inſanire malit ſana mente

præ-

præditos, imo homines Doctos, omnino (etſi raro) tamen quandoque, hujus naturæ correctiones admittere cogetur. In *ARTEMIDORI Oneirocrit.* legitur: *τῶν δὲ ἐνηλάτων τὸ μὲν ἔξω τὴν γυναῖκα τὸ δὲ ἔσω τὸν ἄνδρα.* i. e. Ex lecti ſpondis ea quæ exterior, proprie ad mulierem pertinet, altera interior ad virum. Quis autem hoc ferat, quis mediocriter Doctus, qui non malit cuivis alii quam *Artemidoro* hanc oſcitantiam imputare? Idem judicium eſto de hoc noſtro JOSEPHI loco.

* *

V.

EMANUELIS WOLLEB,

Phil. & J. U. D. Baſil.

Diſquiſitio Hiſtorica De Cauſis proxime Antecedentibus ROMÆ FUNDATIONEM.

§. I.

NULLA fere unquam extitit Respublica, de cujus initiis non extraordinaria quædam & miraculis proxuma traduntur. Heroes præſertim illarum primi, parum abeſt, quin Diis accenſeantur; imo inter Divos ſæpiſſime ſunt relati: uti patet exemplis Japeti, (*a*) Saturni, Jani, Bacchi, Herculis, Jovis,

Scholia.

(*a*) De Jano, quem Regem Italiæ fuiſſe, fama fert, res tra-

vis, Neptuni, Plutonis, &c. ut taceam Deos Germanorum antiquos (*b*), & illos, quos ex heroibus ſuis ſeptentrionales populi coluere. (*c*)

§. II. Hu-

lætitia. - - De Saturno vide *DIONYSIUM* Libr. 1. ubi Fabulam de Seculo aureo adſcribit felicitati terræ Italicæ, illis temporibus primum occupatæ. - - De Baccho (*SICULUS* ait) Indicum Regem fuiſſe per 52. annos, & dein ob multa beneficia in ſubditos collata inter Deos relatum. (*Diod. S. L. 11. c. 10.*) - - Mythologia Japetum inter cæteros Deos collocat, qui forſan per traditionem ille noſter Noæ filius, vel, ſi mavis, Semiramidis ex Menone natus Hupet ſive Japet. (*Aurel. Vict. de O. G. R.*) - - Quin & juxta *HESIODUM Chaos* primum, deinde *Terra fuit:* Illud noctem peperit & Erebum: Nox Erebo mixta Æthera & diem protulit, quæ *Heſiodo* ſunt incorporalia. Terra vero omnia corporalia, ut cœlum ſtelliferum, & cum hoc concumbens Oceanum, & Montes, & Nymphas, & Cyclopas, & Rheam, & tandem Saturnum. Hic domitâ Rheâ Sorore, ex illa genuit Plùtonem, Junonem, Veſtam, Cererem, &c. quin & Jovem, quo gravida Rhea in Cretam confugit, ubi Jupiter iſte prodigioſo modo ſervatus & educatus, tandem pater factus ανθρωπωντε θεωντε. (*Heſiod. Theog. & Euſeb. præp. Evang. paullum diverſa. L. I. c. VII. Diod. Sic. Rer. antiq. L. 11. c. 11. aliter paulo Pauſan. in Eliacis.*) - - Et hæc omnia, ni fallor, etiam Mythologiam Gentilium, Deos ſuos non niſi homines & Reges fuiſſe, Terræque particulam, (&, Scripturæ more, Glebam Gleba prognatos,) cum Tellus eos produxerit, indigitare, ſatis luculenter produnt. - - Adde quod *HERODOTUS* dicat, *Perſas non, uti Græcos, Deos ſuos ex hominibus natos exiſtimaſſe.* (*Herodot. l. 1. 11. l. 4.*) Et quæ de Ægyptiorum Rege Sethone (qui forſan Sethus Adami filius) traduntur, qui & Sacerdos fuit Vulcani, & in hujus templo lapideus ſtabat, manu murem tenens, inſcriptis his verbis, *In me quis intuens*

§. II.

Hujus rei ego duas præſertim eſſe rationes exiſtumo, *Famam* & *Providentiam*: *Illa*) venditata vulgo exordia Rerum publicarum ſupra modum extollit, & eundo creſcit. Ut plurimum enim longo demum poſt exortas tempore in illarum originem inquiritur, quo fit ut fama in immenſum augeſcens, fabuloſaque veris miſcens, divina plerumque illarum initia fingat, quæ tamen humana fuiſſe, apud cordatiores ſatis ſuperque creduntur. *Hæc* vero quiddam ſaltem vel ſingulare vel mirandum, cuivis mutationi majori ineſſe voluit. Cum etenim pleræque fatorum revolutiones

pius eſto; a quo tempore nullum Deum humana forma fuiſſe, dicebant Sacerdotes Ægyptii: *& Zamolxin* Scytharum Deum Dæmonem, quem & ipſum hominem fuiſſe credit *HERODOTUS*: *& Apotheoſin* novioribus cognitam temporibus, cujus exemplum delineatum in perſona *Severi* Imperatoris nobis relictum eſt. *Quin* etiam Romulo idem accidit, Quirini nomine apud ſuos conſecrato. (*Herodian. l. 4. -- Euſeb. Chron.*)

(*b*) Inter Deos Germanos Tuiſto & Mannus notandi, quorum hunc illius filium, & utrumque gentis conditorem ferunt. Huic vero tres filios fuiſſe contendunt, unde Germanorum quidam *Ingevones*, alii *Iſtavones*, alii *Hermivones*, dicti ſint. Ita & noviſſimum Idolum *Irminſul*, quaſi *Armins* - vel *Hermans* - Saul, Heroi Germ. *Arminio*, temporibus *Germanici* notiſſimo, dicatum, & a Carolo M. ſubverſum. Et *Velleda*, Sybilla Germanica, mulier fatidica, numinis loco a Germanis culta. (*Tacitus Annal. & de M. G. Hachenb. Germ. Med. Poëta anon. de Car. M. &c.*)

(*c*) Inter Septentrionales *Thor*, *Odhen*, *Frigga*, numina fuere majora. - - *Odhen* vero, natus apud eos heros, adhuc vivus cultus, poſt-mortem vero majoribus diis fuit annumeratus. (*Maſcow. H. Germ. Olaus M. L. III.*)

nes non contingant, niſi cauſæ quædam extraordinariæ concurrant, & quam ſæpiſſime, vel corruptio quædam non ferenda, vel aliud quidpiam quibus am intolerabile viſum, immutationes in hoc vel illo ſtatu futuras præcedat; utique ſequitur, *Res* quasvis *puplicas* ſine extraordinariis eventibus exortas haud fuiſſe, & providentiam ſingulares circumſtantias, & animos fortes iis uſuros, produxiſſe (*d*). Hinc, quæ tra-

(*d*) Exempla ſunto, Nini & Semiramidis, Cyri majoris, (ſi vera ſunt quæ *Xenophon*, *Herodotus*, *Diodorus Sic.* & *Cteſias*, varie tn. tradunt;) Seſoſtris Ægyptiaci, Alexandri Maced. & Rerumpubl. Græcarum ſtupenda facta. - - Ex Novioribus, incredibiles profectus Mahomedis, qui ex homine plebejo & mercatore, Arabiæ dominus evaſit, & totum fere Orientem nova Religione imbuit. - - Quin & Migrationes Gentium, quæ Secc. V. & VI. tanquam mare quoddam totum Occidentem occuparunt. - - Et propriꝰ nobis tempora conſiderantibus, ipſa Domus Auſtriaca, & tot terrarum acquiſitio, admirationem præbent. Comitem Helvetiæ, apud Ottocarum Bohemiæ R. ſi conſideremus, mox mox leges domino quondam ſuo daturum, & toti Germ. Nationi præfuturum. Cujus poſtea Propago Carolus V quali non uſus eſt fortuna, in conjungendis Hiſp. & Germ. diadematibus, & aliis terris acquirendis, quas non niſi felix circumſtantiarum concurſus, & ejus in illarum uſu ſolertia, ad invidiam uſque in ejus ſinum effudit. Quod lepide admodum demonſtrat *FONTENELLIUS.* (*Dialog. des Morts entre Charle V. & Eraſme.*)

Ex Hiſtoria Eccleſiaſtica tantum Suprematus Pontificii incrementa invidenda conſiderentur, &, quam feliciter Præſules iſti barbariei temporis inſervierint, diligentius evolvatur. - - Nec ſine miraculo ejus decrementum fuit. *Luthero* acerrimi ingenii viro, *Calvino* judicioſo, *Henrico*

duntur mira, non in totum falſa habenda, ſed potius deductis, quæ fidem hiſtoricam ſuperant, illa præſertim, in quibus Scriptores (præſertim cæteris in circumſtantiis diſſentientes) conveniunt, vera cenſenda ſunt, quamvis circumſtantiis, quæ admirationem movent, ſint concomitata. ου δει γαρ δια παντος απιστευειν την τυχην, ορωντας οιων ποιηματων δημιουργος εστι. (*Plut. Romul.*)

§. III.

Et ut exemplo patrio rem illuſtrem. Helvetiorum contra Auſtriacos conamina, ducibus tribus, trium Pagorum ruſticis, inſtigante *Tello* itidem ruſtico, cum tam potente Gente, ambiguo Marte primum agitata, ſed quotidie accedentibus Sociis, tandem in libertatem ſibi ſuiſque perpetuam, & a ſolo Deo dependentem, deſinentia, quis extraordinariis circumſtantiis illa ſuſtentata fuiſſe pernegabit? (*e*)

§. IV. Eo-

Angl. laſcivioſo, *Guſtavo Suecico* prudente & connivente, *Philippo Hiſp.* ſuperſtitioſo & crudeliter ſuperbo, *Papa* vero prodige avaro & cedere neſcio, & aliis opus fuit, ad jugum unius Epiſcopi excutiendum. (Seckend. Lutherthum.)

Addi poteſt *Eliſabethæ* R. felicitas, & quæ in hunc fere modum de illa dicit *BACON VERULAMIUS*, qui circumſtantias illi tale, quale eſt, nomen conciliantes enarrat. (*Encom. Eliſab. Baconis.*) Et *Oliverii Cromvelli*, hominis aſtuti & crudelis, (ſi Famæ & Carol. defenſoribus credendum;) & imperio nati, qui ex nobili minorum gentium Angliæ tandem Protector factus eſt. (*Defenſio pro Carolo*, *Anonymi C. 1. Lati V. di Crom.*) &c.

(*e*) Cauſæ concurrentes extraordinariæ erant; - - *Præfectorum Auſtriæ* nimia crudelitas; - - *Helvetiorum* in re gerenda ſolertia, & in moderamine inculpatæ tutelæ ſervando Juſtitia, quæ utraque regulariter nec in plebem nec

§. IV.

Eodem modo & Rei Romanæ ultra ſortem ordinariam felicia contigere initia. Et infantiam enim,

in ruſticos cadunt; *Telli Hiſtoria*, magis exaſperans ruſticorum animos, jamjàm ſeditionem meditantium; - - *Alberti* I. mors, poſt ejectos præfectos opportune necati; - - *Tempus* ipſum Præfectorum ejectorum, dura hieme, quo tempore non facile poterant externis copiis infeſtari, & adeo ſe confirmandi & conſilii capiendi relinquebatur ſpatium. - - *Bellum* ex nece Alberti ſecutum Auſtriacum, ad perſequendos conjuratores, quod iterum præripiebat occaſionem ulciſcendi Helvetios. - - *Succeſſio* Henrici Luzelburgenſis in Imper. dignitate, qui ex aliena ab Auſtriaca familia ſatus, Imperatorem potius erga Helvetios, quam ultorem Alberti erat acturus. - - *Ludovici Bavari* poſt Luzelburgenſem ſucceſſio, *qui Princeps Juſtus & magnanimus* (*Avent. Ann. Boy. L. VIII.*), etſi (propter bellum, quo ipſemet tenebatur, contra Fridericum Auſtriacum.) Helvetios aperte non juvaret, tamen nec Leopoldo illos devoraturo auxilio fuit. - - In genere Jus manuarium illo tempore in turbato Germaniæ ſtatu & via facti obtinens. - - *Tandem* & ad fortunam primæ pugnæ apud Morgardam fatum felices circumſtantias protulit. v. gr. Nobilis *a Huneberg* (telum ſchedula his verbis inſcripta, **hütet euch am Morgarden**, clam in caſtra Helvetiorum immittentis. **Stettlers** *Chron. p. 39. 40.*) in dominum ſuum ſive perfidiam, ſive in Helvetios amorem a fato quodam Helvetiorum tutelari illi inditum. - - Accedat *magnanimitas 50.* ExulumHelveticorum, terrorem incutientium hoſtibus. (infr. §. IX. *Schol. y.*) - - Genus bellandi ejus temporis, robuſtiſſimæ Helvetiorum genti perconveniens. &c &c. Et hæc quidem fortunæ Helvetiorum, & quadantenus fortitudini, adſcribi poſſunt; reliqua, quæ poſt primæ pugnæ felicem exitum fortiter & præclare geſſerunt, potius illorum virtuti bellicæ ſunt danda.

& adoleſcentiam, etiam in circumſtantiis infeliciſſimis, ita tranſegit feliciter (*f*), ut non mirum ſit, cur juvenilem ſuo tempore attingere ætatem, & internecionem pluries effugere, & ad virile tandem robur pervenire potuerit. Sed de his alibi. Hic non niſi cauſas ad ejus Originem concurrentes videamus.

§. V.

Primum ergo, quod novæ Romæ condendæ favebat, erat diviſio Italiæ ejus temporis in quam plurima parva territoria, vel potius in civitates multas, quarum Imperium parum ſe extra muros ſuos protendebat (*g*). Quo factum, ut abſque magno impedimento nova potuerit oriri. Et quamvis Nomen Hetruſcum eo tempore jam ſatis fuerit clarum, ſingula-

---

(*f*) Huc ſpectant: Per dolum & proditionem prope amiſſa Romanorum libertas, conjuratione Juvenum Nobilium a Vindicio ſervo detecta. - - Porſennæ & Tarquiniorum contra urbem molimina. - - Urbs a Gallis capta & ab exule liberata. (*Livius & alii.*) Annibalis de Romanis victoria, & futurum Romæ exitium, ſi victor uti victoria ſciviſſet, & niſi Urbs cunctatorem reperiſſet, & ſi illo tempore reliquis Italiæ populis conſultum fuiſſet, ſuas vires ad interitum Romæ cum Cartaginienſibus conjungere, ne deletis Romanis & ipſi Annibalem victorem experirentur; quippe qui penſitarent *Communem Cladem, communem patriam tuendam, non cum Samnite aut Hetruſco rem eſſe, ut quod ab alterutro ablatum, in Italia tamen imperium maneat; Pœnum eſſe hoſtem, ab ultimis terrarum oris militem trahentem.* Liv. XXIII. 5. adde *FLORUM*, qui primam ætatem populi Romani, ſub VII. Regibus, *fatorum cuidam induſtriæ* adſcribit. &c. (*Florus L. I. C. VIII. Plutarch. de fortuna Rom.*)

(*g*) Reſpublicæ, quæ illo tempore vel mediam tantum partem Italiæ occuparunt, fuere Latini, Longa Alba, Sabini,

gularum tamen illud conficientium Civitatum non fuit ſatis arctum fœdus, ut conjunctis viribus, commoda ſua promoverent; quinimo, ſingulas ſua tantum curaſſe, & communi potius nomine, quam re ipſa unitas fuiſſe, videtur (*h*). Hinc factum, ut invidia ſingularum reprimeret hoſtiles animos, quos contra novum Imperium, hodie forſan exorſurum, incendii inſtar exarſuros videremus. Neutra ſatis cum altera vinculo amicitiæ fuit conſtricta, ut novam civitatem, tanquam commune incendium extinguere una ope vellet (*i*). Huc accedit illorum ſomnolentia (vel a fato Romæ tutelari proveniens) (*k*) & quod omnia

Vejentes, Hetruſci, Fidenates, Volſci, Æqui, Faliſci, Præneſtini, Campani, Samnites, Hernici, Tiburtes, Marſi, Peligni, Gabii, Aricini, Ardeates, Umbri, &c. (*Strabo L. V. Phil. Cluverii Geogr.*)

(*h*) Quamvis enim quaſdam harum civitatum ſub gente quadam, v. gr. Latina vel Hetruſca, comprehenſas certum ſit, illas tamen potius ſocias, pro ſe ceterum ſummum Imperium tenentes, quam unum Corpus cum illis feciſſe, & communi ſummo Imperio ſubjectas fuiſſe, ex modo, quo Roma comeſſe cœpit ſingulas, patet. (*vid. vel ſol. Liv.L. 1. c.10.11. 12.*

(*i*) Exempli loco eſſe poſſunt Vejentes & Fidenates, qui & Hetruſci & conſanguinei fuiſſe dicuntur; Nec tamen contra Romanos cauſam communem cum iſtis, nec iſti cum illis fecere. *Romanas enim vires nimis prope ſe, convaleſcere videntes*, eos quidem ſunt adorti, ſed ſoli, nec communicato inter ſe nec cum reliquis Hetruſcis conſilio. (*Liv. I. 14. 15.*)

(*k*) Ita enim ſæpe ſumus comparati, ut minus advertamus ad conſequentias, ex re, quam nunc deſpicimus, orituras. - - Sed nec ſemper per humanitatem providere licet. Et hæc, ni fallor, ſæpius a fato etiam perſpicaciſſimis impoſita lex, ut lynceis ſæpius occultetur oculis,

omnia hæc minuta Imperia, multis circa ſe ſitas ſui Juris civitatibus, additamentum unius non adeo magni ponderis exiſtimaverint; præſertim cum ſpernenda & attentione vix digna ipſis, & Albanorum potius Colonia, quam civitas ſui juris, Roma videretur. Hinc parvam Albam, parvum Lavinium, præ ea Urbe quæ conderetur, fore, non facile ſuſpicari poterant.

§. VI.

Altera eſt ratio, quod Roma condebatur a duobus regio ſemine prognatis, qui authoritate Avi, quæ fecere, facere cenſebantur, vel ad minimum ejus Patro-

quod vel luſci alias vidiſſent. Ita nimirum procedit Providentia quosdam elevatura, ut in quibusdam caſibus cæcitate feriat Potentiores, quo debilioribus ſumendi vires interea detur copia. Et, ni fallor, hoc ſenſu ſæpius ſumendæ Scripturæ S Phraſes, quando dicitur v. gr. *Deum Ægyptios cæcitate feriiſſe*, vel illum *quidpiam coram oculis hominum occultaſſe*. Ita & primi parentes *ſe Nudos eſſe neſciebant*, quamvis ſe corpus non coopertum habere ſcirent, quia de aliis rebus cogitantes, animum ad hoc non adverterunt. Non ergo poſſum, quin ſemper excandeſcam in illos ſibi præpoſtere ſapere viſos, qui in vita communi cuivis ex imprudentia (apparente forſan) male negotium quoddam gerenti, frequenter objiciunt: *Cur non provide magis egiſti?* Du hätteſt ſollen achtung geben. Quaſi vero nobis quævis prævidere liceat, vel non etiam ſæpius prudentiſſimo cuique, animum forte (providentia ſic dirigente) ad longe alia advertenti, aliquid effugiat, quod huccе cogitanti prævidere poſſibile fuiſſet. Nec dicere vereor, qui omnia prævideret, Dei inſtar fore. Quis ergo nobis homuncionibus ſæpius improvide quid facientibus non facile condonabit? ſed & vice verſa, quam ſtulti ſunt, qui omnia ſe provide ſemper feciſſe contendunt?

trocinio carituri non erant, præſertim cum ipſis regnum ſuum debuerit acceptum ferre Numitor. Et hac authoritate ubique opus fuit, vel ſaltem illa inter urbis condendæ adminicula merito collocanda. Dico, authoritate Avi urbem incepiſſe geminos. Nam aliter concipi nequit, unde tam impune territorium condendæ urbis habuerint? Derelictum enim non fuiſſe agrum, quem occuparunt, vel exinde patet, quia locus, in quo educati expoſitive erant, fuit lectus condendæ Urbi. Locus vero iſte erat in paſcuis regiis, quæ, utpote jam occupata, nemini poſſeſſione cedebant, quam vi vel ſponte. De vi, facta circa poſſeſſionem, nulla fit mentio. (*Conf. Liv. I. 6. & Dionyſ. de Fauſtulo.*) Sponte ergo illa ceſſit Numitor in nepotum gratiam (*l*).

(*l*) Adde quod ex 1000. focis *PLUTARCHUS* dicat conſtitiſſe Romam ab initio. (*Plut. in Rom.*) Focum per ἑστίας exprimit. Focos Veſtæ ſacros fuiſſe conſtat, (So viel Feuerſtätte;) qui diis penatibus cujusque familiæ erant conſecrati. Hinc ergo fuere ad minimum 1000. Familiæ, quæ 5000. & ultra conſtare debebant perſonis, & juſtum jam efficere poterant oppidum. Sed unde juvenibus tot ſubito homines, niſi authoritate majore ſuffultis? vel hominibusCadmeo more ex dentibus terræ enatis? (*Heinecc. Ant. ad Inſt. L. I. T. X.*

Et paulo poſt, in raptu virginum, 683. raptæ dicuntur, quæ ſingulæ maritis Romanis ſingulis datæ fuerint. Quod ſi verum, uti diſerte aſſerunt *DION. HALIC. l. II. p. 100. & PLUT.* ſine dubio jam magnum, & multum ultra 5000. hominum numerum fuiſſe Romæ, demonſtrat; cum præter uxoratos & impuberes fuerint 683. Juvenes, cœlibes, matrimonio pares. Sed unde tanta hominum multitudo quarto urbis conditæ anno tam ſubito? Aſylum ſolum certe, niſi & ipſum authoritate majore ſuffultum, tot homines fovere ſparſim receptos,

Sed & veritas Hiſtoriæ huic adſtipulatur ratiocinio: DIONYSIUS HALICARNASSÆUS (*Edit. Silburg. p. 72.*) (quod & LIVIUS verbo annuere videtur *L. I. c. 6.*) expreſſe ait: *Numitorem, Reipublicæ ſtatu poſt mortem fratris ordinato,* (*m*) *mox cogitaſſe de paranda propria ditione juvenibus, novaque urbe in illa condenda; ſimulque urbanam multitudinem, numero auctam vehementer, minuendam cenſuiſſe, & ideo communicato cum Juvenibus conſilio, dediſſe iis agros, in quibus educati*

& ſceleratis a vicinis expulſis impune refugium dare non potuiſſet.

Et unde 20800 armatorum, quos Romulus oppoſuiſſe dicitur Sabinis niſi Albani (& forſan Cæninenſes, Cruſtumini & Antemnates, cum quibus paulo ante fœdus junxit Romulus,) auxilio fuiſſent? (*L. II. idem p. 103. & 105*)

(*m*) Annum Urbis Conditæ *DIONYSIUS*, ex Cenſoriis Commentariis erutum, dicit 25. *PATERCULUS* vero 22 poſt primam Olympiadem. (*Vellej. Pat. L. I.*) Sed cæterum cum Dionyſio ſentit, quod Avi authoritate exſtructam Romam a Romulo dicat, *adjuto legionibus avi.* Sed neſcio, cur iſtum avum *Latinum,* non *Numitorem* appellet, cum tamen & tempus Romæ conditæ, fere uti *DIONYSIUS,* poſt Trojam captam Anno 437. collocet, &, in quo cum faſtis Conſularibus tantum unico anno diſcrepat; ab U. C. ad Conſulatum *Vinicii* vel *Vinutii* quo tempore hiſtoriam ſuam collegit 782 bene numeret? Non deſunt quidem, (quos vide apud *DIONYS.* & *PLUT.*) qui Romulum & Remum nepotes Latini vocant, & Romam tamen condidiſſe dicunt, ſed illi 400. fere annis ante Æram hanc Dionyſii noſtri Romam collocant. Quæ diſcrepantia, præter rei antiquitatem inde provenire poteſt, quia circa locum, in quo Roma noſtra ſita eſt, jam antea a Trojanis Roma quædam in Janiculo condita; & ante illos, Morgete in Italia regnante, fit

ti erant ab initio ; populi ſuſpectam (n) partem, ne quando novis rebus ſtuderet, iis attribuiſſe ; magnam plebis partem migrationem hanc ſuſcepiſſe ; Sed & optimatium multos ; accepiſſe

mentio Romæ cujusdam, apud Antiochum Syracuſanum, quem Dionyſius *non quendam ex recentioribus* vocat. (*Dionyſ. p. 59.*) Quam utramvis a noſtra diverſam, ita tamen vocatam fuiſſe poſſibile eſt. Ρωμαλεος enim & Ρωμη, cum ſint voces ſignificativæ, *Robuſtum* & *Robur* ſignificantes, facile lingua Græca (qualem fuiſſe veterem Italicam, Latii & Hetruriæ præcipue, Oenotriis & Arcadibus, teſte Dionyſio, illuc delatis, conſtat ;) locus munitus ita appellari potuit, uti & olim Robur vocatum fuit caſtellum quoddam prope Baſileam (*Wurſtiſen. L. I. C. 3.*) ſive ipſum iſtud quod hodie auf der Burg vocamus. Quin & altera pars Carceris Romani, qua præcipitatio fiebat reorum, Authore *FESTO* in voce *Robur*, *Roboris* nomine veniebat ; ubi forſan Caſtellum, de quo Fab. Pict. *Roma* dictum, ante Romam conditam ſitum fuit. Ergo nec hæc diſcrepantia excuſare videtur *PATERCULUM.*

(n) Suſpectum tn. *HALICARNASSEI* teſtimonium reddit, quod dicit, Numitorem *eam præſertim urbanam multitudinem* in Juvenes impendendam ratum, (πολιτικον πληθος μαλιςα, το διαφορον αυτω ποτε γενομενον) *quæ olim ab eo diſſentiebat.* Hæc ſine dubio illa, quæ ab Amulii partibus ſteterat. Sed anne credebat, Nepotes, ad novam urbem condendam omni diligentia egentes, his coercendis ſe ipſo, *qui jamjam in priſtinam formam Imperium ſuum, Amulii tempore exlex,* (uti antea dixit HALIC.) *reſtauraverat*, magis fore pares ? fateor, hunc ejus argumentandi modum vix ſemper proceſſurum. Sed exitus bene ratiocinatum eſſe oſtendit. Deliniti forſan animi rebelles novis agrorum diſtributionibus. Vel Juvenum florentium illos magis devinxerat, quam Numitoris ſeniles, mores cujus ipſiſſima perſona olim objectum odii fuerat, quod jam in Nepotes transferendum, etſi eodem genere ſatos, non tantum eſſe poterat.

cepiſſe quoque Juvenes argentum, arma, frumentum, mancipia, jumenta, & alia ad paratum urbis neceſſaria (*o*).

§. VII.

Nec minor fuit cauſa, remotior quidem viſa, ſed magni ponderis, Tyrannis Amulii. Ne enim dicam, abſque hac naſciturum non fuiſſe Romulum & Remum; cum ſi RHEA Veſtalis non eſſet facta, clandeſtino forſan concubitu non eguiſſet, & legitimo matrimonio juncta vel plures vel nullos vel certe multo alios progenuiſſet liberos. Sed hoc longius petitum videretur, quare hoc allegando Tyrannidis ejus effectu ſuperſedemus.

§. VIII.

Sed de iſtis conveniunt fide digniores. I. Amulium, Numitore pulſo, Regnum invaſiſſe; (etſi enim

(*o*) Si hæc *DIONYSII* (uti abunde probatum credo) vera ſunt, *LIVIUS* & *FLORUS* (& ex iis *JORNANDES* exſcribens,) non exacte ſatis ſcribunt, Raptum Sabinarum ex ſola mulierum penuria factum fuiſſe, quia *Res eſſet unius ætatis populus virorum.* (*Flor. l. 1. c. 1. Liv. l. 1. c. 9. Jornandes l. 1.*) Poſuere nimirum contra omnem probabilitatis notam, nullas fere Romæ fuiſſe mulieres, & cum plebe & Optimat. Alb. nullas eo conceſſiſſe, & Albanos denegaturos fuiſſe matrimonium urbis conditoribus, ſua tamen authoritate illam condentibus, & inter paſtores Pallantium incolentes nullas fuiſſe fœminas Romam cum paſtoribus ituras, & nullas fœminas profugas, meretrices, rixoſas, aliasque ejus generis Aſylo uſas fuiſſe. &c. Non ergo tam penuria mulierum, quam vel, ut vicinos ſibi devincirent neceſſitudine, non ſponte ſed vi facta, cum factum infectum reddi non potuerit, illam forſan admiſſuros, raptus iſte decretus, vel ex Romanorum Juvenum protervia (Romuli ferociâ factum poſtea comprobante & defendente) factus fuit.

enim quidam contrarium dicant, (*Diſſentit ſolus Aur. Victor de O. G. R.*) major tamen mihi fides eſt PLUTARCHI, LIVII, EUSEBII & DIONYSII.) II. Numitorem ad privatam ſortem redactum fuiſſe. III. Mares Numitoris filios ſublatos, (*p*) Nepotesque ex filia, Veſtæ conſecrata, (*q*) natos expoſitos (*r*). Quæ

(*p*) Filii Numitoris mentionem faciunt authores : Ægeſtum vocant, & eum in venatione, poſitis juſſu Amulii latentiſſimis inſidiis, (afferit Dionyſius *p. 62.*) occiſum. Cæteros, ſi quos habuit, jam ante Patrem fato ceſſiſſe, inde patet quod *DIONYSIUS* dicat, poſt mortem Numitoris Albanos, deficiente ſtirpe regia, Dictatoribus, non Regibus, uſos eſſe. (*v. Dionyſ. p. 137. 140. & 337.*) Livius tamen L. 1. c. 22. & ſeqq. Reges illis dare videtur, niſi nomen Regis ambiguum ibi eſſe dicere velimus.

(*q*) *RHEAM* ſive *Iliam*, ſub ſpecie honoris, Veſtæ conſecratam fuiſſe dicitur. Nam ab antiquiſſimis temporibus, jam moribus invaluiſſe, ut illuſtres quævis & nobiliſſimæ, in Deæ famulitium lectæ, ſacro ordini dicarentur. - - An hoc veneratione religionis, anne ex ratione Politica fuerit, non facile dixerim. In magno ſemper honore fuiſſe ſacerdotium, vel ex hoc patet, quod jam apud Indos Bacchi tempore prima ſeptem tribuum, in quas India fuit diſtributa, honoratiſſimaque, Philoſophis Sacerdotibus data fuerit; (*Diod. Sic.*) & Aſcanio Æneæ filio defuncto, Juloque Aſcanii Filio regno excluſo, & Silvio Æneæ altero, quem ex Lavina conceperat, in regno ſuccedente, Julo in ſolatium non obtenti regni, antidori loco, ſacra quædam poteſtas & honos ſacerdotalis tributus fuerit, qui ob quietem Monarchico præferebatur. (*Dionyſ. p. 56.*) - - Sed potuit ſubeſſe quoque ratio politica, cur Veſtales nobiliſſimæ legerentur, quia fœminæ in Italia ſuccedere poterant,

Silvius enim cum ex Lavina natus eſſet, ad quam tota regni hæreditas pertinebat, ob hanc ſolum rationem, Julo Aſcanii filio a populo fuit prælatus, quia regnum ad Lavinam potius, quam ad Æneæ poſteros, ex aliena uxore natos, pertinere rebatur. (*Idem ibid.*) Quin & hic idem metus, ne Rhea Amulio aliquando ſuccederet, (Amulio & Numitore filiis deſtitutis;) Amulio, ut ſacro ordini illam manciparet, perſuaſit.

(*r*) Hanc etenim expoſitionem omnino fabuloſam eſſe,non crediderim, cum illæ frequentes illo tempore fuerint; certam tamen eſſe, ſuſtinere, cum omnibus circumſtantiis, non auſim. (vide diſſentientes apud Dionyſ. *p. 71.*) Mirum enim, quod multi Regnorum fundatores vel idem vel aliud mirandum fatum ſubiiſſe dicantur, quaſi moris fuerit antiquis temporibus, talia de Heroibus prædicare. (*Diod. l. 11. c. 10. & 11. Libr. I.*) - - Ita Bacchus Indorum Rex primus in Jovis femore nutritus dicitur: Et Scythæ fabulantur, natam ſibi virginem ex terra umbilicotenus hominis forma, reliqua viperæ, & eam ex Jovis congreſſu genuiſſe puerum, cujus nomen Scytha, genti nomen dederit. (*Diod. Sic. Libro 2.*) - - Ita fere *HERODOTUS*, quod tn. & ipſi fabuloſum videtur, de Cyro necando tradito & a cane enutrito. Quin & *Spaco* nomen fœminæ, & *Lupæ* nomen meretricis, myſterioſam quandam ſimilitudinem, ſed ſuſpectam, habet. - - Ita de Semiramide in ſilveſtribus locis expoſita & ab avibus enutrita dicitur. - - Taceo, quæ de Perſeo, Hercule, Jove, Jone, Melitæo, Oedipode, &c. miris modis ſervatis fabulantur, quæ tn aliquid veritatis abſcondere (juxta §. II. ſupr.) non omnino impoſſibile. Hoc prodigioſum, quod de Urſo, cum nobili virgine Sueciæ concumbente, ſeptentrionales ſcribunt, ex quo coitu natus *Sprachalegum*, Suenonis Herois, ex quo Danorum Reges veteres ſtirpem ſuam occipiunt, patrem genuit. (*Olaus M. L. 18. c. 22. Herod. Clio.*) Forſan & ſub hoc Urſo humani monſtri quid, uti

Quæ omnia ex Tyrannide Amulii orta, magna fuerunt Romæ condendæ præparatio. Hinc enim educatio Gemellorum acerbior & bello aptior, non in Curia Principis, ubi plerumque vitæ genere molleculo animi liberorum regiorum emolliuntur. Procul educabantur a Curia, in loco ab omni adulatione remoto, inter paſtores, qui eo tempore non tam viles fuere habiti ac hodie, & viri erant plerumque feroces & ſtrenui (s). Vel ſi mavis, inſcio Amulio, in Schola quadam Gabiis habita, ubi tanquam privati in artibus liberalibus inſtruebantur; quod, authore Plutarcho, quibusdam vero magis ſimile videtur, & expoſitionem infantum non excludit, cum expoſitum fuiſſe primum, & poſtea in Schola inſtrui, non ſint ἀσυςατα. Quicquid ſit, in neutro horum locorum veritas ſub ſpecie reverentiæ occultatur, nec mendacia obtruduntur, quod porphyrogennetis ſolet evenire ple-

uti ſub Dercete Piſce (quo nomine Semiramidis mater filia regia fuit appellata) & Semiramide Scythis avem denotante, & ſub *Spaco* & *Lupa* & *Mulo* (uti Cyrus fuit appellatus) latet. Et ut ad expoſitionem redeam, non caret mirandis circumſtantiis Moyſis expoſiti in aqua conſervatio, quæ tamen nobis certiſſima. (*Exodi. 2. Joſ. Ant. L. 11. c. 9.*) Nec Romuli & Remi plus a veroſimili abhorret expoſitio, modo *Lupam* quadrupedem altricem hiſtoriæ adimas.

(s) Fauſtulum *DIONYSIUS* vocat virum probum, Regis ſubulcorum magiſtrum, & alibi, montis Palatini incolam, regiique pecoris præpoſitum, genus duxiſſe ab Arcadibus Evandri comitibus. - - Ita & Silvium, Aſcanii & ſucceſſorem & fratrem, a paſtoribus in montibus educatum ferri, ait *idem.* Lavina enim ſecundo nupta Æneæ, gravida poſt mortem mariti relicta, cui fideret neſcia, Paſtoris Tyrrhi, *qui Latino maxime familiaris fuit,* fidei ſe commiſit. &c. (*Dionyſ. p. 56.*)

plerumque, (*v. Fenelon. Dialog. entr. Henri IV. & le D. de Mayenne.*) ut nullius rei minus quam humanitatis ideam illis comparent, & omnia fere prius quam veram virtutem bellicam & Politicam edoceant magiſtri (*t*).

Sed alterum, quod ex Tyrannide ſequebatur Amulii, erat odium probiorum contra eum, & amor erga Numitorem & ejus propugnatores. Exinde tandem expugnatio regiæ, Amulii exitium, Gemellorum quædam factio, animorum ad majora invitatio, &, ut verbo dicam, illorum urbis condendæ conſilium.

§. IX.

Non parvum quoque ad Gemellorum inſtitutum mo-

(*t*) Quamvis enim curias Regulorum Latinorum non cum noſtris comparare velim, in illis tn. adulationem æque ac hodie obtinuiſſe probabile eſt. Nam Æneam (qui ex potentiſſima Urbe exul in Latium venit, dux belli expertus, & luxus pergnarus;) ſucceſſoribus ſuis, in rebus parvis, artibus politicis, majeſtatem ſuam conſervandi, (fere uti fieri hodie ſolet in Curiis *Comitellorum* & *Marchionettorum*,) egregium exemplum reliquiſſe, non eſt improbabile. Et ſolius Alladis qui 100. in circa annos A. U. C. Latio imperitavit exemplum, quanto jam illo tempore aſtu regnaverint reguli in Latio, oſtendit. Is enim machinas excogitaverat, quæ fulmina imitarentur, & tonitrui ſimiles ſtrepitus ederent, quo Dei inſtar terreret ſubditos. (*Id. p. 57. Liv. I. 29.*) Quæ & aſtum, & mechanicam ſcientiam, & alias curiarum noſtrarum (quas vocant) machinationes politicas, ab omni ruſticitate abhorrentes arguunt. Quin & hinc patet, Regulos Latii non fuiſſe adeo novos homines, & nequaquam ruſticitatis arguendos, quod L. Alba Numitoris Amuliique temporibus jam per trecentos annos ſteterit, longa regulorum ſucceſſione gubernata. Per tantum tempus non facile civitas ſimplicitatem morum retinere potuit.

momentum attulit, quod Amulius, regno pulſus, prole caruerit (*u*). Nemo enim ignorat, quos tumultus regum proſcriptorum Liberi ciere ſoleant in avito regno. Parum abfuit, quin Porſennæ ope ad exitium redegerint Romam jam adultam Tarquinii: Quare tot ſtupendis Viris ad ſervandum nomen Romanum illo tempore opus fuit, Mutio Scævola, Clælia Virgine, Horatio Coclite, &c. Quid non factura fuiſſet Amulii proles (ſi quam reliquiſſet) urbi infanti adhuc, inſidiis perpetuis ſtruendis parata? Non ergo mirum, Principes patria extorres tam facile apud exteros refugium invenire. Hinc magnum quoddam regnum, miſerorum Regum ſolamen perpetuo eſſe voluit, ut ſemper haberet, quo vicinos ſuos, ſi e re ſua eſſet, vexaret. Hoc ſine dubio olim metuentes illi, qui principes depoſuere, melius rati ſunt, illos vel perpetuæ cuſtodiæ mancipare, vel luminibus (*x*) orba-

(*u*) Filiæ quidem Amulii mentionem facit *DIONYSIUS*, (*Halic. L. I.*) quæ Rheæ necem deprecata, illi vitam conſervavit. De maſculis vero nulla veſtigia reperio. Hoc reperi, eundem (*Id. Lib. V.*) occaſione primi Dictatoris T. Largii Romæ creati, dicere, cum Albanos regia ſtirps deficeret, poſt Amulii & Numitoris mortem illos dictatores creaſſe. Idem aſſerit Geographus ſupra laudatus (*Strabo.*) ubi de Italia loquitur, utrumque ſine liberis deceſſiſſe.

(*x*) Hunc excæcandi modum olim frequentem fuiſſe in Oriente & Occidente, hiſtoria docet. Friderici primi temporibus adhuc obtinuit hæc in proditores pœna; Poeta dicit:

> Nam re comperta prius illi lumina lictor
> Fodit, &c.

Sic Bernhardus, Ludovici Pii ex Pipino fratre nepos Nothus, ob ſeditionem cum ſociis fuit excæcatus. Ita

orbare, quam e regno ejicere, quo facto, abſentes dum ſunt, majores in republica ciere ſolent turbas, quam præſentes dum eſſent fecere. (*y*) Quare utile con-

& Conſtantinopoli Imperator Conſtantinus, Helene Imperatricis Filius, luminibus orbatus. Idem evenit Conjuratoribus Germanis contra Carol. M. rebellantibus. Pipinus vero Nothus in patrem rebellis in Monaſterium detruſus. (*Gunther. Lig. L. II. Thegan. de G. Lud. Pii. Mon. anon. vita Car. M. Albert. Stad. Lib. IV.*)

HERODOTUS ait, Scythas excæcare ſolitos fuiſſe ſervos ſuos, quod tn. crediderim de uno oculo tantum intelligendum, alioquin inſtitutum nimis abſurdum vix fidem merebitur.

(*y*) Nec ſolum viri patria pulſi, qui magnum patriæ, exterorum ope, fecere negotium, ſed & magnanimi exules, quorum exilium auxilio fuit patriæ, quam periculoſum ſit, tales viros patria pellere, demonſtrat. *Thraſybulus* Athenienſis, patria pulſus, & eadem a Tyrannis liberata, Legem de oblivione injuriarum tulit, cum in illius poteſtate fuiſſet, opem ad illam delendam conferre. (*Æmyl. Probus in Thraſ.*) *Marcus Coriolanus* Roma ejectus, ſed cum exercitu hoſtili redux, illa jamjam potiturus & injuriam ulturus, nonniſi pietate in *Veturiam* matrem (*Volumniam* vocat Plutarchus) impeditus fuit, quo minus Romæ dominus fieret. (*Livius. Plutarch. in Coriol.*) *Themiſtocles* exul patriam perdere poterat, ſed morte ſua maluit prævenire illius exitium. (*Plut. Themiſt.*) *Camillus* exul Gallos fudit, & Romam Romæ reddidit, cum illi conturbatæ leges ipſe dare potuiſſet.

Et 50. illi Exules Helvetii, qui ante pugnam apud *Morgardam*, exilii remiſſione a ſuis petita, etſi pro patria ſe pugnaturos promiſiſſent, tamen repulſam paſſi ſunt: Sed hoc necquicquam commoti, nec amoris in patriam obliti, (Magnanime magis quam fortiter di-

conſilium eſſe arbitror, Principes viros, ob delicta contra rem publicam, morte potius quam exilio multandos. Illo enim fit modo, ut uno ictu finiantur diſſidia, hoc vero, ſolum ad tempus malo remedium affertur, & ulcus ſæpe majore cum veneno erumpit, dum ſuppuritandi & matureſcendi denuo tempus illi fuit relictum, vel ſi non erumpit, cancri tamen inſtar membra perpetuo corrodit & fatigat. (z) Sed nec perpetuam cuſtodiam remedium ſemper ſatis vali-

cam!) loco præcipiti, quod Auſtriacis, antequam Helvetios adorirentur, proxime erat ſubeundum, occupato, antequam illi noſtros invaderent, ſaxis & lapidibus laceſſitos & turbatos, terroris illorum & fugæ ſubſecutæ prima cauſa fuere. Quo demum feliciter patrato facinore, victoria ab Helvetiis parta, exilii veniam meruerunt, dum tn. ni amor in patriam obſtitiſſet, in Leopoldi caſtra tranſeundo, magna pars potuiſſent fieri cladis forſan Helvetiis infligendæ. (*Stettlerus, loco ſupra laud.*)

Addi poſſent Belliſarius, Narſes, (*Hiſt. Græc. l. 1.*) Alcibiades, &c. de hoc v. Xenoph. & Plut. parallel.

(z) Ita Alex. M. *Sicut in corporibus ægris nil, quod nociturum eſt, medici relinquunt, ſic nos quicquid obſtat imperio recidamus. Parva ſæpe ſcintilla contemta magnum excitavit incendium.* (*Curt. L. VI. c. 8.*) Optume loqueretur Rex, ſi ſententia illa non ad latrocinium ſuum Heroicum ulterius extendendum, (uti fecit,) ſed contra illos uſus eſſet, qui damno Reipublicæ eſſe queunt. De his enim utique conſultius eſt, *ſæpe durius, quam meriti ſunt, in eos ſtatuere, quam, lenius cum illis agendo, periculum ſubire, ne ſcintilla non extincta, & magno exinde incendio orto, detrimenti quid capiat reſpublica.* Μικρὰ γὰρ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. (*Gal. V. 9.*)

dum eſſe (*a*) contra novos motus, vel ſola Hiſtoria Angliæ luculenter ante non adeo multa luſtra comprobavit.

§. X.

Sed nec hoc parum ad Romæ exordium contulit, quod Fortuna reliquias iſtas & quaſi ruinas regii ſanguinis adeo nobiles crearit, & revolutioni, qualis erat in fatis, aptas. Utrique enim Gemellorum erat (*Authore PLUT. in Romul.*) quædam in corporibus generoſitas, & in Pueris adhuc ſpecies magnitudinis. Cum vero adoleviſſent, uterque fortis, animum gerebat inexterritum, & ad quævis audenda paratum. Ideo æqualibus & humilibus grati eſſe, regios

(*a*) Temporibus tn. illis, quo Clero divinus honos tributus, Laicis vero obedientiæ gloria fuit relicta, & Tonſuratio maxime obtinuit, hoc carceris genus ſecurius fuit. Quis enim inter angelos, Archangeli juſſu, incarceratos liberaſſet? Ludovicus Pius coram *Stephano in terram ter proſtratus omni corpore, tantiſſimum Pontificem ſalutavit.* (*Theganus §. XVI.*) En ergo quantum Clericorum princeps principem laicorum antecelluerit. Sed & crimina Clerus impunius patrare poterat. Bernhardus & omnes ejus ſocii ſeditionem contra Ludovicum vel morte vel cæcitate expiarunt. Tres vero Epiſcopi, facinoris correi, in confeſſione, a ſuis, non ab Imperatore deponebantur. (*idem §. XXII.*) In ſancta iſta capita durius quiddam ſtatuere non licuit. Indulgentius enim in ſuos eſt Nov. Teſt. quam fuit vetus, quo obtinente HELI, quod lenior fuiſſet in filios immorigeros, de ſella præceps ruit, (*1. Sam. C. IV.*) & leges ultrices in ſacerdotes, imo illorum Liberos, duriora ſtatuebant quam in Laicos. (*Levit. XXI. 7. 9. -- X. 1. 2. 9. -- Joſeph. Ant. l. III. c. 14. & IV. 6.*) Non ergo mirum, carceri Moniali olim juſſu clericali incluſos firmiorem ibi ſedem habuiſſe, cum tanta Cleri fuerit veneratio.

gios officiales aſpernari, amplecti labores, venationes, curſus; Latronum inſectatores, miſerorum patroni eſſe &c Præclari ob id facti & magni nominis. Romulus tamen excellentior & fortitudine & civili conſilio putabatur.

§. XI.

Sed hæc nondum ſufficiebant ad Nomen Rom. condendum. Facto quodam opus erat deciſivo, quod tam felicibus circumſtantiis opem ferret. Opus erat Fortuna, quæ jamjam viam meditabatur, qua ad ſcopum ſuum perveniret propoſitum. Juvenes iſti jam ſatis clari propria virtute, alieno auxilio egebant, quod & Authoritatem imaginariam ipſis conciliaret. Nil eſt, quod a rerum inde initio majorem viris claris adjecerit authoritatem, nativitatis gloria, adeo ut hanc ſæpe fictam, ſi vera non aderat, conſtet (*b*). Neceſſe igitur fuit, ut & de Gemellorum noſtrorum conſtaret nativitate. Sic enim & juſtitia quædam illorum facta erat ſuſtentatura, & opinio hominum illorum parti magis erat fautura. Sed veritati non facile aditus patet ad eos, qui ſumma tenent, nec adeo de vera Gemellorum origine, niſi difficulter, conſtare poterat; & timor a Tyranno os occluſit Fauſtulo, quo minus, quæ de illa ſciret, effaretur. Nam ardua quam maxime, vel ſpe vel metu ſæpius abſcondita

(*b*) Exemplo Lamberti Simmelii, qui Temporibus Henr. VI. R. Angl. Comitem a Warvvik ementitus fuit: Et *Perkini* vel Petri, Richardum Eduardi IV. Filium ſub eodem Rege agentis. Quorum uterque magnas Henrico turbas ſuſcitavit. (*Bacon. ver. Hiſt. H. VII.*) - - Huc quoque faciunt 5. Pſeudo-Friderici, Fridericum II. Imperatorem ſe eſſe contendentes; & dum ſe pro illo venditarent, illum A. 1250. in Italia fato defunctum negantes: quod & Conradino ultimo lineæ Suevicæ poſtea contigit. (*Struvii* Reichs-Hiſt. *C. XX. XXI.*)

dita manent, & ex illorum præcordiis, qui illa vehementius propalata cupiunt, vix invenit exitum, donec fortuna præbeat, qua illis exitus impune, recluſo quaſi carcere, pateat. Hoc opus erat gemellis, &, quo fuit opus, fortuna ſuggerebat.

§. XII.

Nam Lupercali deditis Ludo, Pani ſacro, cum nudi circumcurſitarent, (c) inopinato Remus, (Romulo ſe vi defendente) capitur ab inſidiantibus, & Amulio traditur. (*Liv. & alii.*) Crimini dabatur maxume, in Numitoris agros ab his impetum fieri, & inde prædas agier. Amulius cauſa cognita, captum Numitori ad ſupplicium tradit. Hic ſpecie juvenis, cum iis quæ de illo audiverat, comparata, de origine ejus interrogat, & juvenis de incerta ſua nativitate differentis reſponſo, cum ætate ejus & expoſitionis tempore conlato, nepotem ſuum agnoſcit; dum interea Fauſtulus, ſuſpicatus aliquid, Romulo Hiſtoriam non ſolum detegit, ſed & adit Numitorem, & alveo, in quibus expoſiti erant gemini, illi oſtenſo, meretur fidem. (*Dionyſ. Hal.*) Interea & Romulus avum Numitorem adit, & ab illo agnitus, juncto celeriter dolo, cum globo juvenum, juſſis aliis alio itinere ad regiam confluere, in regem impetum facit, *obtruncat*, fratrem liberat, avoque regnum paternum conciliat; Avus vero reſtitutis rebus, de paranda propria ditione cogitat, locum & Coloniæ deducendæ neceſſaria ſubminiſtrat, ipſi vero Romam condere occipiunt. (*Euſeb. Chron. &c.*)

(c) Variant quidem ſcriptt. quoad Circumſtantias, ſed Re conveniunt. Quare & inutile & vix poſſibile ducerem, exactam omnium circumſtantiarum veritatem noſcere. Noſſe ſufficiat, factum deciſivum interveniſſe, quo & de Gemellorum origine conſtaret, & Amulius dejiceretur regno, & Numitore reſtituto, & ipſe & Juvenes, conjunctis viribus Romam condere poſſent.

§. XIII.

Ut autem urbs non ſolum conderetur, ſed ut cito conderetur, Fatum alterum fratrum occidi voluit; (*d*) vix enim erat, novam civitatem a duobus capitibus recte conſtitutum iri, nedum fratribus, nedum Gemellis. Nimirum ſicut in unaquaque republica, unica tantum ſumma poteſtas eſſe debet, ita & hic unicam eſſe opus erat. Ubi duo regnant, ſi (quod humaniter impoſſibile,) non in omnibus conſentiant, vel nil agitur, vel id agitur, ut diſcordia, rixæ, cædes, imo bella inteſtina, inde oriantur,

Nec enim regna ſocium ferre nec tædæ poſſunt.
(*Senec. Trag.*)

(*d*) Qua occaſione, an juſte, quando, & a quo Remus occiſus, litem meam non facio, nec huc ſpectat. *Vide Auth. ſupra cit.* - - Si propterea occubuit, quia foſſas urbis tranſiluit, ſtatim ac aratro ductæ eſſent, tranſiluit; abſurdum enim eſſet credere, illum jam perfectas tranſiluiſſe. Utrumvis tamen crimen capitale fuiſſet. - - Si in pugna inter partes Romuli & Remi commiſſa cæſus fuit, etſi multi ex utraque parte occubuerint, & plures ex Remi parte diſceſſerint, & ideo magnus antea numerus colonorum ad parvum redactus fuerit, reliqua tn. vis unita fortior fuit, quam fuiſſet major numerus, duobus ſubjectus, diſcordia certiſſime brevi dilapſurus. - - Quare & Tatium poſt fœdus cum Sabinis factum, in conſortium quoddam regni receptum, ſed a Laviniis occiſum, haud ægre tulit Romulus, ſine dubio ob minus ſecuram, & nec utilem populo, nec imperanti gratam regni ſocietatem. (*Liv. l. 1. c. 14*) - - Ex eadem ratione Palamedes Græcis gratiſſimus, & proinde reliquorum gloriam ducum ſua gloria obfuſcaturus, indigne ab Uliſſe & Diomede, inſidioſo modo lapidibus in puteo obrutus, e medio ſublatus ante Trojam. (*Dictys Cretenſis. L. II.*)

Plurimum ergo ad urbis incrementum Remi interitus fecit,

§. XIV.

Verum eſt itaque, originem civitatis Romanæ extraordinariis deberi circumſtantiis, quæ illi, fato ſic volente, dedere initium, & quibus Remus, & præſertim Romulus feliciter uſi, viri magni nominis evaſere. Nec opus eſt, ut recurramus ad fabuloſa, memoriæ paſſim a Scriptoribus tradita (*e*), quæ antiqui-

(*e*) Ad fabuloſa refero, Martis cum Rhea concubitum, - - Lupam gemellis mammas præbentem, - - Picos Marti ſacros minutis cibariis enutrientes expoſitos infantes. - - Claſſem, quæ ex Græcia veniens, per fœminam Romam combuſta dicitur. - - Coitum Ancillæ cum Genitali maſculo, quod per miraculum in foco Tarchetii apparuerat, ex quo (filiæ regiæ, ſed illum ſpernenti, præparato) Romulus & Remus nati produntur. (*Authores paſſim.*) - - De alio ſpectro, quod fani Numen erat, cujus veſtalis erat Rhea, ex quo gravida illa facta gemellos peperit, (*Plut. Rom.*) - - De ſole eo tempore obſcurato, &c. Quod tamen abſolute falſum non dixerim. Sed nos eandem *fallaciam cauſa non cauſæ* commiſſuros exiſtumo, ſi illum propter Romulum obſcuratum fuiſſe contendamus, qualem commiſere veteres, quibus defectus lunæ & ſolis omini fuere; cujusmodi exempla multa ſunt apud ſcriptores. (*Curt. L. IV. Plut. Pelop. Euſeb. Chron.*) Nec ergo vereor hallucinationem addere, Romuli tempore aliquid extraordinarii circa ſolem contigiſſe. Ezechias enim Rex illi fuit coætaneus. De hoc SS. aſſerit, dum ægrotaret, ſolem 10. lineis retrogreſſum. (*2. Reg. XX. Joſeph. ant. L. 10.*) Et cum Judæa reſpectu Italiæ 30. Gradibus ſit Orientalior, ſol vero ſingulis horis 15. gradus dimetiatur, ſolem Italiæ duabus horis tardius oriri, quam Palæſtinis, certum eſt; Craſſa tn. Minerva, non Aſtronomica exa-

quitati & magnitudini Urbis condonanda ſunt ; Quia tale miraculum orbis, modo ordinario oriri haud potuiſſe videbatur, & divino hinc ſemine, divinis viribus, ad eam producendam, & primos ejus moderatores procreandos, opus fuiſſe, haud ita abſurde, credebatur, τοις τα Ρωμαιων πραγματα λογιζομενοις ; ὡς ὐκ ἀν ἐνθαυτα πρȣ́βη δυναμεως μη θειαν τινα ἀρχην λαβοντα. (*Plut. Rom.*)

ctitudine, facta computatione. Quod ſi ergo illud miraculum Ezechiæ, hora matutina ſolis in horizonte Judæorum apparentis, 3. & dimidia vel 4. contigit, in Italia fuit 1. & dimidia vel ſecunda diei hora. Pone jam ſolem vel paulum retrogreſſum, facile infra horizontem Latii viſibilem poſt juga Pennini abſconſus deliteſcere, & *Chlamyde ſol operiri* potuit. Miraculum vero iſtud tempore matutino factum eſſe, apodictice ut probem, non habeo ; ſed eadem eſt probabilitas pro matutino, quam pro alio tempore ; Cui accidit, de quo loquimur, extraneorum teſtimonium (*Plut. Peric.*) de ſole illo Tempore eclipſin paſſo. Et ESAJAM inſpicientibus, in Lamentatione Hezechiæ ægrotantis, illum Regem introducere anxium per totam diem uſque ad noctem, optantem ut ad minimum craſtinum diem videret : Et dum ita per totam noctem angitur, Eſajas in paroxyſmi apice advenit, emplaſtrum ficulneum applicat ; ſed de ejus effectu dubitat rex, petit ſignum, & impetrat. (*Eſaj. 38. 12. 13. 21.*) Et ſi multorum Criticorum more, ſententiam meam enixe defendere animus eſſet, haberem adhuc HERODOTUM pro me militantem, qui Cyaxare Lydiam debellante ait νυξ ἡ ἡμερα ἐγενετο. (*Herod. Clio. Polymn.*) Nam tempus non omnino abhorret. Sed ſcio, illum Xerxis tempore Eclipſin deſcripturum, ſolem omnino e cœlo diſceſſiſſe ſcribere, quare allegatam ejus phraſin (veritatis magis quam ſententiæ meæ amans) non captabo.

(Obiter occaſione Miraculi, quod Ezechiæ contigit, monendum, JOSEPHUM (*Ant. l. 10. c. 3.*) adde-

§. XV.

Illi ergo, qui novis rebus ſtudent, probe attendant, an felicem circumſtantiarum concurſum prævideant: Et caveant ſibi rebelles animi, ne nimis confidant Fortunæ, alioquin rempublicam turbaturi, ſibique ſuisque exitio futuri. *Fortes Fortuna*, ſed non ſemper, *juvat*; & audaciſſimi vix fortes dici merentur; nam tantum fortis ab audace differt, quantum providus a meticuloſo.

re, Regem præcipue anxium fuiſſe de hærede, antequam moreretur impetrando; quam circumſtantiam in S. literis non reperi, etſi in ſe vera eſſe poſſit. Nam tribus poſt morbum ejus annis Manaſſem ei demum natum eſſe patet, quia 15. annis poſtquam convaluiſſet vixit Ezechias, & relicto Manaſſe filio duodecenni defunctus eſt. (*2. Reg. XXI. 1. 2. Chron. XXXIII. 1. Joſ. L. X. C. V.*) Sed quomodo in Joſepho dicitur, hunc vixiſſe annos 77? cum hoc poſito juxta Joſephi verba antecedentia, qui illum regnaſſe annos 55, aſſerit, Manaſſes mortuo patre juvenis fuiſſet annor. 22, adeoque natus 7. annis ante patris morbum, quo tn. tempore juxta eundem Joſephum Ezechiæ nulli hucdum erant filii. Impoſſibile eſt, Hiſtoricum doctiſſimum exactiſſimumque talem errorem commiſiſſe, quare cum indubius error in MSc. lateat, loco 77. ponenda absque ſcrupulo 67. Quod nondum factum miror* hoc enim modo Joſephus & ſecum & cum SS. facile conciliabitur.)

His affine eſt, quod tradunt, ipſum Amulium cum Rhea coiviſſe, ſeptum armis, quo magis puellæ metum incuteret, &, ne facile agnoſceretur, ob inſolitam cultus ſpeciem. Unde potuiſſet eſſe orta fabula de Martis cum puella concubitu, & quod ajunt quidam, remiſſio ſupplicii capitalis Rheæ juxta LL. infligendi, Amulii precibus facta, &c.

* *Id factum jam in nupera JOSEPHI Editione Germ. Cel. J. B. OTTII, l. c. H.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

VI.

THEMATA

Prælectionum & Diſputationum, *

Speciminis Publici edendi gratia
pro
Cathedra Philoſophica,
In Academia
BERNENSI, quæ LAUSANNÆ eſt,
rite conſequenda,
Decem Præſtantisſimis
CANDIDATIS
præſcripta.

* Qua occaſione & qua lege hæc *Themata Philoſophica* publici juris fuerint facta, ex Præfatione adjecta quilibet videbit. Poſt edita vero Specimina *Cathedra* hæc Cl. ***PETRO de CROUSAZ***, *Philoſophiæ* antehac jam *Profeſſori*, illo eam flagitanti, fuit commiſſa, cum ex aliquo jam tempore ex Aula Haſſiaca domum redierat; Sed ipſi ſimul Collega datus Vir Rev. & Cl. ***JOS. ÆFRANC. du MOULIN de MONTAGNI***, cui præſertim *Theol. Nat. & Metaphyſica* Penſum a Supremo Magiſtratu fuit demandatum.

PRÆ-

PRÆFATIO.

JOH. GEORGIUS ALTMANNUS,

Ling. Græc. & Ethices Profeſſor Publ.
ACADEMIÆ BERNENSIS
h. t. Rector,
Lectori Erudito
S. P. D.

PLacuit ſummo rerum humanarum Moderatori & Arbitro, jam ante quosdam menſes ex dolorum & ærumnarum ergaſtulo ad cœleſtem evocare ſapientiæ fruitionem Virum Clariſſimum atque Celeberrimum *FRANCISCUM FRIDERICUM de TRAITORRENS*, dum viveret, *V. D. M. Philoſophiæ atque Matheſeos in Academia LAUSANNENSI Profeſſorem P. O.* qui per annos undecim ſpartam ſuam ita exornavit, ut bonis & eruditis omnibus obitus ejus in florente adhuc ætate flebilis acciderit atque luctuoſus. Cum itaque ex morte Viri deſideratiſſimi ſuo rectore & doctore ſit orbata Cathedra, Illuſtriſſimæ Reipublicæ *BERNENSIS* Proceres, Academiæ Patres Benevolentiſſimi, pro perpetua & provida in bonas literas cura, de ſucceſſore in locum beate defuncti ſurrogando animum adverterunt, ex cujus ore ſapientiæ, veritatis, atque cognitionis ſolidæ regulæ atque præcepta avidi auditores exciperent.

rent. Ut ideo ad *vacuam Sedem Philoſophicam* talis ſurrogari poſſet, qui non tantum *Philoſophiæ* ſit *Profeſſor*, ſed & *PHILOSOPHUS*, pro more recepto atque legibus Illuſtris Reipublicæ, Clariſſimi atque Doctiſſimi Viri, ad Specimina publica in materias præſcriptas prælegendo atque diſputando, jubente ſummo Magiſtratu, ab Ampliſſimo Senatu Academico fuere evocati, qui ſuam in ſcientiis Philoſophicis ſagacitatem & eruditionem publice exponerent, atque diebus ſorte præſcriptis probarent, ſe eſſe Philoſophos veri nominis. Per *Philoſophum* autem nos intelligimus talem Virum, qui perpetua claritate, & tanta, quanta fieri poteſt, ſimplicitate cauſas rerum evolvat; rationes ſolidas atque ſufficientes de iis, quæ tanquam veritates agnoſcit, vel tanquam falſa & inania rejicit, producat; quæ ſint initia, progreſſus, cauſæ & rationes rerum lucidis & certis argumentis evincat; veritatemque in omnibus meditationis & laboris ſcopum præfigat, ſive illa ab *ARISTOTELE* & *PLATONE*, ſive à *CARTESIO* & *NEWTONO*, vel etiam à *LEIBNIZIO* vel *WOLFIO* fuerint tradita; quique ab omnibus præconceptis opinionibus ſit immunis & liber, ne amore vel odio ductus veritati & cognitioni obicem ponat. Cum ergo ſanctiſſimi Senatus Patres conſtituerint, ſpartam Vero Philoſopho decernere, themata hæc præſcripta typis mandari, atque ad eruditiſſima certamina omnes bonarum literarum Fautores, Cultores, atque Amicos volunt invitari. Veniam tandem depoſco, ſi præſcripta Prælectionem

ctionum & diſputationum themata non omnibus arrideant. Me equidem facile defendo, ſi quidam putent, me ex proprio vortice à vicino fuiſſe abreptum, cum *RECTORIS* munus mihi collectionem & diſpoſitionem harum quæſtionum impoſuerit; meam vero, quam potui, dedi operam, ut illa argumenta ſeligerem, quæ apud Philoſophos noſtri temporis ſunt & celeberrima, atque productis ex utraque parte rationibus agitata. Hæc adjicienda putabam, ne quis mihi forſan occinat, *non tibi rerum cauſas & origines, corporum cœleſtium motus, naturæ & mentis humanæ abdita, rimari ſorte datum,*

- - *Tua te jactes in aula.*

* *

I.

JOH. PETRO PEREY, V. D. M.

& Paſtori in loco dicto *le Lieu*,

Ad diem 13. Januarii, M DCC XXXVIII.

I. Materiam Prælectionis matutinæ dabit Reſponſio ad Quæſtionem: *Quomodo origo mali contra omnes difficultates ſufficienter poſſit explicari & defendi?*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

Scientia, fides & opinio, de eadem re, an in uno eodemque ſubjecto & tempore conſiſtere poſſint?

2. Lo-

2. Logica naturalis ſufficiatne ad cognoſcendam veritatem ac vitandum errorem ?
3. Verumne ſit illud *LEIBNITIANUM*, *præſens gravidum eſſe futuro* ?
4. Deturne ſtatus perfecti æquilibrii ?
5. Verene dicatur, quod *CARTESIUS*, ſi hucusque provixiſſet, ſyſtema harmoniæ amplexurus fuiſſet ?
6. Mundus potueritne creari a Deo ab æterno ?
7. An Eſſentiæ rerum ſint æternæ ?
8. Num Cl. *WOLFIUS in ſua Theol. naturali* intellectum divinum ex plurium mundorum poſſibilitate demonſtrative deduxerit ?
9. An ſyſtema influxus Phyſici repugnet veritatibus aliunde cognitis: *Quod nihil ſit ſine cauſa ſui, & quod in effectibus determinatis debeat eſſe ratio determinationis ?*
10. An omnia quæ ſunt, ſint æterna & infinita, ut aſſerit *SPINOSA* ?
11. Num definitio amoris *WOLFIANI* ſit genuina, & nemo ante illum amorem ita definiverit ?
12. Num ex corruptione & putrefactione aliquid poſſit generari, an vero conjunctio utriusque ſexus requiratur ?
13. Undenam maris ſalſedo ſit arceſſenda ?
14. Cujus naturæ ſit Vis Electrica, & an omnia corpora hac virtute ſint prædita ?
15. Quænam ſit ratio, quare magnes ferrum attrahat ?
16. Senſus quis ſit illius *PLATONIS*, *Quod origo mali inde ſit, quod non omnis materia potuerit in ordinem convenientem redigi ?*
17. Fatum *Platonicum* & *Stoicum* quomodo inter ſe differant ?
18. Num *Cometæ* una cum omnibus Planetis primariis revolvantur circa Solem in umbilico Ellipſeos conſtitutum, ſecundarii autem circa ſuos primarios,

lege

lege eadem ac ſimili plane ratione? Numque tanta ubique jam regnare deprehendatur maieſtas & harmonia in univerſo, ut vel ipſius Alphonſi Regis ſatisfaceret faſtidio, impio ore fabricam univerſi increpantis?

19 Num omnes, quæ corporibus accidunt, mutationes, ſecundum regulas legesque motus fiant?

20. Num figuræ ſphæricæ, quam guttas cujuscunque liquoris induere videmus, a vi attractiva, ipſis guttis interna, producantur, an vero a fluidi ambientis preſſione?

II.

JOSEPHO FRANCISCO du MOULIN de MONTAGNI, V. D. M. in *Mont* & *Romanel.*

Ad diem 16, Januarii MDCCXXXVIII.

I. Materia prælectionis matutinæ erit, *de Anima Brutorum.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

I.

AN aliquis Syllogiſmorum ſit uſus in veritate invenienda?

2. Verine ſint Canones Syllogiſtici: *Ex puris negativis nihil ſequitur; concluſio ſequitur partem debiliorem?*

3. Num recte *LEIBNIZIUS* Syſtema cauſarum occaſionalium rejecerit, & ſuum de harmonia præſtabilita ſubſtituerit?

4. An judicium Cl. *JAQUELOTI*, quod idem Syſtema cauſarum occaſionalium libertati hominis adverſetur, ſit verum?

5. An

5. An mala, ſalva rerum ſerie, ex ea auferri poſſint?
6. An decretum Dei nullam rebus inducat mutationem?
7. Annon quidam Philoſophi recentiores decreta abſoluta cum fataliſmo unum idemque faciant?
8. Annon abſurdum ſit aſſerere, *peccatum etiam ad mundum optimum pertinere?*
9. Num in brutis ſit analogum rationis?
10. Quid de Syſtemate æquilibrii Cl. *ENGELHARDI* ſentiendum, & annon magnis ſubſit difficultatibus?
11. Num vis, quæ in univerſo reſidet, ab initio materiæ a Creatore impreſſa fuerit, an vero Deus quovis recurrente momento immediate motum ſecundum datas leges producat?
12. Quænam ſit figura globi terreſtris, oblonga, an compreſſa?
13. Fontium quænam origo ponenda?
14. Verumne ſit aſſertum Sectæ *HERACLITEÆ, quod mors & deſtructio rerum nihil aliud ſit quam mutatio in contrarium?*
15. Num *PLATO* materiam æternam ſtatuerit?
16. An Platonicorum λογος in Scriptores Sacros defluxerit?
17. Num dari poſſint duo corpora volumine æqualia, & denſitate utcunque inæqualia, in quibus pororum ſeu meatuum ſummæ fere æquales ſint, ut exiſtimant Angli?
18. Num terra noſtra cum planetis reliquis urgeatur vi centripeta verſus ſolem, ita ut ceſſante motu progreſſivo, continuo caderet in ſolem? & quæ ſit origo tantæ vis centripetæ verſus ſolem directæ?
19. An Theoria *GALILÆI* de motu gravium a natura obſervetur?
20. Quænam explicatio Phyſica ſingularis illius phænomeni, quod oſtendit radium lucis, ex Diaphano

no in Diaphanum diverſæ denſitatis transeuntem, a via detorqueri, optima exiſtimanda, *Js. NEWTONI* an *LEIBNITII*, an vero ea, quam exhibuit Vir Cl. *Johannes BERNOULLIUS?*

III.

SAMUELI KOENIG, SAM. Fil.

Ad diem 18. Januarii M DCC XXXVIII.

I. Materiam prælectionis matutinæ dabit, *Præſtantia PHILOSOPHIÆ LEIBNITIANÆ & WOLFIANÆ. ad Rationem, Religionem naturalem & revelatam, melius demonſtrandam & confirmandam, quam ſecundum ductum omnium Philoſophiæ ſyſtematum hactenus conſcriptorum factum.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

An ex libertate philoſophandi, methodo philoſophica, nullum religioni immineat periculum?

2. An principia Geometrarum & illorum procedendi ratio, ſint certa & evidentia?

3. An Syſtema cauſarum occaſionalium leges naturæ evertat?

4. Principium rationis ſufficientis ſitne univerſale?

5. An tantum illud fit abſolute poſſibile, quod vel eſt, vel fuit, vel erit?

6. An illud verum ſit, imperfectiones partium interdum pertinere ad perfectionem totius?

7. Num principium indiſcernibilium *LEIBNITII* fundamento nitatur?

8. Num

8. Num Cl. *WOLFIUS* intellectum divinum & reliqua attributa ejus demonſtrative ex poſſibilitate plurium mundorum collegerit?

9. An neceſſitas hypothetica, ſub qua omnia in mundo fieri dicuntur, brutam neceſſitatem ac fatum inducat?

10. Num ex cujusvis entis, etiam animæ, ſtatu dato colligi queant omnes mundi ſtatus, præſentes, antecedanei & futuri?

11. Quinam in materia de viribus vivis bonam cauſam defendant, Angli, an Germani?

12. Num corpora durante conflictu quieſcant, ut exiſtimat Cl. *WOLFIUS*?

13. Sitne differentia inter vires vivas & vires mortuas?

14. Deturne ſaltus in rerum natura à motu ad quietem, a quiete ad motum?

15. An Planetæ ſint orbes habitabiles & revera habitati?

16. Num à Cometa, qui anno Chriſti 1680. apparuit, diluvium univerſale Noëticum excitatum fuerit?

17. An lex naturæ, qua eadem virium motricium quantitas, & eadem directio totalis in univerſo corporeo conſervatur, ſit principium harmoniæ univerſalis in natura?

18. Num gravitas, quam in hac terra noſtra experimur, propagetur uſque in lunam, ita ut luna verſus terram gravis ſit, ac delaberetur, quam primum motus lunæ progreſſivus ſiſteretur?

19. Num vortices, planetas circa ſolem deferentes, cum regulis *Keplerianis* conſiſtere nequeant?

20. Quid *ARISTOTELES* per ſuam ἐντελέχειαν intellexerit?

IV.

JOHANNI BERNOULLI, J.U.D. JOH. Fil.

Ad diem 20. Januarii MDCCXXXVIII.

I. Materia prælectionis matutinæ erit, *De Vi Electrica.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

AN definitiones negativæ in Philoſophia ſint admittendæ?

2. An ex unica præmiſſa concluſio recte inferri poſſit?

3. Quid ſibi velit *harmonia LEIBNITII univerſalis*, & in ſpecie illa, quæ inter regnum phyſicum naturæ, & regnum morale gratiæ intercedit?

4. Num in Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ leges motus non violentur?

5. An Syſtemati *LEINITIANO* ſufficienti ratione imputet celeberr. *de CROUSAZ in Reflex. ſur l'Eſſai de Pope pag. 118.* quod ſcribit: *En vérité il y a là plus qu'il n'en faut, pour rendre fou, quiconque ſe livre à toutes ces chimeres, à moins qu'il ne le ſoit déja?*

6. An miracula in ſyſtemate *WOLFIANO* Coſmico locum habere poſſint?

7. An mundus potuerit ab æterno à Deo creari?

8. An influxus animæ in corpus, & corporis in animam per experientiam conſtet?

9. An ullus ſpiritus in corpus agere poſſit? & num Celeberr. *LEIBNITIUS* & *WOLFIUS* propter hanc ſententiam influxum phyſicum rejecerint?

10. Deusne ſerio omnia intendat bona, cum tamen non omnia actu perficiat?

11. An

11. An per hypotheſin *BURNETI* diluvii univerſalis cauſæ recte poſſint explicari?
12. Num fluxus atque refluxus maris ab attractionibus ſolis & lunæ oriantur?
13. An radii luminis exigua ſint corpuſcula, ex corporibus lucentibus emiſſa?
14. An ſyſtema mundi paulatim deficiat, ita ut interdum reparatione indigeat, uti *NEWTONUS* aſſerit? an autem in eodem & perfecto ſtatu permaneat perpetuo, ut *LEIBNITIUS* aſſerit?
15. An tranſitus vis motricis ex uno ſubjecto in alterum, tanquam realis admitti poſſit?
16 Quomodo *PYTHAGORAS* triangulo originem & formam omnium rerum adſcripſerit?
17. Rationes quænam ex Philoſophia veterum afferri poſſint, quod priſci mortem in undis infauſtam habuerint, & lapidibus ſepulchralibus hominum naturali morte defunctorum conſuetam hanc formulam adſcripſerint, *Sit tibi Terra levis?*
18. Num Cometæ ſint phænomena ſublunaria, an in regionibus planetarum verſentur?
19. An ſententia *LEIBNITII* de menſura virium vivarum ſit admittenda tanquam vera?
20. An per Syſtema undarum *HUGENII*, phænomenorum luminis ratio reddi queat, an melius per explicationem *NEWTONI?*

V.

JACOBO WOLFIO, V. D. M.

Ad diem 23. Januarii M DCC XXXVIII.

I. Materia prælectionis matutinæ erit, *de Eſſentia Animæ ejusque libertate.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1. An

I.

AN definitionibus adhiberi non poſſint, niſi termini clari, fixi ac proprii ?

2. An verum ſit, quod ex puris particularibus nihil ſequatur ?

3. An Syſtema *LEIBNITIANUM*, explicandi commercium mentis & corporis, ita judicantibus *Trivoltinis* librorum Cenſoribus, libertati hominis valde faveat ?

4. Num poſſibile ſit, divina ſaltem accedente opera, ut materia cogitare poſſit ?

5. An principium rationis ſufficientis libertatem tollat & immutabilem neceſſitatem, fatumque fatuum inducat ?

6. An detur tempus, & an ſit ens reale ?

7. Num eſſentiæ rerum ſint æternæ & abſolute neceſſariæ ?

8. Num Enthymema *CARTESIANUM*, *ego cogito, ergo ſum*, tantum valeat, quantum ſectæ amici contendunt ?

9. Quid ſit *miraculum*, & num ſit actio, cujus cauſam naturalem ſolide explicare non valemus, ut *SPINOZA* voluit & *LOCKIUS* ?

10. An eſſentia & natura mentis conſiſtat in vi repræſentandi univerſum pro ſitu corporis in hoc mundo ?

11. Quid de animalculis ſpermaticis ſentiendum ſit ?

12. Unde *Magnes* vim ſuam ad utrumque Polum directricem habeat ?

13. An Conchæ Lapideæ in montibus repertæ, ſint pro reliquiis diluvii habendæ ?

14. Quid *EPICUREI* per voluptatem intellexerint ?

15. An explicari poſſit, & quomodo, ſententia *DEMOCRITI* dicentis : *quod atomi moveantur ab æterno ſecundum lineam rectam* ?

16. An

16. An gravitatis actio mutua & utrinque æqualis ſit, ita ut corpora univerſa gravitent in terram & terra in omnia corpora viciſſim æqualiter gravis ſit?
17. Cuinam ſyſtemati in explicatione phyſica ſyſtematis Mundi palma tribuenda, veteri *Ptolomaico*, recentiori *Coperniceo*, an *Tychonico?*
18. Deturne clara & diſtincta virium centripetarum & centrifugarum idea; ſintne hæ vires ejusdem ſpeciei cum vi gravitatis, ita ut cum illa comparari queant?
19. Num vires attractivæ à figuris pendeant?
20. Num corpora in Luna exiſtentia leviora ſint corporibus in hac terra conſtitutis, & quidem circiter ſexagies, ita ut maſſa ex. gr. plumbi apud nos 60. librarum unam tantum libram ponderaret in lunam translata?

VI.

NICOLAO BLAUNER,

SS. Theol. Stud.

Ad diem 25. Januarii M DCC XXXVIII.

I. Materia prælectionis matutinæ erit. *De cauſa diluvii univerſalis Noëtici; numque validis ſatis rationibus quidam ſe probare exiſtiment, Cometas tam ſtupendos poſſe edere effectus, ut inde diluvium recte deduci poſſit.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

AN omnes propoſitiones categoricæ ad quatuor ſpecies referri poſſint?

2. An quis veritatem propoſitionis non agnoſcere ju-

re dicendus ſit, etſi obſervet ſubjecto aliquid convenire, & propoſitio ſit vera?

3. An in tertia figura conclusio ſemper debeat eſſe particularis?

4. Num eſſentiæ rerum ab intellectu divino, an vero ab ejus voluntate dependeant?

5. Num Syſtema *LEIBNITIANUM* de nexu rerum, omnem libertatem, religionem & moralitatem tollat?

6. An dentur miracula reſtitutionis?

7. An mens humana tantum habeat unicam vim, ex qua omnes ejus facultates & operationes derivari poſſint?

8. An hactenus incognita ſint principia, quibus explicari poſſint actiones dæmonum in corpora?

9. Regimen animæ in corpus, an per influxum phyſicum exerceatur?

10. Quænam definitio *Wolfiana* de *DEO* ex utraque ſit præferenda? & annon Idealiſmum vel Spinoſiſmum involvant?

11. Num ratio elaſticitatis ab attractione derivari queat?

12. Num *NEWTONI* explicatio, cur in lamellis tenuiſſimis colores iridis exhibeantur, bona ſit & admittenda?

13. Num generatio ſit evolutio animalis præexiſtentis?

14. Quænam ſit ratio fluxus & refluxus maris?

15. Probabilene ſit, ut quidam putant, veteres ſuperaſſe recentiores in conſtruendis machinis, ad moles immenſi ponderis in altum tollendas?

16. An aliquo fundamento *Sceptici* aſſeruerint, quod omne argumentum habeat æquale contrarium, ex quo fiat, quod de re nulla poſſimus eſſe certi & perſuaſi?

17. Num diverſa inclinatio orbitarum planetariarum, tam

tam inter ſe, quam reſpectu Æquatoris, à rationibus mechanicis deſcendat, an vero caſui tribuenda?

18. Num colores & proprietates lucis congenitæ ſint? an tantummodo diverſæ modificationes lucis, ut voluit *CARTESIUS*?

19. Num pondera corporum, æqualiter à centro terræ diſtantium, ſint ut quantitates materiæ in corporibus?

20. Quænam ſit cauſa, cur aqua, ſimul ac gelu conſtringi & in glaciem abire incipit, tam immenſam ſe expandendi vim acquirat, ut craſſiſſimos tubos æneos, quibus includitur, ſæpe pulveris pyrii ad inſtar findat atque diſrumpat? Numque explicatio huic phænomeno omnibus numeris ſatisfaciens dari poſſit?

VII.

JACOBO KOCHER, V. D. M.

Ad diem 27. Januarii MDCCXXXVIII.

I. Materia prælectionis matutinæ erit, *De finibus ſapientiſſimi Creatoris, in condendis corporibus cœleſtibus, ſtellis fixis atque inerrantibus; Sintne illa corpora, ut hæc noſtra tellus, cultu & ornatu comta, & creaturarum varietate; & in quantum, omnia hæc noſtri cauſa facta fuiſſe, exiſtimari poſſit?*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

QUare Logica ſit poſſibilis, vel, quodnam illius ſit fundamentum?

2. Quænam definitiones ſint meliores, an nominales, an reales?

 3. An

3. An *CARTESII* criterium veritatis, quod ponit in clara & diſtincta rei perceptione, ſit genuinum?
4. Quo in caſu minor propoſitio, ſit propoſitio infinita?
5. Num detur vacuum?
6. Num lumen zodiacale & boreale ſint phænomena longe ultra atmoſphæram terræ noſtræ in cœlis genita?
7. An detur ſpatium & locus, & quid ſit?
8. Num ideo influxus phyſicus ſit rejiciendus, quia intelligibili modo explicari nequit, vel an ſaltem ideo pro incerto ſit habendus?
9. Num actiones corporis & animæ mutuæ repugnent canoni metaphyſico, *effectus integer æquipollet cauſæ plenæ?*
10. Eſſentiæ rerum num ab intellectu divino, an vero ab ejus voluntate dependeant?
11. Definitio *mundi WOLFIANA* ſitne accurata & genuina, an vero idealiſmum, materialiſmum, fatum cœcum, mundique æternitatem præ ſe ferat?
12. Rectene dicatur, in Syſtemate cauſarum occaſionalium perpetua fieri miracula?
13. *Monades LEIBNITIANÆ* ſintne ſpiritus an corpora?
14. Num Luna reliquaque planetarum corpora ſint atmoſphæra circumſepta?
15. An corporis eſſentia in triplici dimenſione poſita ſit?
16. Num actio in diſtans ſit impoſſibilis?
17. Sitne differentia inter quantitatem virium motricium, & quantitatem motus?
18. Quid *ORPHEUS*, aliique veteres, per mundum viſibilem & inviſibilem intellexerint?
19. An radii luminis exigua ſint corpuſcula, ex corporibus lucentibus emiſſa, & refracta attractionibus & repulſionibus quibusdam, quibus lumen & corpora in ſe agunt?

20. Quid *SOCRATES* per Summum Bonum Hominis, quód in virtute & ſapientia conſiſtere ajebat, intellexerit?

VIII.

DANIELI PAVILLARD, V. D. M.

Ad diem 30. Januarii M DCC XXXVIII.

I. Materia Prælectionis matutinæ erit: *De cauſæ gravitatis explicatione phyſica, de rationibus illorum, qui fluido in Vorticem acto illam tribuunt, ut & ANGLORUM ſententia, gravitatem omnibus corporibus innatam exiſtimantium.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

AN methodus philoſophica eadem eſſe debeat cum ea, qua utuntur Mathematici?

2. Quale judicium ſit ferendum de hypotheſibus Philoſophicis?

3. Num detur demonſtratio?

4. An animæ, vi & virtute agendi in corpus ac continendi machinam corporis in ſtatu functionibus humanis oppoſito, creari potuerint?

5. An in voluntate Dei tantum quærenda radix poſſibilitatis?

6. Quomodo poſſibilitas realiter definiri poſſit?

7. Num miracula, in ſe ſpectata, ſint opera non præciſe ſapientiæ, ſed potentiæ Divinæ?

8. Num plures mundi ſint poſſibiles?

9. Quid ſit ſubſtantia? & num ſit ſenſu Ontologico ſubjectum modificabile & perdurabile?

10. An quatuor ſpecies entium ſimplicium, quas ſtatuit *LEIBNITIUS*, eſſentialiter à ſe differant?

11. Num explicatio cauſæ gravitatis, quam dedit *HUGENIUS*, admitti queat?
12. Omneſne, quæ corporibus accidunt, mutationes, ſecundum regulas legeſque motus fiant?
13. Num *colorum* phyſica explicatio derivari queat à ſeriebus ſeu filamentis corporum à ſole excuſſorum, quæ, cum in ſingulis contiguis ſeriebus diverſæ molis ſint ac diverſa celeritate ferantur, ſenſationem diverſorum colorum excitent, ita uti *NEWTONO* viſum fuit?
14. Quies abſoluta an detur;
15. An omnis *monas* ſit automaton?
16. Quomodo *ACADEMICI* intellexerint, quod rebus inſit veritas, ad quam comprehendendam homo capax ſit, ſed quod imagines rerum per phantaſiam ortæ nos decipiant?
17. Quomodo omnium optime acervalis argumentatio à *CHRYSIPPO* propoſita juxta *CICERONEM Lib. IV. Quæſtion. Academic. c. 28.* ſolvi poſſit?
18. Num vis inertiæ ſit principium regularum motus?
19. Num Regulæ motus *CARTESIANÆ* bonæ ſint & admittendæ?
20. Num Materiæ exiguæ quævis particula poſſit in ſpatium quantumvis magnum extendi, ut particulæ ſint à ſe invicem remotæ intervallo, data recta minore?

IX.

DANIELI WYTTENBACH,

V. D. M.

Ad diem 1. Februarii M DCC XXXVIII.

I. Materiam prælectionis matutinæ dabit, Explicatio Phyſica *Iridis*, *Coronarum*, *Parheliorum*, *&* *quid in aëre & ſole requiratur, ut ejuſmodi phænomena*

mena compareant ; & an probabile ſit, ante diluvium univerſale IRIDIS phænomenon comparuiſſe?

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

I.

AN, quia ſufficiens notarum enumeratio eſt ſignum diſtinctæ notionis, ideo non ſequatur, eum diſtincta carere notione, qui notas enumerare nequit?

2. Ex impoſſibili poſſitne colligi poſſibile?

3. Num influxus phyſicus leges motus turbet?

4. Num nexus rerum *LEIBNITIANUS & WOLFIANUS* ſit fatalis, ut eorum adverſarii contendunt?

5. An cum Philoſophia & Libertate Mentis humanæ conſiſtat novorum Philoſophorum aſſertum, *quod operationes Spiritus Sancti internæ in animis hominum, reſpectu naturæ, ſint miracula?*

6 An detur harmonia mentis & corporis, & quid illa ſit?

7. An poſſibile, ut id poſſit eſſe perfectius, quod plures altero habet imperfectiones contrarie dictas?

8. An diſtinctio voluntatis antecedentis & conſequentis in Deo ſit admittenda, ut vult *LEIBNIZIUS?*

9. Immortalitas animæ humanæ, an ex ſola ejus indeſtructibilitate ſolide demonſtretur?

10. An hic mundus ſit omnium optimus & perfectiſſimus?

11. Regimen deturne animæ in corpus, ſi corpus omnes ſuos motus convenienter ſtructuræ ſuæ producit?

12. Quid ſit ignis?

13. Thermæ an ex igne ſubterraneo, an vero ex fermentatione calefiant?

14. Num

14. Num regulæ motus ſint neceſſariæ, an contingentes?
15. Num materia in infinitum ſit diviſibilis?
16. Doceantne phænomena, gravitatem aliquam univerſalem, in omnibus hujus Syſtematis mundani partibus obviam, ita ut corpuſculum minimum attrahat corpora maxima, Solem & omnes Planetas, Sol ac Planetæ omnes attrahant viciſſim illud corpuſculum, conatu perpetuo & indeſinente? Numque univerſi Creator corporibus talem vim indiderit, ceu primam & ſimpliciſſimam naturæ legem, per rationes mechanicas non explicabilem?
17. Num cauſa motus corporum cœleſtium aliter, quam per vortices fluidos, intelligibili modo explicari poſſit?
18. An *Cometæ* ſint ſigna irati Numinis, an vero corpora perennia, perenni motu atque regulari gaudentia?
19. Quomodo procedat argumentum *XENOPHANIS* dicentis, *nullus datur verus motus, & exinde nulla nec generatio, nec vera deſtructio?*
20. Quid familiæ *HERACLITEÆ* Sectatores intellexerint per *ignem æternum*, ex quo omnia fiant?

X.

ALBERTO ÆCHLER,

SS. Theol. Candid.

Ad diem 3. Februarii MDCCXXXVIII.

I. Materia prælectionis matutinæ erit, *De Harmonia Præſtabilita.*

II. Materiam diſputationis pomeridianæ dabunt ſequentes Quæſtiones:

1.

Quid ſit differentia ſpecifica & numerica?

2. An

2. An *LEIBNIZIUS*, & poſt eum *WOLFIUS* notiones recte diſtinxerint, in claras & obſcuras, illasque iterum in diſtinctas & confuſas?
3. An in quibusdam ſyllogiſmis genuinæ formæ, major poſſit eſſe propoſitio particularis?
4. Natura corporis an conſiſtat in vi ejusdem activa vel motrice?
5. An elementa rerum ſint entia ſimplicia, ſive monades?
6. An dentur duo rerum omnium principia æterna?
7. An ſpatium ſit attributum divinum, vel organum ſenſorium Dei?
8. An per *nexum rerum*, ſecundum ſyſtema *LEIBNITIANUM*, tam fatalis rerum neceſſitas ſtabiliatur, ut ſyſtema univerſi periturum foret, ſi vel minima actio non eveniret, ut aſſertioni Leibnitianæ tribuit Cl. *de CROUSAZ, in reflexions ſur l'Eſſai de Mr. Pope pag. 25.*
9. Quid *CARTESIUS* intelligat per vim animæ movendi corpus?
10. Poſſibilitas abſoluta quid ſit, quid reſpectiva?
11. An in æternitate detur ſucceſſio?
12. Num quævis monas ſit ſpeculum univerſi?
13. Num omnia corpora organica inde à tempore creationis præformata exiſtant?
14. Quomodo *STOICI* afferant vel intelligant, unum elementum in aliud transfigurari?
15. Quid *PYTHAGORAS* per numeros ſuos immateriales intellexerit?
16. Quænam ſit ratio incrementi & decrementi montium glacialium, & an illud ſit periodicum?
17. Cauſa gravitatis an à Vorticibus derivari queat?
18. Num à gravitate ætheris durities & cohæſio corporum derivari queat?
19. An lumen eodem modo propagetur, ut ſonus?

20. Num

20. Num *Cometæ* in ſuis revolutionibus obſervent legem omnibus Planetis impoſitam, ut radii inde ad Solem ducti deſcribant areas temporibus proportionales, atque ita in orbitis Ellipticis ad inſtar omnium Planetarum moveantur?

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

VII.

JOH. ROD. RODOLPHI,

S. S. Theologiæ in Academia Bernenſi olim Profeſſoris Primarii,

IRIDIS

THEORIA SACRA,

Sive

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

FOEDERE NOACHICO,

Ejusque SACRAMENTO, nempe *Arcu Cœleſti,*

GEN. IX. vers. 8 - 17.

Summarium.

Exhibetur in hac Diſſertatione §. I. NEXUS cum antecedentibus hujus Capitis. §. II. III. *ANALYSIS*

LYSIS rerum tractandarum. §. IV. VERBORUM *Explicatio*, & quidem *primò* vocis את. §. V. Quomodo Deus dici poſſit, aſpectu Iridis recordari fœderis ſui. §. VI. Indicatur *deinde*, quid ſibi velit repetitio verborum, quæ occurrit vers. 12. & 17. item vers. 13. & 14. §. VII. VIII. Poſt explanationem verborum acceditur ad REM IPSAM, & quidem א. agitur *de Fœdero Noëtico ipſo*. §. IX. Quod transactum fuit cum *NOACHO*, ejus Poſteris, & ipſis animalibus. §. X. *Subſtantia* Fœderis conſiſtit in triplici promiſſione: α. de Terra, non amplius inundanda, §. XI. β. de Genere Humano, ad uſum Eccleſiæ conſervando, §. XII. γ. de Fœdere Gratiæ, cum Noacho ejusque poſteris, ejus fidei adhærentibus, erigendo & obſignando. §. XIII. Cujus Longanimitatis & conſervationis mundi cauſa indicatur. §. XIV. Quæ nonniſi Filii Sponſione nititur. §. XV. Incertum vero, quamdiu hicce mundus in hoc ſtatu permanſurus ſit. §. XVI. ב. agitur de Fœderis hujus SIGNO & SACRAMENTO. §. XVII. Cujus *Præſtantia* indicatur. §. XVIII. Cauſæ ejus naturales ſunt, §. XIX. ejus *Forma*, §. XX. *Situs*, §. XXI. & *Colorum numerus* exponitur. §. XXII. Quæ de ejus præſagiis dicuntur, incerta ſunt & fabuloſa. §. XXIII. *IRIDIS* ſignificatio ſpiritualis disquiritur. §. XXIV. XXV. Uſibus Theoreticis & Practicis Diſſertationi finis imponitur.

§. I. Ar-

§. I.

ARcum Cœleſtem non tam ea parte, qua ſe tanquam pulcherrimum Cœli ſpectaculum oculis ingerit, quam ex uſu, quo tanquam divinæ benevolentiæ Symbolum, pactique gratuiti ſignaculum, piorum fidei ſeſe commendat, contemplari volentibus, primum de pacto, ſive Fœdere Noëtico, quæ videlicet ejus fuerit ratio & quis tenor, tantiſper disquirendum. Poſtquam licenter graſſatam ubique libidinem atque Numinis contemtum, effuſi divinæ indignationis imbres, totiusque terrarum orbis eluvio juſtiſſimâ pœnâ extinxiſſet; reliquias in ſpem futuri Mundi intra familiam Noæ conſervatas, Deus primum benedictione conſolatur, Gen. IX. v. 1. *Et benedixit Deus Noacho & filiis ejus*, &c. Deinde cum humanarum legum inſtauratione & ſanctione, v. 2 - 7. tum etiam fœdere, metum diluvii adimit; ne miſeranda generis humani clade & horrenda terrarum vaſtitie, dubio procul, expavefactis, diluvii memoria & obvia paſſim divinæ ultionis monumenta novos ſubinde terrores incutiant, quoties cœlum nubibus obductum pluviam minari videtur. Erat certe quidem Noë rara & incomparabili fide ad miraculum usque præditus, verum quodnam eſſe potuit tantum conſtantiæ robur, quod non illa tam triſtis & horribilis Dei vindicta percelleret? tum vero iſtud fidei adverſus Cœli minas firmamen non Noacho ſolum atque filiis ejus, ſed & poſteris quibusque longiſſima generationum ſerie poſt naſcituris Dei clementia paraverat.

§. II.

Hic uſui fuerit, ante omnia, pericopam hiſtoriæ, qua fœdus iſtud à Moſe refertur, qualicunque Analyſi adumbraſſe, & vocabula vel phraſes, quæ aliquid caliginis habent, illuſtraſſe. Obſervanda igitur

א Generalis Propoſitio v. 9. 10. 11. *Quod autem me attinet, ecce ego conſtituo fœdus meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos. Et cum omni anima vivente, quæ vobiſcum eſt, cum alitibus, cum pecudibus, & cum feris terræ vobiſcum, & illis quæ exiverunt ex arca, & omni fera terræ. Et conſtabiliam fœdus meum vobiſcum, & non exſcindetur omnis caro adhuc ab aquis diluvii, & non erit adhuc diluvium ad perdendam terram.* Quibus verbis exponitur

1. Fœderis Pactio, phraſi Scripturis S. in fœderum negotio uſitata הנני מקים ברית *Ecce ego conſtituo*, ſtare facio fœdus. LXX. ἀνίϛημι & ϛήσω τὴν διαθήκην. R. Sal. explicat per הנני מסכים לעשות קיום וחזוק ברית להבטחתי *Ecce ego ſponte mea paciſcor & ſtabilio fœdus*, quo certam tibi *ſpem* ſive *fiduciam mei* faciam, ſcil. de propagatione generis tui, de quo Noam ſolicitum fuiſſe exiſtimat ille Hebræus. De nomine ברית ſpecialius dicendum ſuo loco.

2. Fœderatorum Circumſcriptio v. 9. 10. Ubi memorantur ab *una parte* DEUS, de bonitatis ſuæ divitiis pro arbitratu diſponens, & quid ſuæ voluntatis ſit circa easdem liberali promiſſione notificans. Ab *altera parte* NOAH, filii ejus cum ipſo, & ſemen ſive poſteri eorum: omnis anima vivens, alites, pecudes, (Hebræis בהמה גסה ודקה *pecus domeſtica major & minor*, Græcis θρέμμα καὶ ὑποζύγιον) & feræ beſtiæ; חיה enim in oppoſitione ad בהמה ferum quodvis & ſylveſtre animal ſignificat; juxta uſum vocabulorum, qui Moſis ætate obtinuit. Quid vero de reptilibus &c num fœdere iſto comprehenſa negabimus? R. SALOMON illud *de omnibus quæ exiverunt ex arca*, addi putat להביא שקצים ורמשים *ut* eo numero *includi* intelligamus *etiam animalia immunda* (quæ lex *abominabilia* haberi jubet) & *reptilia*: imo & illo *cum omni fera terræ* comprehendi etiam המזיקים *beſtias noxias*. Verum iſta λεπτολογία non erat opus, quando ex ſcopo liquet

 atten-

attendenti, fœdere illo præter hominem etiam contineri animantia cætera, quatenus illa conſervari, ad levamentum miſeriarum atque conſolationem hominis pertinet.

3. Fœderis Subſtantia, v. 11. לא יכרת *Non exſcindetur omnis caro adhuc ab aquis diluvii* &c. LXX. οὐκ ἀποθανεῖται, quibus alioquin Hebræum vertitur, ἐξαίρειν *è medio tollere*, & ἐξολοθρεύειν *funditus perdere*.

§. III.

ב Signum, quod ad κύρωσιν τῆς διαθήκης, & fidem promiſſioni firmandam additur v. 12. - 17. *Et dixit Deus, hoc ſignum fœderis, quod ego do inter me & vos & inter omnem animam vivam, quæ vobiſcum eſt,* לדרת עולם *in ætates ſeculi. Arcum meum do in nube, & erit in ſignum fœderis inter me & inter terram, & erit* בענני ענן *quum nubem faciam ſuper terram, & conſpicietur arcus in nube, recordabor fœderis mei, quod eſt inter me & inter vos, & inter omnem animam viventem, in omni carne; & non erunt amplius aquæ in diluvium, ad perdendum omnem carnem. Et erit arcus in nube, & videbo illum, ad recordandum fœdus ſeculi inter Deum & inter omnem animam viventem in omni carne, quæ eſt ſuper terra. Et dixit Deus ad Noach; hoc ſignum fœderis, quod erexi inter me & inter omnem carnem, quæ in terra eſt.* Quibus verbis Deus Signum fœderis 1. exprimit & definit; rem videlicet non per miraculum factam aut faciendam, ſed ex cauſis naturalibus, Deo ſic providente, exiſtentem, quæ eſt IRIS v. 13. *Arcum meum do in nube, & erit in ſignum fœderis* &c. 2. Indicat & amplificat ſigni iſtius uſum v. 14. 15. 16. *Et erit quum nubem faciam in terra* &c. 3. In re præſenti exhibet & ſpectandum præbet v. 17. *Hoc ſignum fœderis* &c. הראהו הקשת ואמר לו הרי האות שאמרתי *oſtendit ipſi arcum, & dixit; Ecce ſignum, de quo dixi!* inquit recte Gloſſator Hebræus.

§. IV.

§. IV.

אות σημεῖον, *SIGNUM*, in Sacris dicitur, quidquid ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliud quid, ſive præteritum, ſive præſens, ſive futurum, menti repræſentat: quicquid item exempli novitate & inſolentia admirationem movet, & quo fine factum ſit inquirendi ſtudium excitat, ſpeciatim מופת dictum: quicquid rei à re diſcernendæ ſervit: quicquid denique ad fidem rei faciendam adhibetur, quo ſenſu ſigna, promiſſis conventis & pactis adjecta, ſigillorum & pignorum vice ſunt, & obſignandi, applicandi ſuoque modo rem ſignificatam exhibendi uſum præſtant; quanquam omnis ille uſus ſola *ſignificatione* expediatur, quod in *Catecheticis ad Q. LXVI.* §. 4. oſtendimus. Qualia ſigna Theologis in materia Fœderum Divinorum ſunt Sacramenta. לדרת עולם *in ætates ſeculi.* Hic λεπτολογίστης, ſupra nobis notatus, obſervat לדרת ſcribi חסר deficiente ו eoque ſignificari, *fuiſſe ætates* שלא הוצר בו לאות *quibus non erat opus ſignô*, arcu cœleſti in nubibus expoſito, quippe *in quibus fuerint nonnulli perfecte juſti.* Talem fuiſſe ait *ætatem Hiskiæ, Regis Judæ*, & *ætatem Rabbi Simeonis, Filii Jochai.* Idem Magiſtri etiam de Viris Synagogæ Magnæ & aliis prædicant, quibus juſtitiæ & pietatis laude abundantibus viſam in cœlo iridem fuiſſe negant. Verum id genus gloſſemata Phariſaiſmi fermento putere, facile ſentit, qui quid veri ſalis in pectore habet. עולם nomine ab *ignorantia* deducto, integram rei cujusque *durationem*, nobis fere *incognitam*, deſignat. Infinitam igitur an finitam, licet homini incompertam, durationem ſignificet, non ex ſolo vocabulo, verum cum ex rei cujusque exiſtentis indole & natura, tum ex divina definitione, per Scripturam & experientiam indaganda, colligitur. Hinc Judæi ante Chriſti tempora ſpem vitæ profitentes æternæ, precibus ſuis adjicere ſolebant

bant clauſulam לעולם עולמים *in ſecula ſeculorum*, exoſi dogma Sadducæorum, qui unicum duntaxat *ſeculum*, vitæ animalis ambitu concluſum, credebant. Qui nihil niſi Pentateuchum Moſis legeret, facile ſibi perſuaderet, legem ceremonialem, cultum atque ſacerdotium Leviticum, fore ſimpliciter ſempiterna, frequenter adhibitis in legum ſanctione verbis לדורתיכם חקות עולם, עולם, &c. Scilicet prudentiæ Legiſlatoris erat, legis quaſi perpetuo duraturæ obſervantiam inculcare, ne ſi abrogandam diceret aperte, populo ad licentiam proclivi legibus obediendi animum imminueret. Hinc facile plura & evidentiora antiquationis, tempore διορθώσεως futuræ, argumenta atque teſtimonia in Prophetarum Scriptis, quam in Pentateucho Moſis, invenias. Quanquam rurſus phraſes illæ, ſuo ex uſu & rei natura ſpectatæ, nihil aliud ſignificare comperientur, quam legi Moſis tam diu ſuum fore locum & uſum, dum Iſrael futurus eſſet populus, ab aliis Mundi populis ſeparatus & αὐτόνομος. Sic in textu noſtro לדרת עולם *in ætates ſeculi*, tantundem eſt, quaſi dicat, *quoad homines naſcentur ex hominibus*. ענן בְּעַנְנִי pro בְּעַנְּנִי q. d. quando nubifico. LXX. καὶ ἔσαι ἐν τῷ συννεφεῖν με νεφέλας ἐπὶ τὴν γῆν. V. V. *cum obduxero nubibus cælum. SYRUS, Et erit* ܘܢܗܘܐ ܡܐ ܕܐܥܢܢ ܥܢܢܐ *quum aſcendere facio nubes ſuper terram.*

§. V.

Humanitus loquitur Deus, quum ſe Iridis aſpectu memorem fore dicit fœderis ſempiterni, v. 14. 15. *Et erit, quum conſpicietur arcus in nube, recordabor fæderis mei* &c. Et v. 16. *Erit arcus in nube, & videbo illum, ad recordandum fædus ſeculi* &c. Homines quidem ſignorum conſpectu admonentur rerum ſignatarum. Deus, qui pactorum obliviſci non poteſt, eo revocandæ memoriæ adminiculo non habet opus. Quæ enim neceſſitas, arcu cœleſti conſpecto fœderis commoneri

eum,

eum, qui, fœderis perpetuitatem homini in memoriam reducturus, iridem in nubibus ſpectandam exhibet? Veriſſime igitur AUGUSTINUS cavillatori, *Deum obliviosum & emortua memoria, cui merito opus ſit aſſiduo monitore*, criminanti, regerit: *Iſte non memoria, ſed anima mortua, quid loquatur neſciens, ſic in rebus apertioribus calumniatur, quanto magis caligat in nubibus & delirare compellitur. Lib. 1. contra Advers. Leg. & Proph.* In hoc & conſimilibus exemplis tenenda eſt regula Theol. *ἀνθρωπομόρφως & ἀνθρωποπαθῶς dicta θεοπρεπῶς eſſe intelligenda.* Solet ſcriptura actiones Dei deſcribens phraſin petere a membris, ſenſibus atque affectibus hominis, quod faciens *lingua filiorum hominum loqui* dicitur Hebræis. Id vero fieri per metaphoram, vel ſi mavis, metonymiam, inde liquet, quia Scriptura in iſto loquendi genere eum habet delectum, ut Deo non attribuat, niſi quæ ſui generis perfectionem aliquam arguunt. Sic *in membris* Deo non attribuuntur humeri geſtaminibus ferendis, nec organa alimentis capiendis, digerendis, diſtribuendis, ſervientia. In *ſenſibus externis* Deo non tribuuntur guſtus & tactus; in *internis* non phantaſia ſive imaginatio &c. De quibus diligenter, nec tamen ſatis, diſſeruit MAJEMON. in *More Nevoch. lib. 1. cap. 26. &c.* Non enim explicuit, quid divinæ perfectionis adumbretur, exempli cauſa, quando Deus *recordari* dicitur, hic & alibi Scripturarum. Nobis, ſalvo exercitatiorum judicio, ſic videtur: perfectio eſt, menti, quoties rei cujuspiam meminit, rem cogitatione præſentem ſiſti. Rurſus imperfectio eſt, cogitationem, quæ excidit, ſignis, aliisve memoriæ adminiculis revocare. *DEO interminabilem vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem* habenti, cogitatio infinita, cum genera ſingulorum, tum ſingula generum complectens, perpetuo præſens eſt: *recordari* tamen dicitur, quando eam cogitationem indeſinenter ſibi præſentem, ſeque adeo curam rerum

perpetuam agere, ſigno aliquo, vel opere hominibus patefacit. Exemplo ſint hæc; *Gen. 8: 1.* Deus *recordatus* dicitur *Noachi, & omnium beſtiarum, - - quæ erant cum ipſo in arca*, quando eorum ſe rationem habere teſtatum fecit immiſſo vento, terram exſiccaturo, occluſis fontibus abyſſi & cataractis cœli, cohibitoque imbre è cœlo, *ibid. v. 2.* Quemadmodum ex adverſo Deus negat ſe recordaturum amplius peccati domus Iſraëlis & Judæ, *Jer. 31: 31. 34.* dispuncto ſcil. chirographo, & ſublata neceſſitate profitendi reatum, quæ quondam inter onera pædagogiæ legalis erat, *Col. 2: 14.*

§. VI.

Quæri tandem poſſit, quid ſibi velit repetitio verborum, quæ occurrit v. 12. & 17. item v. 13. 14. rurſus v. 15. 16. Quid nobis videatur de v. 12. & 17. conſtabit attendenti ad ea quæ §. III. dicta. Hebræi, qui Scripturæ S. nihil incurioſe transmittunt, præterquam quod omnium maxime obſervatum oportet, has repetitiones, ut & illam *Cap. 8: 21.* ubi bis poſitum לא אסיף *non pergam* &c. pertinere putant ad jusjurandum, de quo ESAI. 54: 9. *Nam aquæ Noachi hoc mihi, quemadmodum juravi, non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi, ne efferveſcam in te, &c.* Atqui, inquiunt, nusquam in hiſtoria diluvii jusjurandum invenias. Hinc regula Hebræorum, citante KIMCHIO ad locum Eſaiæ: לאו לאו שבועה זמר לאו לאו שבועה הן הן נמי שבועה *Non* facit *juramentum.* Et *quia repetitio iſta particulæ negativæ jusjurandum* infert, *Ita, Ita, etiam jusjurandum eſt.* Rectius tamen cum ipſe Kimchi, tum Abarbanel exiſtimant, pro juramento haberi fœdus ipſum, quandoquidem ut per jusjurandum, ſic per fœdus קיום הדבר *ſua verbis ſtabilitas* accedit. Et vero jurari fœdera ſolennia quis neſcit? Unde etiam διαθήκην διατίθεσθαι pro *jurare* uſurpatur apud ARISTOPHANEM. Eapropter promiſſio, Noacho & poſteris

ſteris ejus facta, ut jurisjurandi vim habere, eoque ſimpliciter irrevocabilis eſſe intelligeretur, fœderis illi nomen inditum eſt. Interim repetitiones iſtæ ſuo non carent uſu atque emphaſi, inde amoris divini quaſi ſolicitudinem, hinc noſtrum torporem & credendi tarditatem, arguentes. Non poteſt ſatis inculcare, fore ſe memorem pacti, quoties arcus ipſius in nubibus apparuerit, ut omnem cordis humani hæſitationem auferat, & credere cunctantibus certam ex repetito ſigni conſpectu fidem rei ſignificatæ faciat.

§. VII.

Iſta verborum explanatione præmiſſa, rem ipſam nunc propius inſpecturi, primum de Fœdere Noachico, deinde de Arcu Cœleſti ceu Fœderis Sacramento, pro inſtituti ratione diſſeremus. *FOEDUS* in noſtro aliisque Scripturæ V. T. locis appellatur ברית nomine non à בָּרָא *ſuccidere*, ut Grotius & alii, ex loco Ezech. 23 : 47. male intellecto arbitrantur, ob inviſam ſibi *Teſtamenti* φερωνύμως accepti notionem, quam vox ברית Græcæ διαθήκη reſpondens non raro fert: ſed à ברה *eligere*, deducto. Propria enim & eſſentialis fœderum ratio eſt, non victimarum cæſio, ſed libera perſonarum & conditionum electio, & in conditiones delectas mutua conſenſio. Tametſi rurſus negari non poſſit, ad ritum cædendi victimas, antiquitus uſitatum, reſpici, quando כרת ברית *ſecare*, pro pangere, *fœdus*, dicitur, phraſi Scripturæ tralatitia. Cæterum ברית non ſemper *fœdus* mutua partium conventione conſtans, ſed quandoque per Syncedochen vel *præceptum*, cui annexa eſt promiſſio, vel *promiſſionem* irrevocabilem ſignificat. Prioris ſignificatus exemplum eſt, quando Levitæ dicuntur *obſervaſſe dictum & fœdus* Dei, Deut. 33 : 9. Poſterioris exemplum eſt Exod. 34 : 10. *Ecce ego ferio fœdus: coram toto populo tuo faciam mirabilia*, &c. Neque enim hic

verſus, ut male ſentit ABEN ESRA, conferri debet cum v. 27. Sic Eſaj. 59:21. *Et me quod attinet, hoc eſt fœdus meum cum ipſis: Spiritus meus, qui eſt ſuper te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo*, &c. Ratio συνεκδοχῆς non obſcura eſt attendenti. Cum enim in fœdere divino duo ſint, *præceptum*, ſeu officii ſtipulatio, & *promiſſio*: qui præceptum ſervavit eique per omnia ſatisfecit, jus ſibi quæſitum habet exſpectandi promiſſum. Hinc promiſſio, licet abſoluta, quoniam promiſſario jus parit promiſſa petendi, perinde ac ſi præceptum feciſſet, fœderis nomine venit in Scriptura. Conſimilis etiam ratio eſt præcepti συνεκδοχικῶς pro *fœdere* poſiti.

§. VIII.

Quemadmodum כרת ברית *ſecare fœdus*, loco ſ. c. ſic הקים ברית *ſtatuere fœdus*, in argumenti noſtri hiſtoria idem eſt quod *promittere*, vel tanquam ex fœdere rato *addicere*. FŒDUS igitur hoc loco eſt voluntaria, abſoluta, irrevocabilis, nulloque caſu vel impedimento fruſtranda, boni cujuſpiam promiſſio, qua is, cui facta eſt, bonum illud ſuo jure, tanquam præſtita pacti lege ſibi debitum, expectare atque petere poteſt. Cum autem hujusmodi promiſſio peccatoribus facta non poſſit non eſſe notificatio conſilii vel propoſiti divini de re quapiam circa peccatorem, ad illuſtrationem gratiæ vel juſtitiæ divinæ, facienda, inquirendum: 1. *Quibus* ſit facta promiſſio? 2. *Qua de re*, atque adeo quæ promiſſionis, propoſitum Dei notificantis, ſit ſubſtantia? 3. *Quæ* denique propoſiti divini *ratio*, & boni inde promiſſi certiſſimaque fide præſtandi cauſa?

§. IX.

Primum quod concernit, illi, quibus facta fuit promiſſio, ſunt I. NOACHUS, nomine Symbolico patris ſui ſpem & expectationem de ſemine in quo

eſſet

eſſet benedictio profitens, vir fide ſua juſtus & juſtitiæ præco, trium filiorum pater, mundi ruinæ per diluvium inductæ ſolus cum familia ſuperſtes, alter quaſi Adamus & generis humani reparator, cujus Adamus erat auctor. Huic atque filiis, eorumque poſteris, orbem terrarum inter ſe partituris, & ex uno ſanguine Noachi juxta promiſſionis vim Gen. 9. v. 1. repleturis, univerſo proinde generi humano, fœdus illud pacis atque ſecuritatis proponitur. *Minime dubium eſt*, inquit CALVINUS, *quin Dei conſilium fuerit, omnibus ejus*, Noæ, *poſteris conſulere. Non ergo privatum fœdus cum una tantum domo ſancitum fuit, ſed omnibus populis commune, & quod ſeculis omnibus usque ad finem mundi vigeat. Et ſane cum hodie non minus exundet impietas, quam ætate Noah, plusquam neceſſe eſt, hoc Dei verbo tanquam mille feris & clauſtris cohiberi aquas, ne ad nos perdendos erumpant. Comment. ad Gen. 9.* II. Animantia cuncta, alites, pecudes, feræ agreſtes. Quærenti, quomodo ſtatui poſſit fœdus cum animantibus ratione deſtitutis, reſpondent interpretes, fœdera Dei duorum eſſe generum; alia *abſoluta*, alia *conditionata.* Abſolutum eſſe, quod ſola promiſſione conſtat, ad cujus præſtationem Deus ſeſe voluntate ſua ita obſtringit, ut promiſſionis ſuæ executionem nolit pendere ex ulla re, quam à creatura ſtipuletur. Conditionatum contra &c. Prioris generis fœdera cum beſtiis iniri non poſſe, quia ſervandarum conditionum ſunt incapaces: Quæ *vero ſine conditione feriantur, nec vicariam requirunt obſervantiam, beneficii agnitionem & animi gratitudinem*, ut ait Magnus MUSCULUS ad Gen. 9. *poſſe utique non cum hominibus tantum, ſed & cum beſtiis ſtatui.* His non acquieſcenti, & forte cauſanti, ne quidem promiſſionis abſolutæ capaces eſſe beſtias: reſpondemus nos, Deum tamen beſtias pacto comprehenſas voluiſſe, ut intelligeremus: α. pactum eſſe abſolutum, & hominem nihilo plus quam animalia ratione & conſilio carentia ad ejus executionem conferre.

ferre. Quapropter fides, quam tacite poſtulat divina promiſſio, non ut præſtandæ promiſſionis conditio, ſed, quemadmodum fides in humanis ad teſtimonium & promiſſum viri probi & veracis concurrere ſolet, ut aſſenſio animi, promiſſionem ſibi ratam & irrevocabilem facientis, ſpectanda eſt. Sic *recepto Dei teſtimonio obſignamus* in corde, *quod Deus verax ſit*, Joh. 3 : 33. β. Beſtias hoc fœdere comprehendi, quatenus ad homines pertinet, etiam beſtias conſervari. Significat ergo Deus, ſe providente, animantium genera hominum uſibus perinde certo conſervatum iri, quaſi illis ex pacto perpetuam ſui conſervationem deberet. Quemadmodum Eliphaz homini pio *fœdus fore* dicit *cum lapidibus, & pacem cum beſtiis agri*, i. e. æque nulla ex illis ſenſurum eſſe damna, ac ſi religione fœderis jurati nocere prohiberentur. Job. 5 : 23.

§. X.

Promiſſionis fœderalis SUBSTANTIAM his verbis complectitur Deus : *Ecce ego conſtituo fœdus meum vobiſcum ; --- non exſcindetur omnis caro adhuc ab aquis diluvii, & non erit adhuc diluvium ad perdendam terram.* v. 9. - 11. Quæ verba plus in receſſu habent, quam animo minus intento legenti præferre videntur. I. Iſtis enim verbis fidem dat Deus, poſthac non amplius inductum iri diluvium, quo, quemadmodum factum erat, & terra ipſa vaſtetur, & univerſa caro deleatur. Metuendum igitur negat diluvium *Univerſale*, non particularia, quale in Græcia fuit diluvium Ogygis, *Eleuſinæ Conditoris & Regis, tempore effuſum*, ut inquit OROSIUS lib. 1. c. 7. & alterum illud, Deucalionis dictum, quod *majorem partem populorum Theſſaliæ abſumſit, paucis per refugia montium liberatis, maxime in monte Parnaſſ, in cujus circuitu Deucalion tunc regno potiebatur: qui tunc ad ſe ratibus confugientes ſuſceptos, per gemina Parnaſſi juga fovit aluitque, à quo propterea genus*

huma-

humanum reparatum ferunt. Ut idem OROSIUS refert ibid. Cap. 9. Quorum illud, illuſtris SCALIGERI calculo, ad annum M. 2186. P. J. 2950. à diluvio Univerſali 530. atque adeo ad ætatem Jacobi Patriarchæ, refertur: hoc vero annis 248. illo poſterius creditur.

§. XI.

II. Iisdem verbis non tantum cavetur de ſecuritate contra univerſalem aquarum eluvionem, verum etiam pactum continetur longanimitatis & clementiæ divinæ, cum de terra & animantibus ad uſum generis humani conſervandis; tum de genere humano, ad uſum Eccleſiæ, per omnes mundi ætates, juxta ordinem atque leges naturæ primitus à Deo ſancitas, multiplicando, & per univerſum terrarum orbem propagando. Cur alioqui adverſus periculum diluvii cautum vellet humano generi, quod alio periculi genere perire pateretur? Eo tendit benedictio: *fructificate, multiplicamini & implete terram*, Gen. 9: 1. & promiſſio de perpetuanda tempeſtatum anni dierumque & noctium viciſſitudine, cum καιροῖς καρποφόροις. Gen. 8: 22. Act. 14: 17. conf. Jer. 31: 35. & 33: 20. Eo etiam comparata fuiſſe exiſtimamus ſocietatis œconomicæ & civilis inter homines ineundæ, colendæ & tuendæ adminicula, quæ Deus ſuppeditavit, ceu יסר גוים σωφρονίζων τὰ ἔθνη, *gentes* quaſi injecto diſciplinæ fræno *coercens* & regens, alias in omne nefas & mentem nihil penſi habentem, cum certo ſocietatis humanæ exitio, ſeſe projecturas, Pſal. 94: 10. Unde enim egregia illa bene multa virtutum apud Philoſophos gentiles, plurima de æquitate legum condendarum, de Republ. prudenter conſtituenda feliciterque moderanda, de judiciis agendis, & id genus aliis, apud JCtos Romanos antiquitus prodita juris præcepta? Unde juramenti religio, Numinis metus? Unde pudor, ſapientum reverentia, conſcientiæ vis, quam

quam nec peſſimi quique, ut maxime vellent, intra ſe extinguere totam potuere? Unde Principes, Magiſtratus, tribunalia, judicia, leges; unde animus onera publica ferendi, ſeque omnino aliorum arbitrio *ſubjiciendi; non propter iram tantum*, ſive pœnæ metum, *ſed etiam propter conſcientiam?* Rom. 13 : 5. Unde artes honeſtæ, ad vitam commode agendam adminiculantes? Quid beneficia cœlitus data, *pluviæ, tempora fructibus perferendis præſtituta?* &c. Act. 14 : 17. Quid bella, quid regionum inundationes, peſtes, terræ motus, Rerumpubl. revolutiones, &c. nonne evidentiſſima ſunt Divinæ cum ἀνοχῆς καὶ μακροθυμίας, tum παιδείας καὶ σωφρονισμοῦ experimenta? Hinc Gentiles inexcuſabiles facti dicuntur Apoſtolo, quia, quæ læva ipſis & perverſa mens erat, *deos ſibi dona fecerunt, & quæ creata ſunt ad utendum, venerati ſunt ad colendum.* Ne tamen neſciremus, iſta longanimitatis divinæ experimenta ſpecialioris gratiæ eſſe præludia, Gentibus verbi gratiæ ſenſim oblitis, & ut meruerant, in ſuis ipſarum viis incedere permiſſis, Deus interim populum Iſraeliticum, ex aliis populis ſelectum, propius ſibi admovit, exquiſitioribus bonitatis ſuæ beneficiis fovendum. Unde MOSES, *nam pars*, inquit, *Jehovæ* eſt *populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus. Inveniebat ipſum in terra deſerti, & in vaſto ejulabili ſolitudinis; circumdabat eum, erudiebat eum, conſervabat eum, ut pupillam oculi ſui. Ut aquila excitat nidum ſuum*, pullitiem ſuam, *ſuper pullis ſuis fertur; pandebat alas ſuas, accipiebat illum, ferebat ipſum ſuper ala ſua, &c.* Deut. 32 : 9. ſeqq.

§. XII.

III. Nulli dubitamus, quin Deus longius proſpiciens pacto longanimitatis etiam fœderis gratiæ promiſſionem incluſam, & Noacho ejusque poſteris, quotquot fidei avitæ veſtigiis inſiſterent, obſignatam voluerit. Veriſſime D. P. MARTYR, *Hoc*, inquit, *diligen-*

diligenter annotabimus, hoc fœdere, etſi homines promittatur à Deo liberandos quoad corporis vitam, ne aquis præfocentur, tamen hic ſubeſſe umbram liberationis ab æterna morte, ne ſcil. æterna damnatione obruamur. Et præterquam quod umbra iſtud oſtenditur, argumento etiam à fidelibus ita colligi debet: ſi Deus ſibi fidentibus ita proſpicit, ut velit certos eſſe, nec dubitare de liberatione ab aquis, quanto magis animos illorum, eorundem potiores partes, liberabit non à momentanea, ſed perpetua morte? Si in his quæ minoris ponderis ita eſt ſolicitus, ut erit circa id, in quo noſtræ felicitatis ſumma verſatur? Quod equidem credo probatu eſſe proclive. I. Quia Deus, tanquam חסין יה *pollens decentia*, Pſ. 89: 9. in longanimitate ſua nec mundum ferret, nec peccatores mundi incolas toleraret, neque creaturam vanitati & ſervituti corruptionis ſubjici pateretur, niſi apud ipſum eſſet *condonatio* & *redemtio*, Pſal. 130: 4. 7. parata reſipiſcentibus. Unde illud Apoſtoli: *An divitias bonitatis ipſius & tolerantiæ ac longanimitatis contemnis, ignorans, quod bonitas Dei ad reſipiſcentiam te ducat?* &c. Rom. 2: 4. II. Fœdus Noeticum ad Eccleſiam pertinere, inſtituta docet comparatio, Eſai. 54: 9. *Nam aquæ Noachi hoc mihi, quemadmodum juravi, non tranſituras aquas Noachi terram, ſic juravi ne efferveſcam in te, & increpem te.* Comparat fœdus, quod cum Eccleſia N. T. & accedentibus ad eam gentibus, hactenus fœderis divini exortibus, ſub emblemate mulieris olim ſterilis & deſolatæ propoſita, erat percuſſurus, & in quo gratiam & miſericordiam æternam in aſſertore Jehova conſequendam promiſerat v. 7. 8. cum fœdere Noetico, non ſolum ut promiſſi firmitudinem & promittentis conſtantiam ſimili exemplo adumbratam videat, ad id enim quidni ſufficeret dixiſſe, *ſe juraſſe*, item, *montes decedent & colles nutabunt, & gratia mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit: ait miſerator tuus Jehova?* v. 9. 10. Verum ut in fœdere Noetico eandem gratiam ſibi promiſſam, obli-

obſignatam, & per tot ſecula præſtitam, & porro plenius præſtandam, animo nequaquam hæſitante, intelligat. III. Idem probat etiam quæ ſigno cum re ſignata intercedit analogia, de qua ſuo loco: item longanimitatis exercendæ ratio, de qua mox dicendum.

§. XIII.

Oeconomia iſta longanimitatis & tolerantiæ divinæ, inde à lapſu protoplaſtorum uſque, univerſa Eccleſiæ ſeu regno Chriſti per Orbem terrarum erigendo & propagando comparata eſt: ut adeo propoſiti divini fœdere Noetico notificati ratio non ſit obſcura. Qua, quæſo, de cauſa mundus, lege Dei ab homine violata, non illico interiit, nec cœlum virtutis ſuæ influxum telluri, nec tellus ſuum homini proventum negavit? Quare homo juxta divinæ comminationis rigorem non illico repentina morte concidit? Sed ſtare perrexit mundus per tot retro ſecula, ſtaturus porro ad noviſſimum uſque diem, Deo definitum & cognitum, homine interim & animantibus genus ſuum ſecundum primævæ benedictionis legem propagantibus? Scilicet, quia Deo propoſitum erat, genus humanum veluti ſylvam cæduam ædificandæ Eccleſiæ ſuæ conſervare. Hinc tametſi, exundante ſcelerum diluvio, mundum antiquum inducto aquarum diluvio delere conſtituerat, mundum nihilominus conſervavit, dum perdidit, reparandi generis humani ſeminio in arca Noë reſervato. Quod futurum promiſerat DEUS, Gen. 6: 18. *Et faciam ſtare fœdus meum tecum, & intrabis in arcam tu & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum &c.* qui primus Scripturæ locus, in quo diſerta *fœderis* mentio. Senſus verborum eſt, do fidem, vel promitto, te tuosque mediis in aquis diluvii ſalvos fore atque incolumes, ut per vos cum *genus humanum*, veluti ſylva, materiem in uſum ædificationis ſuppeditatura, tum *Eccle-*

Eccleſia, veluti domus Dei indidem exſtruenda & propaganda, ſervetur. In quam mentem etiam accipiendum eſſe fœdus, quo Deus generi noſtro adverſus diluvium univerſale deinceps cautum voluit, docet vaticinium, quo ordinem regni Dei inter poſteros ſuos obſervandum, delineare cœpit NOAH, Gen. 9: 26. 27. *Et dixit, benedictus Jehova Deus Sem. - - Perſuadebit Deus Japheto, & habitabit in tentoriis Semi. &c.* Significans, genus humanum ex ſe propagatum, ſed ſimul diſperſum iri multos in populos, ſeorſum habitaturos, neque in fidei concordia ſemper perſeveraturos, ut idem de Deo & juſtitiæ via ſentiant atque loquantur. Ab ea via etiam aberraturos *Japheti* poſteros. Deum vero pacturum fœdus cum poſteritate *Semi*, & inde daturum Meſſiam, ut qui ſe ſalvum eſſe velit, neceſſario cum ſemine Semi communicet, & in eo ſibi benedicturus, in ejus quaſi familiam commigret. Miſſis ſuo deinde tempore Evangeliſtis *Japheti* poſteros ad communionem ſeminis *Semi* invitaturum & allecturum: ut tanquam in tentoriis Semi habitantes inter ſe fratres ſint atque cohæredes. Memorabile etiam eſt illud DEI ad Zionem, de ſui deſertione conquerentem; *An obliviſceretur mulier parvuli ſui? - - Ecce in manibus ſignavi te, muri tui coram me ſunt ſemper.* Eſaj. 49: 16. Curam ſuam erga Eccleſiam egregia nobis adumbrat ſimilitudine ſapientis τεχνίτε, qui inter operandum ob oculos & quaſi in manu depictam habet operis ideam. Quo docemur, quicquid operis ſui, præſertim illuſtrioris, in mundo fecit facietque Deus, id ſuo quodam modo ad commodum Eccleſiæ referri. Quo etiam Imperiorum collineant revolutiones, Deo non ſine reſpectu ad Eccleſiam regnumve Uncti ſui *transferente & erigente reges* & regna, Dan. 2: 21. Quatuor famoſæ illæ Monarchiæ exemplum exhibent hujus providentiæ divinæ evidentiſſimum; facta enim fuit illarum revolutio

tio ad Eccleſiæ vel caſtigationem vel conſolationem. *Rege Babylonio* in virgam, *Cyro* Perſa ad dandam libertatem, *Græcis* ad tentationem, & rurſus ad verbi divini per orbem terrarum propagationem, *Romanis* denique ad politiæ Judaicæ abolitionem, ſuſcitatis. Veriſſimum eſt illud libri *Sohar: Deus Benedictus* μακροθυμεῖ *erga impios* בגין דיפוק מנהון גזעא טבא בעלמא *ut* (Dei benedictione) *proveniat ex illis germen bonum in mundo: ſicut ex Theracho prodiit Abraham, qui eſt germen bonum, radix & portio bona in mundo.* Hinc etiam electorum, qui ſoli demum veram conſtituunt Eccleſiam, in judiciis rationem haberi teſtatur Chriſtus Matth. 24: 22. *Propter electos vero decurtabuntur dies illi.* i. e. bello Judaico per Romanos inchoato, ſic providente Deo, talis intercedet armorum ſuſpenſio, cujus beneficio multi data fugiendi opportunitate ſervabuntur. Quod anguſtiæ laxamentum gratiæ, Electos chariſſima cœli pignora proſequenti, acceptum ferri debet. Quo etiam ſpectat illud Zach. 11: 7. *Et paſcebam oves occidionis, ad præparandum inopes,* vel *propter rectos inter inopes ovium.* Vere Lutherus: *Quicquid habet Mundus, habet beneficio Eccleſiæ: ſicut inquit Angelus in Actis ad Paulum: Ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum, qui certe erant idololatræ & impii.* T. III. in Gen. c. 44. Electos vere dixeris *Sal terræ*, quo illa ab interitu præſervatur, Matth. 5: 13. Quanta igitur iniquitas odii, quo electi in mundo laborant, quibus tamen reprobi longanimitatis divinæ beneficia ſua quadam ratione debent.

§. XIV.

Etſi vero Longanimitatis exercendæ conſilium à Dei εὐδοκίᾳ pendeat, Conſilii tamen executio cauſam habet in ſponſione Filii Dei, μεσίτου. *Prius* vel ex eo liquet, quod Deus citra conditionis ullius ſtipulationem promittit, ſe longanimitate uſurum erga genus humanum, & definitum tolerantiæ tempus non amplius

plius univerſali hominum & animantium excidio interrupturum, quanquam non minor foret etiam poſthac, atque fuerat ante, hominum pravitas & impœnitentia. Gen. 8:21. adde Rom. 9:22. *Poſterioris* ratio]ea eſt, quod Deus ſalva ſanctitatis & juſtitiæ ſuæ gloria homini peccatori gratiam promittere, promiſſamque ſolenni ſymbolo obſignare & præſtare non poteſt, niſi per Filium ſponſorem, quem conſtituit dare conciliatorem. Unde in Propheticis emblematibus ſolium & caput Meſſiæ iride cinctum. Apoc. 4: 3. & 10: 1. Et quando Noah arcâ egreſſus, arâ Domino ſtatuta hoſtiam de omni pecude & volucri munda immolavit, egregio pietatis exemplo docens, primam patrifamilias in domo, & principi in politia, reſtauranda curam oportere eſſe de ſacris, *Deus odorem fragrantiæ odoratus* dicitur, Gen. 8: 20. 21. Nunquid exiſtimamus, Deum putido viſcerum & carnis fumo atque nidore delectari, quod de Diis ſuis HOMERUS prædicat? Scil. gratam ſibi hoſtiam Noæ, forte per ἐμπυρισμόν, teſtatus eſt Deus, quippe oblatam in fide, qua proſpexerat in ſacrificium, quod Deo offerendum erat pro peccato & ad impetrandam juſtitiam, quæ eſt Dei juſtitia, cujus ille fuerat *præco* & factus *hæres*, 2. Petr. 2: 5. Heb. 11: 7. Eam ſacrificii approbationem continuo ſecuta ſolennis promiſſio de diluvio non amplius immittendo, &c. haud obſcure arguit, longanimitatis divinæ exercitium *dilectioni & clementiæ Angeli faciei, quâ ſuos bajulabat & ferebat omnibus diebus ſeculi*, Eſaj. 63: 9 & propter ſuos etiam *verbo potentiæ fert omnia*, Heb. 1: 3. acceptum eſſe ferendum.

§. XV.

Quærunt multi, ſæpe curioſe verius quam modeſte, de mundi hodierni duratione: nonnullis è cœlo & aſtris, eorumque periodis & revolutionibus; aliis ex terra ejusque qualitatibus; aliis denique ex

 calcu-

calculis propheticis, exoticis aut ſacris, Hebræis aut Chriſtianis, mundi hujus obitum definiri poſſe, autumantibus. Nos, quibus ad talia oculos deeſſe hactenus, libenter fatemur, de annorum atque dierum numero ſecuri, ſatis habemus obſervaſſe, mundum conſervari propter electos, naſcituros deinceps & vocandos. *Deus enim longanimis eſt erga nos, non volens quosquam perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam concedere*, quos ſcil. elegit, & ab interitu vindicare decrevit, 2. Petr. 3: 9. Quapropter etiam *Domini longanimitatem nobis ſalutem eſſe reputandam*, dicit Apoſt. ibid. v. 15. Deſinet igitur ordinariæ providentiæ mundum conſervantis & gubernantis œconomia, ubi numerus electorum fuerit impletus, quandoquidem iſtius œconomiæ finis eſt executio conſilii gratiæ erga hæredes Dei, ſive electos, per omnes mundi ætates & temporum periodos exercendæ. Annus vel dies iſti œconomiæ finem facturus Θεῷ ἐν γνώσει κεῖται, vel, ut cum Scriptura loquar, *reconditus eſt penes Deum, obſignatus in theſauris ejus*, Deut. 32: 34. nobis ſancta converſatione & pietatis ſtudio expectandus & accelerandus, 2. Pet. 3: 11. 12.

§. XVI.

Hæc de fœdere Noetico. Signum ejus eſt *IRIS. Et dixit Deus; hoc ſignum fœderis. - - Arcum meum do in nube*, &c. v. 12. 13. In eo refulget admirabilis Dei indulgentia, quod, ut ſolidam verbo ſuo fidem apud nos afferat, talibus adminiculis uti non gravatur. Iridem igitur quominus *Sacramentum* appellemus, atque etiamnum eſſe ſtatuamus, nihil prohibet. *Etenim ſi fœdus Noeticum gratiæ fœdus fuit, quin ſignum ei additum veri nominis ſacramentum fuerit, dubitari nequit. HEIDEGG. Corp. Theol. Chriſt.* L. XII. §. 75. Ergo Iris ſymbolum eſt gratiæ gratum facientis, quam Scholæ vocant, proinde Sacramentum, ſed cum fœderis ingenio congruens, ideo diſpenſationi humanæ nullatenus ſubjectum. Neque tamen recte dixeris, duobus plura eſſe Novi Teſt. Sacramenta.

§. XVII.

Niſi quæ admiratione alioquin & conſideratione digniſſima ſunt, familiaritate uſuque vileſcerent, arcu cœleſti vix admirabilius quid in meteororum miraculis à natura nobis exhiberi crederetur. Hinc Poëtis *Thaumantias* dicta Iris, Thaumantis & Electræ filia; ſic enim Ovid. *Metam. lib. 4.*

Læta redit Juno: quam cœlum intrare parantem
Roratis luſtravit aquis Thaumantias Iris.

ex Heſiod. Theogonia 265.

Θαύμας δ' ὠκεανοῖο βαθυῤῥείταο θύγατρα
Ἠγάγετ' Ἠλέκτρην. ἡ δ' ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν.

Thaumas vero Oceani profundiſlui filiam
Duxit Electram: Hæc autem celerem peperit Irim.

Nominis notationem tradit PLUTARCHUS ex Platone; πλάτων φησὶ, θαυμάντος αὐτὴν γενεαλογῆσαι τοὺς ἀνθρώπους, διὰ τὸ θαυμάσαι ταύτην. *Plato inquit, à Thaumante genus ſuum ducere* Iridem, *finxiſſe mortales, rei admiratione adductos*: alludente videlicet ad nominis originem fabula. *Lib. 3. de placit. Phil. c. 5.* Unde & in Sacris Literis celebrata Iris. Sicut enim lucis creatæ præſtantiam arguit, quod Deus ipſe *amicire ſe* dicitur *luce, inſtar togæ*, Pſal. 104: 2. Ita *iridis*, quæ nihil niſi lux variegata, excellentiam commendat, quod capiti & ſolio Meſſiæ ornando adhibetur in picturis propheticis. Ejus indagatio multum exercuit Philoſophos, qua veteres, qua modernos. Heic ingenium ſuum præſtitit ſummus præteriti ſeculi Philoſophus. *Renatus CARTESIUS*, mira ſolertia & induſtria ſucceſſuque felici, etiam hoſtibus laudato, iridis generationem, figuram, colorum varietatem, & alia, perſcrutatus, adeo ut, quæ *ARISTOTELES Meteorol. lib. 3. cap. 4. 5. SENECA Natural. Quæſt. lib. 1.*

cap. 3. & ſeqq ſubtiliſſimus *SCALIGER Exercit. 80.* & alii, priſcorum veſtigia ſecuti, ſuper hoc argumento ſcripſere, mera caligo videri poſſint, *Carteſiana* recte aſſecutis.

§. XVIII.

Præſentis inſtituti eſt, ad illa *Iridis* attendere, quæ ſigni cum re ſignificata analogiam exhibent. *Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*, inquit *AUGUST. Epiſt. 23.* Similitudinem certis reperturi veſtigiis, brevi percurremus, quæ Naturæ hiſtoria de Iridis generatione, forma, ſitu, colorum varietate, effectis, &c. Authoribus priſcis & hodiernis recenſita, ſuppeditat. Iridem ex cauſis naturalibus exiſtere, mirum eſt eſſe qui negent, eo quod ſigni loco fœderi divinitus eſt adjecta. Suam iſti opinionem dedoceri poſſunt experimento iridis artificialis in fonte ſaliente, priſmate cryſtallino, pila vitrea &c. quæ tamen verius forte naturalis diceretur, arte non niſi occaſionem & materiam miniſtrante. Qualia etiam veteribus non inobſervata. *Videmus*, inquit *SENECA*, *cum fiſtula aliquo loco rupta eſt, aquam per tenue foramen elidi: quæ ſparſa contra ſolem oblique poſitum, faciem arcus repræſentat. Idem videbis accidere, ſi quando volueris obſervare fullonem, cum os aqua implevit, & veſtimenta fidiculis diducta leviter aſpergit, apparet varios edi colores in illo aëre aſperſo, quales in arcu fulgere ſolent.* Nat. Quæſt. l. 1. c. 3. ibid. c. 7. eſt, qui exemplum priſmatis objicit; *Virgula ſolet fieri vitrea, ſtricta, vel pluribus angulis in modum clavæ toroſa; hæc ſi ex transverſo ſolem accipit, colorem talem, qualis in arcu videri ſolet, reddit.* Sic cœlo pluvio ea ſaltem parte, qua iris apparet, adverſi Solis radii in nube rorante, vel in guttas ſeu ſtillicidia liqueſcente, duas refractiones & unam vel duas reflexiones paſſi, arcum verſicolorem reddunt, oculo ſpectatoris in li-

nea

nea recta, centrum ſolis & iridis jungente, conſtituto. Non aliam generandæ iridis rationem eſſe fingendam, plus ſatis comprobant experimenta mox recenſita, & illud apud *SENECAM, l. c. cap. 5.*

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Ne jam dicamus de pluvia artificiali *Kircheriana*, quæ ſoli expoſita perfectam iridem repræſentat. *Caten. m. l. 3. p. 2. c. 3.* Unde inter prodigia relatum LIVIO, quod arcus interdiu ſereno cœlo, ſuper ædem Saturni in foro Romano intentus, apparuit. lib. 41. §. 21. Verum de his contraria ſentientes objiciunt: Si *Iris* naturam haberet parentem, ſecuturum inde, ſeculis antediluvianis eam extitiſſe. Atqui inconveniens videri; ut quod antea uſitatum fuit & in rerum natura conſuetum, ſigni alicujus rationem accipiat. Id vero ſequi negant alii. Sic Author *libri de Mirabilib. S. Script.* qui inter opera AUGUSTINI vulgo refertur: *fuerunt jam olim*, inquit, *qui occaſione iridis, quæ per ſolem ſemper & humectas ſerenasque nubes efficitur, concludunt, fuiſſe ipſam mundi nuper creati primam ætatem ſine ullis turbulenti aëris immutationibus & pluviis.* Hi, ut idem docet, terram matutino & veſpertino tore ac fontibus fuiſſe irrigatam exiſtimant, quod in Ægypto fieri ſcimus. Idem ſenſit *ALCUINUS Quæſt. in Geneſ.* Interrog. 135. Et *GLOSSA Interlin. ad Gen. 2: 5.* Pro eadem ſententia contendit *BURNET. Tell. Theor. Sacra* l. 2. c. 5. ea ſua hypotheſi nitens, quod tellus primigenia alium à noſtro, quæ ſemiruta, tenorem, aliumque vultum habuerit, conſtructione ſua regulari & uniformi, ſine tempeſtatum viciſſitudine, perpetuo quaſi vere gaudens, circa mediterranea plane ἄνομβρος &c. gravitatis & molis centro, ut & Eclipticæ ac Æquatoris axe coincidentibus. Quicquid vero hujus ſit, quæſtionem, an terra antediluviana, quippe inpluvia, iridem videre non potuerit,

quia prolixioris eſt indaginis, nolim equidem impræſentiarum nos morari, inſtituto noſtro ejus definitionem non neceſſario poſtulante. Et vero quid prohibet, ad uſum *ſigni ex inſtituto* aſſumi, quæ naturalia præſertim rarioris exempli ſunt: ita ut aliud ſint natura, aliud uſu, quem ex conſtitutione divina novum accipiunt. *Fuerat ante cladem illam iris, ſed non ut ſignum; veluti ſi cogites lapidem immobilem diu & neglectum, mox factum diſtinctionis alicujus ſignum,* COEL. RHODIG. *Lect. Antiq. L. XXII. c. 24.*

§. XIX.

Forma iridis arcum refert: cauſam aliis à nube concava, aliis à ſole, aliis aliunde arceſſentibus. Certum eſt, rubedinem apparere in guttis aquæ, ad quas ductæ lineæ cum axe viſionis angulum faciunt 42. fere graduum: alios deinde colores videri ſub angulo contractiore. Unde conſequitur 1. colorum ſeries neceſſario fore arquatas. Velut ſi corpora colorata, quocunque demum intervallo, ſuper conis diverſas baſes, ſed communem verticem habentibus, diſpoſita ſpectes, inæqualium orbium arcus videbis. 2. Fieri per naturam non poſſe, ut duo pluresve ſpectatores eundem numero arcum videant. Cæterum iridem aut ſemicirculo minorem eſſe contingit, ſole ſupra horizontem elato; aut æqualem, ſole horizontem ſtringente. Qua in re, inquit GASSENDUS, vere *Ariſtoteles* ſenſit. At, ſi quis fuerit elevatior, ut in edito montis vertice, & nubem habuerit vel totam, vel quadam ex parte depreſſiorem per convallem, aut planitiem circum ſubjectam; poſſe tunc iridem videri majorem ſemicirculo, uti & revera, quicquid ſenſerit ARISTOTELES, non ſemel eſt viſa & ab aliis multis, & à nobis quoque. *Phys. Sect. III. lib. 2. c. 6.* Unde tamen nequicquam concludas cum SCALIGERO, eandem non eſſe iridis, oculi & ſolis centri lineam. *Exerc. 8q.*

§. XX.

§. XX.

Situm quod attinet, iris, niſi ſole adverſo, non fit. Unde *VIRG. Æneid. 4.*

Ergo iris croceis per cœlum roſcida pennis;
Mille trabens varios adverſo ſole colores,
Devolat, & ſupra caput adſtitit. - - -

Si qui iridem ſpectaſſe memorentur in eadem regione cum ſole, imo & obverſis ſoli cornibus: vel in ſitu horizonti parallelo, & cruribus aut à ſole averſis, aut in eundem converſis: vel denique in ſitu obliquo, ex. gr. in meridie cum ſol eſſet in occidente: illi Cel. GASSENDO non iridem, ſed halonis aliquam portionem, vel circuli alterius, qui cum parheliis creari ſolet, vel unum duntaxat crus, ad germanum locum, in quo alterum futurum erat, non attendentes, vidiſſe creduntur, *loc. cit.* Iridis arcum præterea non accurate rotundum, itemque inverſum apparere, eſt ex raro contingentibus: de quibus vide *CARTES. Meteor.* c. VIII. §. 13.

§. XXI.

De colorum numero variant Authores. Non plures ab ARISTOTELE diſcernuntur, quam tres, unde τρίχρως ipſi dicta iris: quorum extimus puniceus, aliis rubeus; medius viridis, intimus purpureus, aliis cæruleus. Plures eſſe non diffitetur, ſed quorum ſit ἀναίσθητος ἡ μεταβολὴ, *inſenſibilis permutatio.* Meteor. l. 3. c. 4. Aliis præcipuos eosque extremos tantum attendentibus, duo; aliis rurſus ab extremis proxime enatos conſiderantibus, quatuor; aliis denique longe plures enumerantur. Sic irin ex colorum multiplicitate πολυώνυμον ὕδωρ *multi nominis aquam* dixiſſe videtur HESIODUS. Et VIRG. l. c.

Mille trabit varios adverſo ſole colores.

Et OVID. Metam. l. 11.

- - - Induitur velamina mille colorum
Iris & arquato cœlum curvamine ſignat.

Scilicet præcipui colores diſtinguendi à cæteris, qui ſecundarii & dilutiores. Illorum enim commiſſuræ, tranſitiones & deſitiones diſcrimina faciunt fere inobſervabilia; de quibus SENECA, cum citatis Poetæ, tum ſuis verbis, ita differit:

Sed nunc diverſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit:
Uſque adeo quod tangit idem eſt, tamen ultima diſtant.

„Videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in picturæ modum ſubtilibus lineis ducta, ut an diſſimiles colores ſint, ſcire non poſſis, niſi cum primis extrema contuleris. Nam commiſſura decipit, uſque adeo mira arte naturæ, quod à ſimillimis cœpit, in diſſimilia deſinit.„ Hactenus SENECA. *Quæſt. nat.* l. 1. c. 3. Illud porro de coloribus iridis animadverſione non indignum, quod momento quaſi naſcatur tota, & rurſus evaneſcat. Repentina ejus facies, & repentinus interitus. Haud ſecus ac imago, omnis in ſpeculo æque cito aboletur, quam componitur. Nihil enim aliud ad iſta efficienda vel removenda opus eſt, quam oſtendi & abduci. Iridis ſecundariæ (geminam enim haud raro videri, arcubus parallelis, nemo neſcit) colores ſunt inverſi & dilutiores: quia proveniunt ex radiis poſt binas refractiones & totidem reflexiones ad oculum pervenientibus, eoque debilioribus.

§. XXII.

De præſagiis & effectibus arcus cœleſtis multi bene multa; verum incerta ſaltem, ſi non falſa & fabu-

fabuloſa, tradunt. Iridem præſentis pluviæ ſignum eſſe διαγνωςικὸν, indubium eſt, quandoquidem non niſi in pluviæ guttis generatur. Pluviæ prænunciam eſſe antiquitas credidit, eo quod demiſſis in terram cornibus aquam è fontibus hauriret, ſecundum illud PROPERTII. l. 3.

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?

Hinc jocus *Plautinus* de anu bibace, *Curcul. A. 1.* ſc. 2.

- - - Ecce autem bibit arcus; pluet
credo hercle bodie.

SENECA illud *VIRGILII Georg.* l. I. v. 380. *Et bibit ingens - - - Arcus*: de adventante imbre accipit, *ſed non eaſdem*, inquit, *undecunque apparuit, minas affert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Vinci enim non potuerunt valentiſſimo ſole: tantum eſt illis virium. Si circa occaſum refulſit, rorabit & leviter impluet. Si ab ortu circave ſurrexit, ſerena promittit.* N. Q. l. 1. c. 6. Nautarum & agricolarum vulgus matutinam iridem pluvias, veſpertinam portendere ſerenum credit. Sed hæc incerta eſſe, neque adeo univerſe quid afferi poſſe, plus ſatis teſtatum facit experientia. Et quod PLINIUS ait, *arquus cum ſunt duplices, pluvias nuntiant; a pluviis ſerenitatem non perinde certam.* l. 18. c. 35. ſæpenumero falſum comperitur: veriusque idem l. 2. c. 59. *arcus vocamus extra miraculum frequentes & extra oſtentum. Nam ne pluvios quidem, aut ſerenos dies, cum fide portendunt.* Ingenii eſt, ſine operæ pretio, incertæ rei certas attuliſſe rationes: quod Magnus SCALIGER ſibi feciſſe videtur *Exerc. 80.* Male igitur THOMAS *Quodlib.* 3. a 30. & ABULENS. hic q. 7. iridem naturale ſignum eſſe exiſtimant diluvii non amplius futuri, eo quod ad tantam aquarum exundationem multas craſſasque nubes cogi neceſſe ſit; iridem vero in nube rorida quidem & concava, ſed tenui exiſtere. Quæ quidem ratio nulla eſt. Qualis

enim cunque fuerit nubes, modo in pluviam reſoluta adverſo ſole irradietur, iridem oſtentabit. Fabulæ vero ſimile eſt, quod ARISTOTELES ad mellis generationem multum conferre velit τῶν ἀςρων ἐπιτολὰς καὶ ὅταν καλασκήψῃ ἡ Ἶρις, *ſiderum exortus, & ubi decubuerit iris. Hiſt. anim.* l. 5. c. 22. Et illa PLINII: *Tradunt in quocunque frutice curvetur arquus cœleſtis, eandem quæ ſit aſpalatho ſuavitatem odoris exiſtere, ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam. Nat. Hiſtor.* l. XII. c. 24. Et alibi: *Terra, in quam arcus cœleſtis dejecerit capita ſua, & cum à ſiccitate continua immaduit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum divinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuavitas nulla poſſit.* l. XVII. c. 5. In quibus turpis eſt fallacia, quam vocant, non cauſæ ut cauſæ.

§. XXIII.

Ex hactenus obſervatis, quæ capita analogiæ ſignum inter & rem ſignificatam depromi poſſint, videndum reſtat. Neque enim, quæ de iride prædicat Scriptura, myſtice tantum intelligenda arbitramur, cum AMBROSIO, de clementia Dei, quæ terrere magis quam ferire amet. Quemadmodum, ut ait, *non ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta. Et ideo Dominus in nubibus arcum magis, quam ſagittam ponit: i. e. non illud, quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſoleat. lib. de Noë & arca,* c. 27. Nos igitur certa ab incertis, quoad ejus fieri poterit, diſtincturi, analogiam ſeqq. lemmatibus complectemur.

א Solis lux poſt diluvium Noëticum, diſſipata, quam pluvioſa cœli nubila induxerant, caligine reſplendeſcens, ſuisque impreſſionibus jucundum in adverſa nube ſpectaculum exprimens, repræſentatio quædam ſymbolica erat lucis gratiæ poſt legis umbras effulſuræ, variisque virtutum ſpectaculis in Apoſtolica & primitiva Eccleſia atque deinceps ſemetipſam probaturæ. Quo reſpexiſſe videtur Expl. Symb. S. Atha-

S. Athanaſii: *In variis coloribus arcus vires virtutum millenarii numeri ſanctorum ſignificantur: in igneo colore caſtitas & continentia, in purpureo martyria martyrum, in hyacinthino doctrina majorum, in viridi autem virtutes bonorum operum, quæ per Filium Dei expiratæ radiando, ut radii à ſole, procedunt.*

כ Quicquid ſuæ pulchritudinis habet iris, ſoli naturali, nubem in ſtillicidia reſolventi, variisque coloribus imbuenti, debet: hoc enim apparente apparet illa; evaneſcente ſeve ſubducente, evaneſcit illa. Sic reſplendens è nubibus fulgore luminis, quo roſcida illuſtratur obſcuritas, grata quodammodo confeſſione ſolem, parentem ſuum, profitetur. Pariter quicquid decoris habet Eccleſia, ſoli juſtitiæ acceptum fert. Hoc enim illucente lucet illa, luce ſapientiæ, puritatis, ſanctitatis, lætitiæ: hoc faciem ſuam radioſam occultante, obſcuratur illa. Hinc lucem ſuam, bonorum operum ſtudio, ſpargere jubentur juſti, lucis filii, ut veluti grata confeſſione parentem ſuæ lucis, ſolem juſtitiæ, profitentes glorificent: *non enim*, ut AUG. dicit, *de ſuo lucere ſe ſciunt, ſed de ſole juſtitiæ, ſicut illæ nubes de ſole viſibili.* l. 1. *contra adv. leg. & Proph.* Hunc ſolem juſtitiæ etiam iridem intuentibus eſſe conſiderandum, liquet, tum quia niſi *ſol juſtitiæ* fuiſſet *exorturus*, Mal. 4: 3. ſol naturalis jam pridem ſine ſpe reditus occidiſſet: tum quia iris ſolii & capitis Meſſiæ ornamentum eſt in ſymbolis Propheticis, Apoc. 4: 3. & 10: 1. conf. Ezech. 1: 28. Ubi Propheta *aſpectum ſplendoris, velut arcus, qui exiſtit in nube die pluvio*, dicit *fuiſſe aſpectum ſpeciei gloriæ Jehovæ.* Illam gloriam, Prophetæ viſam, gloriam fuiſſe Filii Dei, ut incarnati Joh. 1: 14. in quo juſtitiæ, iræ, gratiæ, miſericordiæ atque bonitatis divinæ temperatura, mox videnda nobis, exhibetur, nulli dubitamus. Hic lucifugas ſe probant Judæi, quando omnem iſtam gloriam de influxu virtutis divinæ in cauſas ſecundas intel-

intelligendam volunt. *Non mirandum*, inquit ABARBANEL, ad locum Ezech. *qua ratione virtus divina mundum conſervans in omnes ejus partes diverſiſſimas pariter influat, ut tamen ipſa omnimode una maneat, uno influxu perpetuans & conſervans intelligentias, orbes & res ſublunares*: כי הוא כענין הקשת שיש בו ג׳ גוונ׳ או ד׳ וכמו שזכרה פילוסוף בספר האותות והם מתחדשים שכם מהכ׳א ניצוץ השמש בענן הלח וכפי עובי חלק הענן או דקותו כן יתרשם הגוון בו ויעשה השמש אכ בהיותו א׳ בהשפעתו גוונים מתחלפים כפי המקבלים וכו׳: *Ejus enim inſtar eſt in arcu cæleſti, in quo tres vel quatuor colores: qui, ut meminit Philoſophus in lib. de meteoris, generantur ex reverberatione radiorum ſolis in nube humecta; pro diverſitate enim denſitatis vel raritatis ejus alius atque alius exprimitur color: quo caſu ſol, licet unicus ſit, influxu tamen ſuo diverſiſſimos producit colores pro varietate ſubjectorum recipientium: ita aſpectus ſplendoris circa Chaſmal v. 27. ex quo prodit influentia, pro ſubjectorum varietate variat, quanquam non niſi una ſit operatio.* Alii apud eundem ABARBAN. Deum ipſum, vel ut R. ABRAH. *in faſciculo myrrhæ* ad Gen. 9. exiſtimat, Schechinam fuiſſe נושא המקרים ההם *ſubjectum iſtorum accidentium*, nempe colorum, putant, eo quod Propheta iride viſa gloriam Dei vidiſſe eaque propter in faciem procidiſſe dicatur. Hinc Rabbinorum diverbium המסתכל בקשת עיניו כהות לפי שנסתכל בשכינה ואין ראוי לעשות כן; *Qui intuetur arcum* (ſine reverentia, exiſtimans, ſe nil niſi colores, eosque veros, intueri) *oculi ejus caligant, quia intuetur Schechinam,* glorioſam Dei præſentiam, *quod fieri non oportet, ſed faciendum quod fecit Moſes, de quo ſcriptum; Et abſcondit faciem ſuam, quia timuit &c.* Exod. 3:6. *Faſc. myrrh.* loc. cit. Sic lucem in tenebris micantem tenebræ non aſſequuntur.

3 In figura ſituque iridis R. NACHMANIDES aliique Magiſtri, quos noſtrum nonnulli ſequuntur, analogiam quærunt, Iridem dicentes arcum eſſe ſine telo

telo, eumque inverſum, cornibus terram ſpectantibus, qualem depugnato prælio geſtare ſolent milites: eoque aptiſſimum gratiæ & reſtitutæ pacis atque ſecuritatis eſſe ſymbolum.

ד Colores arcus, ignem, ſanguinem, graminisque virorem repræſentantes, diſtincti quidem, ſed per confinia confuſi tamen & temperati, tantum non δακτυλοδείκτως ſignificant, per ſanguinem Chriſti eam fieri juſtitiæ & miſericordiæ mixturam, ut utraque per fuſum ſanguinem demonſtrata Deus peccatori & formidabilis & amabilis reddatur: gratia tamen atque bonitate in divinis illis virtutibus, haud minus quam viriditate in arcu cœleſti, præcellente. Unde *iris aſpectu ſimilis Smaragdo*, Apoc. 4: 3. conſimilibus coloribus, quibus quondam reſpondebant veſtes ſacræ, ſimile dubio procul myſterium depingebatur. De coloribus Iridis R. ABRAH. in Faſc. myrrh. לבן הוא חסד לאברהם אדום הוא פחד יצחק ירוק הוא יעקוב באמצע המראות ; *Color albus gratiam ſive benefaciendi ſtudium Abrahami; ruber timorem Iſaaci; viridis in medio colorum, Jacobum ſignificat, de quo ſcriptum, habitans tentoria.* Recte ſentit, ſi gratiam Abrahamo fœdere addictam, & per timorem Iſaaci intelligat eum, quem Iſaacus timebat, juxta illud *Eſai. 8: 13, Jehova ſit id quod metuatis.*

ה Divinæ χρηστότητος ex uno fonte promanantis, & in electos, horumque cauſa in alios etiam homines &c. abundantis, divitiæ adumbrantur, eo quod licet ſingulis ſpectatoribus ſua appareat iris, una tamen omnibus & eadem apparere videatur. Gratiæ vero *ſpecialis* & *communis* differentiam frequenter geminatum iridis primariæ & ſecundariæ ſpectaculum indigitat,

ו Denique licet iris generetur in cœlo pluvioſo, per naturam tamen fieri nequit, ut quando iris appa-
ret,

ret, pluvia ſit univerſalis, quia ſolem ex adverſo lucere neceſſe eſt. Eo ipſo aptiſſimum comperitur ſignum, quo adverſus metum diluvii univerſalis ſecuri reddimur. Quæ alii, ſive veteres, ſive moderni S. Literarum interpretes juxta ſenſum, quem vocant, *allegoricum*, *tropologicum* & *anagogicum*, de duabus in Chriſto naturis, de Eccleſiæ militantis conditione & indole, de interitu Mundi prioris per aquam, poſterioris per ignem, de virtutibus ſanctorum, fide, ſpe & charitate, &c. bene multa tradunt, quaſi quæ colorum iſtorum cœleſtium varietate nobis adumbrentur, tanquam minus obvia & è longinquo petita, libenter omittimus; paucis, qua ratione hactenus dicta ad fidem, pietatem & conſolationem referri poſſint, oſtenſuri.

§. XXIV.

Primum mirare mecum divinæ Bonitatis divitias, quas non obſtante hominum pravitate, libero gratuitoque pacto Noacho ejusque poſteritati ad finem uſque ſeculorum utendas fruendas addixit. Mirare Bonitatis divinæ amplitudinem, quæ licet ſpeciali amore amplectatur electos fideles & juſtos, nihilominus etiam malis & injuſtis benefacit, & alia quæque hominum uſui ſervientia conſervat, Matth. 5:45. 1. Tim. 4:10. Pſal. 36:7. Act. 14:17. Mirare Dei longanimitatem, qua *non vult quosquam perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam concedere*, 2. Petr. 3:9. Imo etiam *vaſa iræ ad interitum aptata fert, Rom. 9:22.* Ita porro mirare, ut eam dignis laudibus concelebres, conſpirantibus ore, corde, opere. Circumfer oculos quaqua velis, bonitatis & longanimitatis experimenta confertim ſe ingerent, ut identidem cum populo Dei ingeminare debeas *ὁμολογίαν, quia in ſeculum eſt gratia ejus*, Pſalm. 136.

Deinde, quia ſic benignus eſt atque longanimis Deus, non eſt cur deſperet peccator, 1. Tim. 1:16. Quin

Quin potius longanimitate, &c. Dei ſe ad reſipiſcendum invitari ſentiens, vitæ hactenus actæ pœnitentia tangatur, novamque vivendi rationem meditetur, atque ſequatur Rom. 2: 4. 2. Petr. 3: 9. Scite BERNH. *duo*, inquit, *Sponſi ubera, duo in ipſo ſunt ingenitæ manſuetudinis argumenta, quod patienter expectat relinquentem & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo ſuavitatis exuberat in pectore Domini Jeſu: Longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. Et audi, quia non ſit hoc inventum meum; An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Serm. 9. ſuper Cantic. *Si velox ad pœnam fuiſſet Deus, Paulum Eccleſia non poſſediſſet: propterea diſtulit blaſphemantem Dei longanimitas, ut oſtenderet pœnitentem: lupum in paſtorem mutavit Dei longanimitas: publicanum fecit Evangeliſtam*, &c. Chryſoſt. in 2. Cor. 5.

Divinæ inſuper Longanimitatis atque Bonitatis exemplum diligenter nobis eſt imitandum, nulla hominum ingratitudine vel malitia ſtudium ejus impeditura. Quidni vero? Sic nos *Dei filios*, Matth. 5: 45. juxta propoſitum ſalutis vocatos & *electos* probabimus, Col. 3: 12. & quemadmodum *vocatione* noſtra *dignum eſt ambulabimus*, Eph. 4: 1. 2. Iſtarum porro virtutum praxi nihil eſt *honeſtius*. Eo enim pacto Deo obſequimur, Rom. 12: 9 10. 20. 21. Deumque imitamur, Matth. 5: 48. & Chriſtum, 1. Petr. 2: 23. & Sanctos, Num. 12: 3. Gen. 50: 19. &c. Nihil *æquius*, cum divinæ longanimitatis, &c. beneficia in te extent quotidiana & innumera, nunquid iniqua poſtulat Deus, ſi & te erga fratres, &c. longanimem atque benignum eſſe velit? Nihil *utilius*, ſemen enim beneficorum in benedictione eſt. Pſal. 37: 26. Cumprimis autem Evangelii Miniſtris virtutes iſtas commendatas oportet, 2. Tim. 2: 24. 25. & 4: 2.

§. XXV.

Circa *Iridem*, ceu fœderis ſymbolum obſ. 1. *Hine* qui-

quidem admirabilis indulgentiæ exemplum in Deo, qui ut firmam verbo ſuo fidem apud nos afferat, promiſſioni ſymbolum ſacramentale annectit: *inde* vero mentis noſtræ imbecillitatem & tarditatem, quam, ut indidem omnis auferatur hæſitatio, talibus adminiculis ſublevari atque fulciri vult.

2. Sacramentum à verbo non eſſe ſeparandum, ſecus, quod eſſe dicitur, eſſe deſiturum. Quid iris ſine verbo, quo fœderis divini ſignum haberi jubetur, niſi repercuſſæ & refractæ lucis ſolaris variatio? ſine verbo *aqua baptiſmi nihilo eſt melior quam qualibet alia, & panis cœnæ Dominicæ minoris etiam momenti & utilitatis, quam ſit quivis menſarius.* MUSC. in Gen. IX.

3. Iridem non oculo ſolum corporis, ſed etiam fide, oculo mentis, ſpectandam eſſe. Vult namque Deus, ut eo appareat tempore, quum incommodum aquarum ex imbribus timeri poteſt, verum ita, ut in aquoſis nubibus omnium ob oculos expoſita ipſo aſpectu veluti clamet ac dicat: non eſt cur diluvium aquarum ex nubibus iſtis venturum ſuſpicemini. Ecce adſum læta cœli nuntia, certum fœderis divini ſignum, quod pactus eſt inter ſe & univerſam carnem, &c. Neque tamen, ut Jonathan olim, 1. Sam. 14: 7. & David, 1. Sam. 17: 26. in hoſtem ituri, circumciſionis Sacramento ſe ſolari poterant in adverſis, ita *Muncerus*, ſeditioſus ille impoſtor, ruſticos ſibi militantes viſa iride ad pugnam accendere debuit, temeritatis ſuæ mox pœnam, eamque non unam, daturus: *Ecce videtiſne, quam habemus propitium Deum? aſpicite, quæſo, ſignum ac teſtimonium illius erga nos perpetuæ benevolentiæ. Tollite oculos & arcum cœleſtem mihi cernite: quum enim in vexillo noſtro ſit idem depictus arcus, clare ſignificat Deus hoc ſimulacro, quod è ſublimi nobis oſtentat, adfuturum ſe nobis in prælio, tyrannis autem noſtris interitum & excidium hoc ipſo denunciat,* SLEID. Comment. lib. V. Pejoris exempli fuit hoc factioſi hominis auſpicium,

um, quam illud Niciæ, qui *ſtulta ex deliquio lunari ſuperſtitione retentus, peſſundedit Rempublicam.*

4. Iridem intuentes, monumentum cum hac inſcriptione εἰς ἐμὲ ὁρῶν εὐσεβὴς ἔσω, videre nobis videamur: memores, diluvio ſcelerum quondam provocatum fuiſſe diluvium aquarum, *temperanter, juſte & pie vivamus in hoc ſeculo.* Tit. 2: 12. *Hæc* enim *typi nobis fuerunt, ne concupiſceremus mala.* 1. Cor. 10: 6.

5. Speciatim eſt heic, quo fidem exerceamus, cogitando: α΄, Deo eſſe fœdus gratiæ cum peccatore, cui in & per Chriſtum exequendo Naturæ œconomia ſubſervit. β΄. Ea de cauſa Deum decenter uti longanimitate, &c. γ΄. Quia in terris habere vult Eccleſiam, in qua regnet Filius, cujus gloriam quærit, Joh. 8: 50. 54. conf. Joh. 5: 23. & 14: 13. δ΄. Ejus fœderis ſenſim oblitos Noachi poſteros pleroſque in viis ſuis ambulaſſe, Deo interim longanimitatis & beneficentiæ ſuæ teſtimonia dante perpetua, Act. 14: 17. ε΄. Idem fœdus, Deo ſpecialiter providente, in Semi poſteris religioſe ſervatum, vel ſingulari vocatione clarius notificatum. ζ΄. Quid Chriſto Sponſori, verbo potentiæ & interceſſionis omnia ferenti, Mundus cum univerſus, tum Electorum, debeat, &c. *O profundas divitias tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei; quam inſcrutabilia ſunt ejus judicia, & imperveſtigabiles viæ ejus! - - - Quoniam ex ipſo & per ipſum & ad ipſum ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula. Amen.*

VIII.
Nova Literaria Helvetica.

1. **Johann Jacob Hottingers** / Helvetiſche Kirchen-Geſchichten / vorſtellende der Helvetiern ehemahliges Heidenthum, und durch die Gnade Gottes gefolgtes Chriſtenthum; ſamt nothwendigen Anmerckungen von der Lehre, Gebräuchen und Regierung der Helvetiſchen Kirche, und denen darinn vorgefallenen Veränderungen: Aus bewährten, gedruckten und geſchriebenen Documentis, unpartheyiſch zuſamen getragen; In richtiger Jahr-Ordnung bis auf gegenwärtige Zeiten ausgeführt, und in acht Bücher abgetheilet. Erſter Theil, Zweyte Auflag. Zürich bey Heidegger und Comp. 1738. 4.

2. **Das herzliche und immerwährende Lob Gottes** / angeſtimmt in verſchiedenen Predigten über den 103. 113. und 150. Pſalm, von **Johann Baptiſt Ott** / Archi-Diacon und der Stifft zum Groſſen Münſter in Zürich. Zuſamt einer Jubel-Predigt bey Anlaß des Zweyten Genffer-Jubileums 1735. gehalten über Pſalm 33 v. 20-22. Zürich, bey J. H. Bürckli, 1738. 8. 10. Bogen.

3. **Joh. Georg Altmanns** / Prof. der Griech. Sprach und der Sitten-Lehr, der Zeit Rectoris Academici zu Bern, Zweyte Solennitäts-Rede / von dem Aufnehmen und Flor der Griechiſchen Republicken, gehalten den 5. Brachm. Bern, gedruckt in Hoch-Obrigkeitlicher Druckerey, 1738. 4. Bogen 4.

4. *Ejusdem* Der geſchwinde Vorübergang der Geſtalt diſer Welt, vorgeſtellt in einer Predigt über 1. Corinth. 7: 31. Bern bey G. Gaudar. 1738. 4. Bogen 4.

5. Joh. Henrici Hottingeri, S. Theol. D. & Prof. in Univ. Heidelb. *Typus Studioſi Theologiæ*, ſive Methodus Studii Theologici, tradens ejus Scopum, Principium,

cipium, Summam, Partes & Media; in uſum Inſtitutionis Domeſticæ. Baſileæ, apud Joh. Rud. Im-Hoff. 1738. 8. pl. 16.

6. *Ejusdem Apologeticus pro Benigna Lege, Levit. XXI. v. 22.* quæ ex conſenſu omnium, tam Chriſtianorum quam Judæorum, Sacerdotibus temeratis facultatem dat non ſolum comedendi de Donis Sanctis, ſed & Sanctiſſimis; denuo ſcriptus contra contrariam muſteam Opinionem & imprimis nuperam mordacem & criminoſam Diſputationem *Johannis ab Hamm*, Theol. & Lingg. apud Duisburgenſes Profeſſoris Publ. Francof. ad Mœnum, Typis Joachimi von Lahnen. 1738. 8. pl. 4.

7. Oratio Gratulatoria *de Concordia Genevæ reſtituta*, dicta ſtatis Acad Genev. Solemnibus, d. 19. Maji, Anni 1738. à Jacobo Verneto, Eccleſiæ Paſtore & Academiæ p. t. Rectore. Genevæ, Typis Pelliſſari & Soc. 1738. 4. phil. 2.

8. Pauli Warſanyi, *Ungari*, Diſſertatio Theol. de Certitudine Salutis Subjectiva, occaſione verborum Apoſt. Hebr. 6: 4. aſſerta. Præſide *Joh. Jac. Lavatero, S. Theol. Prof.* Tiguri, Typis Geſsnerianis 1738. 4. pl. 3.

9. *Defenſe de la Religion tant naturelle que revelée* contre les infideles & les incredules, par les habiles Gens d'Angleterre, & traduit de l'Anglois de Gilbert Burnet, Tom. I. Geneve 1738. 8.

10. Der unbekante Schatz und verborgenes Kleinod, des Menſchen Hertz; Welches der König der heiligen Liebe ſeiner eigenen allerhöchſten Majeſtät zu Dienſten und zum Gebrauch ſeiner Herrlichkeit abfordert; damit es nicht durch Betrug der Sünden vergeudet, verderbet, verlohren, ſondern in Gottes Hand und Schoos beygelegt, mithin in ewige Sicherheit gebracht, und dem hölliſchen Ertz-Schelmen für

für ein und allemahl entzogen werde: Vorgeſtellt von Samuel Lucius, Prediger des Evangelii, worzu noch einige Anmerckungen gekommen. Schaffhauſen, gedruckt bey Emanuel Hurter, 1738. 8. 16. Bogen.

CONTENTA
Sectionis Undecimæ.

I. *Jacobi KOCHERI* Obſervatio Critica de Emphaſi Sermonis in terna interrogatione Chriſti ad Apoſtolum Petrum, *Joh. XXI. 15 - 17.* p. 365.

II. *Joh. Georgii ALTMANNI*, Prælectio Literaria pro Comœdia & Ludis Theatralibus. p. 394.

III. *Petri Adolphi BOYSEN*, Diſſertatio Philologico-Crit. de Κυβεια Ανθρωπων, in loc. *Eph. IV: 14.* p. 412.

IV. *J. R. S.* Emendatio & Explanatio loci ex *Epiſtola Firmiliani* ad Cyprianum, nec non loci cujusdam ex *Fl. Joſepho.* p. 430.

V. *Emanuelis WOLLEB*, Disquiſitio Hiſtorica de Cauſis proxime antecedentibus *Romæ* Fundationem. p. 454.

VI. *THEMATA* Prælectionum & Diſputationum, Speciminis publici edendi gratia, pro *Cathedra Philoſophica Lauſannenſi* conſequenda, DD. Candidatis præſcripta. p. 481.

VII. *Joh. Rod. RODOLPHI*, Iridis Theoria Sacra, ſive Diſſertatio Theolog. de Fœdere Noachico, ejusque Sacramento, nempe Arcu Cœleſti, ex *Geneſ. IX. 8: 17.* p. 502.

VIII. Nova Literaria Helvetica. p. 538.

* * * *
* * *
* *

TEMPE HELVETICA,

Diſſertationes atque Obſervationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Tertii

Sectio Quarta.

TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXIX.

Digitized by Google

VIRO

Plurimum Venerando atque

Clariſsimo,

JOH. RODOLPHO SALCHLI,

S. S. Theologiæ, quæ in Catecheticis occupatur, ut & Linguæ Sanctæ

In Academia Bernenſi

Profeſſori Celeberrimo,

Collegæ Conjunctiſsimo, Honoratiſsimo,

Non multivaria tantum Eruditione, ſed & Humanitate, morum ingeniique Comitate inclyto,

Sectionem Duodecimam,

Intemeratæ Amicitiæ, Obſervantiæ & Cultus Obſidem, cum ardentiſſimo longæ & integræ felicitatis Voto, ſacram eſſe jubet

JOH. GEORGIUS ALTMANNUS.

I.

JOH. RODOLPHI SALCHLI,

S. S. Theol. Cat. & Ling. Hebr. in Acad. Bern. Prof.

DISSERTATIO

De

FOEDERE OPERUM,

Ex mente Doctorum Hebræorum.

Argumentum.

§. I. Scopus Diſſertationis, Tractationis ordo. §. II. Fœdus interceſſiſſe inter Deum & Adamum, probatur ex Hoſ. 6: 7. Dictum explicatur & a falſis interpretationibus purgatur. §. III. Genuina explicatio probatur ex Jobi 31: 33. quod a cavillationibus defenditur. Authoris Expl. probatur

ex

ex Chaldæo. Uſus Paraphraſium Chaldd. §. IV. Sequuntur teſtimonia Magiſtrorum quoad dictum Hoſeæ. Obſervatur diſtinctio Hebræorum inter Adamum primum & eundem ſecundum, quæ obvenit in libro Sohar. Hujus ſumma. Rabbi Schimgnon in h. l. citatur. §. V. Sequitur R. Salom. Jizchaki & Kimchi. §. VI. Ex his concluditur, ab ipſis Hebræis ſtabiliri Fœdus Dei cum Adamo. Hoc habuit conditiones fœderis, nimirum ſtipulationem. Emphaſis vocis אלהים additur. §. VII. Stipulatur Deus obedientiam generalem ſub ſymbolo ſpecialis. Citatur Rab. Bechai Elucid. in legem. Hic putat ſub præceptis Adamo datis contineri allegorice omnia præcepta, nec non ſeptem præcepta Noachidarum. §. VIII. Sequitur Adſtipulatio Adami. Quid hæc ſit. Adamum adſtipulatum fuiſſe probatur. Aſſenſus Hebræorum id maxime probat. Citatur Mechilta, qualis liber ſit. Ut & Jalkuth Schimgnoni, in quibus תורה & ברית idem volunt. §. IX. Adami adſtipulatio ulterius probatur. Philo Jud. idem ſentiens citatur. §. X. Ulterius probatur Fœdus Operum, quod lapſus Adami dicitur בגד *perfidia*. Jarchius citatur. §. XI. Hebræi idem per hanc vocem intelligunt. Malach. 2: 14. citatur in hunc locum Kimchi. §. XII. LXX. Interpr. hunc ſenſum retinent Jerem. 3: 7. & ſeqq. Buxtorf. citatur & laudatur. §. XIII. Promiſſio & Reſtipulatio. Hæc non fuit ob ſubitam defectionem. Quæ illa fuerit, colligitur. §. XIV. Stipulatus eſt Jehovah. De ipſius

Oo 3   nomi-

nominibus differitur ex S. S. & Doctoribus. §. XV. Ex his concluditur, promiſſam fuiſſe vitam æternam. §. XV. Hoc probatur ex S. S. adducitur D. J. Aben J·chia. §. XVII. Quid hic Doctor per עולם & חיי עולם intelligat, cum cæteris. §. XVIII. Promiſſi obſignatio. In loco Gen. 3:22. ſacer υκτηρισμος ſtatuitur, & ſecundum hunc ille explicatur. §. XIX. Quæſt. quæ fuerit virtus arboris vitæ & ratio. §. XX. Habuiſſe vim phyſicam hominem conſervandi, Hebræi dicunt quidam. Abarbanelis ſententia affertur. §. XXI. Cl. Honerti P. affertur. §. XXII. Hæc ſententia rejicitur adduntur rationes. §. XXIII. Quæſt. An vim habuerit ſanandi. Citatur Chaskuni. Qualis ſit hic liber & ejus ratio, ejus Author additur, & hujus mens explicatur. §. XXIV. Aſſerti plures adduntur rationes ex Apoc. 22: 2. §. XXV. Ex his deducitur, quid Arbor Vitæ obſignet & homini integro & lapſo. Citatur R. L. ben Gerſon ad Prov. 9:3. Conceptus Judæorum de vita æterna ſiſtitur. §. XXVI. Tranſitio ad alia. Judæi ex Fœdere Operum Juſtitiarii evaſere. Legem arborem vitæ faciunt. Quod probatur ex eorum ſcriptis. §. XXVII. Eosdem crediditſſe aſſeritur, ab omni lege mercede munita dependere reſurrectionem, & probatur. §. XXVIII. Quam firmiter crediderint vitam æternam, docetur. §. XXIX. Ex eo, quod Adamum circumciſum ſtatuebant, probatur, eos crediſſe Fœdus Dei cum Adamo. Quanti habuerint circumciſionem, & quem effectum ei tribu-

tribuant, docetur ex teſtimoniis. §. XXX. Ad quæſtionem: quare in V. T. tam raro expreſſis verbis mentio fiat vitæ æternæ, ex Hebræis duplici reſponſione finitur Diſſertatio.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

§. I.

NOtior eſt controverſia de Fœdere Operum, inter Deum Summum & hominem primum, à Theologis genuinis defenſo, à quibusdam vero Doctoribus rejecto, quam ut de illa multis præfari neceſſum habeam. Scrutando Philologica Hebraica, cum forte inciderem in talia, quæ mihi confœderationem hancce ſtabilire videbantur, haud inutile fore judicavi, ſi quædam hanc materiam illuſtrantia è Doctrina Judæorum conquirerem, & ex iis Diſſertationem concinnarem. Præeuntem faciam Scripturam, ſequentur Magiſtri. Adſit Deus cœptis gratiâ ſuâ!

§. II.

Fœdus aliquod interceſſiſſe inter Deum & Adamum, dubitare neminem, Hebraiſmum non ex propoſito falſare tentantem, finit locus ille celebratiſſimus in Prophetia HOSEÆ cap. 6: 7. qui ita ſe habet: והמה כאדם עברו ברית שם בגדו בי: i. e. *Et ipſi ſicut Adam transgreſſi ſunt fœdus, ibi prævaricati ſunt in me.* Habemus hic FOEDUS. Fœderati ſunt ab una parte יהוה v. 3. אלהים v. 6. ab altera vero parte אפרים & יהודה v. 4. Aſſeritur, quod *Ephraim* & *Judah* transgreſſi ſint hoc fœdus, & prævaricati in Jehovah v. 7. Quomodo vero transgreſſi ſint? Dicitur כָּאָדָם quod omnino vertendum *ſicut Adam*; aliter enim ſi

tranſtuleris, non ſatisfacies veritati Hebraicæ. Si cum rejicientibus hoc fœdus inter Deum & Adamum, illud כאדם velles vertere: *Sicut homo*, inconvenientem plane proponeres locutionem: *Homines transgreſſi ſunt fœdus ſicut homines.* Transferres autem: *ſicut fœdus hominis*, tum in originali non legeres כאדם, ſed כברית אדם, uti Viri docti, genii Linguæ Hebrææ gnari, ſolide obſervant. Nec abſentia *Heb* emphatici verſionem veram invalidam reddit; potius enim, ſecundum analogiam Linguæ Hebrææ, tum vertendum eſſet *ſicut homo*, ſi adeſſet *Heb* emphaticum; cujus abſentia itaque ſententiam noſtram non parum firmat. Nomen enim proprium ordinarie reſpuit *Heb* emphaticum, ut ex Grammaticis notum.

§. III.

His, jam à Theologis magnis obſervatis, & ſequentia cum ipſis jungimus. Interpretationem noſtram: *ſicut Adam*, clare probari ex loco JOBI 31:33. Ubi patiens in Arabia ita: אם־כסיתי כאדם פשעי *Si obtexi defectiones meas ſicut*, non *homo*, ut quidem vellent ſententiæ noſtræ iniqui, ſiquidem hoc nullum ſanum funderet ſenſum; ſed, *ſicut Adam*, qui nuditatem adeoque prævaricationem ſuam obtegere conatus eſt Geneſ. 3:7. אין חפית כאדם קדמוי מרדי' adeoque ad Adamum, hominem primum, refert hoc Jobi Chaldæus, ex quo patet, & in Judæorum Catecheſi illud ita intellectum fuiſſe; ſiquidem Paraphraſes Chaldaicæ, quamvis ſerius collectæ, tamen longe citius in uſum Hebraica negligentium Judæorum confectæ, haud levem cognitionem doctrinæ fidei ipſorum, quam priſcis temporibus tenuere, nobis ſuppeditant.

§. IV.

Ad teſtimonia pergamus Magiſtrorum, qui hoc כאדם Hoſ. 6:7. de Adamo, homine primo intellexere.

xere. Ubi in anteceſſum obſervabimus, quod diſtinctionem fecerint Doctores Hebræorum inter *Adamum primum* & *Adamum ſecundum* ſive *ultimum*; qua diſtinctione utitur Apoſtolus 1 Cor. 15: 45, 47. Ubi ipſi per oppoſitionem nominantur ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ & ὁ ἔσχατος item ὁ δεύτερος Ἀδαμ. Cui Apoſtolo etiam certo reſpectu *Primus Adam* fuit typus *Adami ſecundi* Rom. 5: 14. Utrumque hunc Adamum invenimus in Libro SOHAR, qui, cujuscunque tandem antiquitatis ſit, ſaltem veterem Catecheſin Judæorum continet, è quo itaque varia ad illuſtrationem veræ doctrinæ depromi poſſunt: Dico, utrumque hunc *Adamum*, ſcilicet *primum* & *ſecundum*, habemus in famigeratiſſimo hocce Libro *Sohar*. Et quidem *Adamus primus* nominatur *Sohar Schemoth* fol. 106. col. 429. אדם קדמאה. *Adam* vero *ſecundus Sohar Bereſchith* fol. 26. col. 104. l. 4. אדם בתראה Hoc in anteceſſum obſervato ex Libro *Sohar*, ex eodem jam pro *primo* citamus, quod *Rabbi Schimgnon* illo in loco, ubi mentionem injicit *Adami primi*, præmittat locum Hoſ. 6: 7. quod ſatis docet, doctorem illum dictum Hoſeanum etiam ad *Adamum* & ejus ttansgreſſionem fœderis retuliſſe. Inſpice locum citatum *Sohar Schemoth* fol. 106. col. 429. lin. 28. 29.

§. V.

Citatum Soharicum excipiat eruditiſſimus *R. Salomon Jizchaki*, etiam *Raſchi* dictus & JARCHI, (qui ſeculo XII. floruiſſe cenſetur) in Commentario ſuo in hunc locum Hoſ. 6: 7. ubi illud כאדם explicat per כאדם הראשון *ſicuti Adamus primus*. Sequatur Cl. Hebræorum Grammaticus *R. David KIMCHI* (quem ſeculis XII. & XIII. vixiſſe credi poteſt.) Hic, quamvis aliam explicationem illius Hoſeani adducat, tandem tamen addit: איש מפרשים כאדם הראשון i. e. *& ſunt, qui explicant* באדם *ſicut Adam primus*. Neq

non *R. Schelomoh ben Melech* Hiſpanus, ſeculi XVI. Scriptor, & *Kimchii* quam maxime deſcriptor, ad noſtrum כארם annotat: פירוש כארם הראשון i. e. *Explicatio: ſicut Adam primus.*

§. VI.

Habuit itaque *Adamus primus*, ſecundum ipſam mentem Doctorum Hebræorum, è quibus potiſſimum hac vice diſſerendum, FOEDUS *cum* DEO. In omni fœdere primo venit *ſtipulatio. Stipulatio* Dei in fœdere cum Adamo conſiſtit in præceptis & poſtulatis obedientiæ. Deus fœderatus Adami inter alia etiam manifeſtatur per nomen אלהים, quod Hebræis, etiam Talmudiſtis, ſignificat דיינא *Judicem.* Talmud *Jomah* fol. 87. f. 1. *Coſri* Part. IV. ab init. p. 256. *R. BECHAI* (qui ſeculo XIII. floruit) in Leg. fol. 12. col. 2. אלהים אלו הדיינין i. e. *Elohim ſunt Judices.* Et *Jarchi* in Exod. 20: 1. אין אלהים אלאדיין i. e. *non eſt* (ſignificat) אלהים *niſi Judex* (judicem.) Dominus jus habet præſcribendi legem, & obedientiam legi illi conformem poſtulandi; etiam judicandi de præſtatione obedienriæ, obedienti præmium adjudicandi, inobedienti vero pœnam irrogandi. Hic אלהים Dominus & Judex eſt Deus fœderatus Adami, qui ab homine poſtulavit obedientiam, & ipſum adjuravit ad ſui fidem & obſequium.

§. VII.

Hanc ſtipulationem *obedientiæ* generalem Moſes indigitat præcepto ſpeciali, ſymbolico illius *generalis*, de comedendo & non comedendo fructu Gen. 2: 16 In quo *ſpeciali* poteſtatem & Jus Dei homini Legem obedientiæ in omnibus præſcribendi ipſi Hebræi agnoſcebant. Operæ pretium erit adducere quæ habet *Rabbenu Bechai.* Elucid. in Legem p. 12. col. 2. jamjam citata, qui ad hæc Geneſ. 2. v. 16. ויצו י' אלהים-

אלהים על האדם לאמר מכל עץ הגן אכול תאכל׳ i. e. *Et præcepit Dominus Deus homini, dicendo, de omni arbore horti omnino comedes* : ita commentatur. על דרך הפשט הוזהר אדם בכאן בשתי מצות מצות עשה ומצות לא תעשה, מצות עשה מכל עץ הגן אכול תאכל, מצות לא תעשה ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו, ועל דרך המדרש נצטווה בכאן בשבע מצות והם שבע מצות שאמרו עליהם ר״זל בכמה מקומות שבע מצות בני נח שנצטוו ואלו הן, ע״ז, ברכת ה׳, דינין, שפיכות דמים, גלוי עריות, גזל, אבר מן החי, ויצו זו ע״ז דכתיב כי הואיל הלך אחרי צו, ה׳, זו ברכת ה׳ דכתיב ונוקב שם ה׳ מות יומת, אלהים, אלו הדיינין שנאמ׳ אלהים לא תקלל, על האדם, זו שפיכות דמים שנאמ׳ שופך דם האדם וגו׳, לאמר, אלו עריות שנאמר בספר ירמיה לאמר הן ישלח איש את אשתו והלכה מאתו והיתה לאיש אחר, מכל עץ הגן אכל תאכל, זה הגזל, כלומר מדבר פלוני ולא מאחר, ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו, זה אבר מן החי, כלומר מדבר פלוני לא תאכל מקצתו, הרי לך שבע מצות של בני נח רמוזות בכאן׳ i. e. *Secundum ſenſum Literalem inſtructus fuit hic Adam utriusque generis præceptis, ſcilicet affirmativis & negativis. Præceptis affirmativis* (in eo,) de omni arbore horti comedes: *Negativis* (vero in eo,) Et de arbore ſcientiæ boni & mali non comedes. *Secundum ſenſum vero allegoricum tradita ſunt in hoc ſeptem præcepta, & hæc ſunt ſeptem præcepta, quæ Doctores noſtri felicis memoriæ variis in locis ſeptem præcepta Noachidarum vocant. Sunt autem mandata illa ſequentia*: (1.) de Idololatria. (2.) De profanatione nominis Divini. (3.) De Judicibus. (4.) De effuſione ſanguinis. (5.) De revelatione nuditatis. (6.) De rapina. (7.) De membro animalis vivi. ויצו (indigitat) *præceptum* (ſ. interdictum) *de Idololatria. Sicut ſcriptum eſt.* (Hoſ. 5 : 11.) *quoniam cœpit ire poſt præceptum*, (ſcil. humanum, cultum quem Deus non præcepit.) ה׳ *hæc eſt profanatio nominis Divini, ſicut ſcriptum eſt* : (Lev. 24: 16.)

16.) *Et qui blaſphemaverit nomen Jehovah, moriendo morietur.* אלהים, *hi ſunt Judices, ſicut dicitur* (Exod. 22: 27.) *Judicibus non maledices.* על הארם, *hæc eſt effuſio ſanguinis, prout dicitur;* (Geneſ. 9: 6.) *Effundens ſanguinem hominis &c.* לאמר, *eſt denudatio, ſicut dicitur in Libro Jeremiah.* (cap. 3: 1.) *Dicendo, ecce dimittet vir uxorem ſuam, & diſcedet ab eo & erit viri alius.* מכל עץ הגן אכל תאכל, *eſt rapina, ac ſi diceretur: de re N, i. e. quadam definita (ſc. debes edere) & non de alia,* ומעץ הדעת טוב ורע לא תאכל ממנו, *hoc eſt membrum de animali vivo, ac ſi diceretur: de rei cujuſdam definita* (i. e. animalis adhuc vivi) *parte* (membro reſecto) *non comedes. En tibi ſeptem præcepta filiorum Noah hic innuta.* Secundum mentem Hebræorum habemus in his omnia præcepta affirmativa & negativa, nec non famigerata illa Noachidarum, Adamo inculcata, facientia ſtipulationem fœderis inter Deum & primum hominem.

§. VIII.

Stipulationem in fœdere excipit *adſtipulatio.* In fœdere Dei cum Adamo habuimus *ſtipulationem* Dei, venit nunc conſideranda *adſtipulatio* Adami. Hæc, quamvis expreſſis verbis à Moſe non ſit declarata, tamen de illa non eſt dubitandum. Quando homo adſtipulatur fœderi Divino, tum credit verbis Dei, etiam aſſenſum præbet obediendo ejus præceptis. Ita Abrahamus credidit Deo, &c. Gen. 15: 6. Ita quoque protoplaſtos, fidem adhibuiſſe præcepto Divino, & crediſſe æquum eſſe, ut ipſi obedientia præſtetur, hocque per ὁμολογίαν coram Deo teſtatos eſſe, dubitare nos non ſinit illud, quod Eva regeſſit ſerpenti: *Et de fructu arboris, quæ eſt in medio horti, dicit Deus, &c.* Quia Deus dixit, & Eva verbis Dei credidit, obediendum eſſe rite judicavit. Hæc eſt adſtipulatio, quæ conſiſtit in aſſenſu & fideli obedientia. Fœdus, quod Deus homini offert, eſt fœdus præcepti,

ti, eaque ratione μονόπλευρον. Deus habet ſummam ὑπεροχὴν, & vi hujus eminentiæ jus legem ferendi homini, ipſi præcipiendi, eumque obligandi ad obſequium. Homo debet enti eminentiſſimo hancce obedientiam, & tenetur grato animo agnoſcere illam κατάβασιν, qua Deus ſummus cum ente, quod ab ipſo habet τὸ eſſe, exiſtere, moveri & τὸ bene eſſe, fœdus inire voluit. Agnitio hujus debiti non poteſt non hominem compellere ad adſtipulationem & obedientiam proniſſimam. Ipſi Hebræi agnoſcebant *præceptum Dei* tanquam *fœdus*, quod, dum hac in parte aſſenſum nobis præbent, non parum nos firmat in ſententia noſtra de fœdere Adamico, & adſtipulatione primi hominis. Probabit hoc illud ex *Mechilta*, (qui liber ſatis antiquus, quamvis interpolatus, continens jura & conſuetudines Judæorum, & commentarium ſiſtens in quædam Exodi, de quo & de cujus Authore Eruditi variant;) quod legitur fol. 5. fac. 1. ואין ברית אלא תורה שנ׳ אלה דברי הברית וגומ׳ *Et non eſt fœdus, niſi Lex, ſicut dictum eſt* Deut. 29 : 1. *Hæc ſunt verba fœderis illius* &c. In hunc locum legimus etiam in *Jalkuth Schimgnoni* Part. 1. fol. 303. col. 1. in Paraſcah Nizavim. דבר אחר א״ל משה מבקשים אתם לעמוד בעולם עסקו בתורה מה כתוב למעלה ושמרתם את דברי הברית ואחריו אתם נצבים. i. e. *Expoſitio alia: Dicit ipſis Moſes: ſi quæritis vel vultis ſubſiſtere* (felices eſſe) *in mundo, operam date Legi; illi* (enim,) *quod ſcriptum eſt ſuperius:* (ſc. Exod. 12: 17.) *Et ſervabitis verba fœderis, ſubjunctum eſt inferius:* (Deut. 29: 1.) *Vos conſtituti &c.* (ſtantes firmi) Hic תורה *Lex* & ברית *fœdus* idem ſignificant, adeoque probatum eſt, præceptum Divinum Hebræis indigitare fœdus.

§. IX.

Secundum hæc poſita, præceptum divinum Adamo promulgatum fuit ſtipulatio fœderis, cui homo

mo recens manibus ſapientiſſimi opificis elaboratus, & ad imaginem ipſius, quæ conſiſtit in ſanctiſſimo ſtudio veritatis, efformatus, non potuit non adſtipulari. Vel an Adamus integer, Deum ſuum propter intellectum integrum intimius cognoſcens, non agnoviſſet ſummum Dei jus, *καλάβασιν* & benignitatem Dei immenſam? Annon itaque lux mentis ipſum deduxiſſet ad adſtipulationem & obedientiam lubentiſſimam & ſanctiſſimam? Hoc ipſum egregie agnovit *PHILO*, *Judæus*, Hebræis ידידיה dictus, eo Græcum *Philo* exprimere ſatagentibus, Anno XL. à nato Chriſto Legatione ad Cajum Imperatorem defunctus. Non pigebit adſcribere, quæ habet Libro de Mundi Opificio, Opp. m. p. 33. Ἅτε δὴ πολλοῦ ῥυέντος εἰς αὐτὸν τοῦ θείου πνεύματος, πάντα καὶ λέγειν καὶ πράττειν ἐσπούδαζεν εἰς ἀρέσκειαν τοῦ πατρὸς καὶ Βασιλέως, ἑπόμενος αὐτῷ, κατ' ἴχνος ταῖς ὁδοῖς, ἃς λεωφόρους ἀνατέμνουσιν ἀρεταί. Δι' ὧν μόναις ψυχαῖς θέμις προσέρχεσθαι, τέλος ἡγουμέναις τὴν πρὸς τὸν γεννήσαντα θεὸν ἐξομοίωσιν. i. e. *qui* (primus homo) *plenus largiſſimo ſpiritu divino, omnia tum dicere tum facere ſtudebat ad placitum Patris Regisque ſui, ſequens ejus vias eisdem veſtigiis, qua virtutes viam publicam muniunt, per quas vias ſolis animabus fas eſt incedere, eum finem affectantibus, ut tandem reddantur genitori Deo ſimiles.*

§. X.

Si ulteriorem velimus probationem, fœdus interceſſiſſe inter Deum ſtipulantem & Adamum adſtipulantem, ex eo derivari poterit, quod transgreſſio & lapſus Adami etiam vocetur בגר *perfidia*, quando fœdus per non obſervationem conditionum irritum redditur. Redeundum nobis ad locum Hoſ. 6: 7. Ubi, poſtquam Deus de Ephraim & Judah conqueſtus fuiſſet: והמה כאדם עברו ברית *Et ipſi ſicut Adam transgreſſi ſunt fœdus*, addit: שם בגדו בי *Ibi perfide egerunt contra me.* Hic apud Prophetam עבר ברית & בגר ſunt

ſunt unum & idem, nempe *fœdus irritum reddere*, ſicut Adamus, qui in exemplum proponitur, fœdus ſuum cum Deo per transgreſſionem irritum reddidit. Optime hic *Jarchius* : בארץ טובה שהושבתום בה שם בגדו בי כארם שהכנסתיו לגן עדן ועבר על מצותי : i. e. *In terra bona, in quam collocati ſunt à me, ibi prævaricati ſunt in me, ſicuti Adam, quem introduxeram in bortum Eden, & transgreſſus eſt præceptum meum.*

§. XI.

Hebræi absque hæſitatione, per Scripturam ducti, בגר ſumſere pro *transgreſſione fœderis.* Dictum luculentiſſimum eſt illud Malach. 2 : 14. ubi *uxor juventutis* vocatur אשת ברית *uxor fœderis*, & exprobratio additur : אשר אתה בגדתה בה *contra quam perfide egiſti.* Notari merentur, quæ hic annotat *R. D. Kimchi* ad illud ואשת בריתך. nimirum : כי כרתה ברית בינך ובינה i. e. *quia pepigiſti fœdus inter te & illam* ; dein ſubjungit: ואתה נושא עליה אשה אחרת נכרית זו היא בגידה גדולה וכו׳ i. e. *Et tu dixiſti ſuper ipſam uxorem aliam alienigenam, quæ eſt prævaricatio magna.* Hinc huic ipſi *Kimchio* in Libr. Rad. voc. בגר, בוגר *eſt* מי שעובר על ברית חברו ומשקר בו בבטחו בו : i. e. *Quicunque transgreditur fœdus, quod habet cum ſocio ſuo, & mentitur ipſi, dum alter confidit.* Hic בגר explicatur per שקר· quod etiam adhibetur in cauſa transgreſſionis fœderis Pſalm. 44 : 18. ubi lego : ולא־שקרנו בבריתך *Et non mentiti ſumus in fœdus tuum.* Lexicon Hebr. cum rubrica מקרי דרדקי *lectio parvulorum*, cujus Author veſtigiis *Kimchii* inſiſtit, & quod impreſſum An. 1488. fol. ad vocem בגר eadem phraſi dicit : משקר בברית i. e. *Qui mentitur in fœdus*, hoc eſt, עבר ברית *transgreditur fœdus.*

§. XII.

Ipſi jam *Interpretes Græci*, LXX. dicti, qui trecentis circiter annis ante nativitatem Chriſti verſionem

nem ſuam adornaſſe cenſentur, τὸ בגר pro transgreſſione fœderis ſumſerunt. Hinc Jerem. 3:7, 8, 10, 11. illa בגודה & בגדה transtulerunt quarta vice ἡ ἀσύνθετος, *fœdifraga*, ſcil. *Judah.* Unde patet, jam eo tempore בגד apud omnes ſignificaſſe *fractionem & transgreſſionem fœderis.* Et talis transgreſſio fœderis, talis בגד fuit etiam peccatum Protoplaſtorum, à quo בגד *peccato* & *perfidia*, Cl. *BUXTORFIUS* in Lex. Hebr. & Chald. opere excellentiſſimo, derivat בֶּגֶד *veſtimentum; forte*, inquit Cl. Vir, *quod ſit primæ hominis contra Deum perfidiæ tegumentum & teſtimonium, cum antea homo nudus fuerit.*

§. XIII.

Habuimus hucusque in Fœdere Dei cum Adamo *Stipulationem* & *Adſtipulationem*; ſequuntur *Promiſſio* & *Reſtipulatio.* Fœdus hoc tam cito irritum redditum abſtulit omne jus ad *reſtipulationem* & petitionem *promiſſi præmii.* Hinc Scriptor Sacer Moſes de hoc præmio expreſſe non agit; imo in omnibus, quæ ad hoc Fœdus Operum pertinent, admodum parcus eſt: haud dubie eadem ipſa de cauſa, quod Adam citius fœdifragus factus ſit. Quamvis autem non ex propoſito de hoc præmio agat divinus Moſes, tamen quale illud promiſſum fuerit, facile arguitur; Tum ex natura ſtipulantis & promittentis; Tum ex promiſſo, homini reſtituto facto; Tum & ex eo, per quod promiſſum obſignatum, ſcil. *Arbore vitæ.* Gen. 2:9. 3:22.

§. XIV.

Ille, qui ſtipulatus eſt in hoc fœdere, eſt יהוה אלהים. Gen. 3:22. & paſſim in Sacra Scriptura, in recenſione rerum ante & poſt lapſum geſtarum, idem nominatur unicus *Jehovah Elohim.* Qui notanter etiam vocatur אלהים חיים *Deus Vivus*, Deut. 5:23.

1. Sam.

1\. Sam. 17: 36. Jerem: 10: 10. 23: 36. אל חי Joſ. 3: 10. חי עולם *Vivens in æternum*, Dan. 12 : 7. utpote qui eſt עתיק יומין *permanens dierum*, Dan. 7 : 9. apud quem eſt continuum היום *hodie,* Pſalm. 2 : 7. Quare vero vocetur *Deus vivens* אלהים חיים, rationem reddit *Kimchius* in Jer. 10: 10. quando in verba הוא אלהים חיים: ita הוא החי האמתי שאין חייו תלויין באחר כי חייו : ממנו וכל החיים זולתו חייהם ממנו וכו׳ i. e. *Hic eſt Deus Vivus; Hic eſt Verus Vivens, quia vita ejus non dependet ab alio, ſed à ſe ipſo. Omnium etiam Viventium extra ipſum vita eſt ab ipſo.* Nec tantum eſt אלהים חיים, ſed & in Scriptura vocatur חי העולם, *vivens in æternum,* Dan. 12: 7. ubi τὸ עולם, *ſapiens* dictus *R. ABEN ESRA* (qui Seculo XII. medio floruit,) explicat per נצח *æternitatem.* Eſt itaque Deus æternus, vivens in æternum, qui ſtipulatus eſt & præmium promiſit.

§. XV.

Quid aliud daret hic Vivens in æternum, quam præmium æternum? Nam cum felicitas Vitæ æternæ conſiſtat in perenni fruitione Dei Vivi, Summi Boni, præmium hoc obedientis non poterit eſſe conſummatum, ſi non ſit æternum. Haud aliud itaque erit, quam *vita æternum beata.* Adeoque promiſſio Adamo facta in fœdere operum alia eſſe non potuit, quam de *vita*, poſt abſolutum obedientiæ curriculum, *in æternum felice.*

§. XVI.

Nec dubitandum, hanc fuiſſe promiſſionem fœderis operum, cum haud diverſa eſſe poſſit ab illa fœderis gratiæ, ſiquidem Chriſtus nobis recuperavit, quod in Adamo amiſimus. Promiſſum autem fœderis gratiæ eſſe vitam æternam, nemo negat, & Sacra Scriptura abunde teſtatur. Teſtatur Scriptura, *mortem* intraſſe per *Adamum primum*, *vitam* vero per *Adamum ſecundum*, Dominum noſtrum Jeſum Chri-

ſtum, Rom. 5 : 17. Quæ *vita* vocatur ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριςῷ Ἰησῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ab eodem Apoſtolo, Rom. 5 : 21. & 6 : 23. ζωὴ αἰώνιος eſt ea ipſa phraſis, qua utitur DANIEL in ſua prophetia, *Dan. 12 : 2.* חיי עולם, quod tranſtulere LXX. ζωὴν αἰώνιον, iisdem verbis, quibus Apoſtolus poſt ipſos uſus eſt, forſan digitum intendens ad hunc locum Danieliticum. Lubet ad illuſtrationem hujus loci, & ut ſciamus, quid per חיי עולם intelligant Hebræi, adducere paraphraſin *Don Joſeph ABEN JACHIA*, Doctoris Hebræi, qui Seculis XII. & XIII. vixiſſe perhibetur, & qui hunc vers 2. Cap. 12. Dan. ita παραφράζει: ואז יתחדש מופת תחיית מתים כי רבים מישני אדמת עפר יקיצו אלה לחיי העולם והם הצדיקים ואלה לחרפות לדראון עולם והם הרשעים. וסבת תחיותם למען שהרשעים יודו בפומבי היות אמונהם שקר ואשר האמינו בם רדפו אחרי ההבל ויהבלו והם יכירו כי שקר נחלו אבותם: Vertit Cl. *L'EMPEREUR: Tunc fiet miraculum Reſurrectionis mortuorum; nam multi dormientium in terra pulverulenta expergiſcentur, hi ad vitam æternam, qui ſunt ſancti, illi vero ad opprobria & deteſtationem æternam, qui ſunt impii. Quorum reſurrectionis cauſa eſt, ut impii fateantur palam, ſuam fidem eſſe falſam, & eos, qui ipſis fidem habuerint, perſequutos fuiſſe vanitatem atque evanuiſſe; ipſique agnoſcant, ſuos majores falſitatem poſſediſſe.* Egregie idem Doctor Hebræus *Verſum ultimum* Prophetiæ *Danielis* illuſtrat hiſce: ואתה דניאל לך לקץ חייך בעולם הזה : ואחר וכך במותך תניח במנוחת גן עדן : ולקץ הימים תעמוד ותחיה בתחיית המתים : ותזכה גורלך הטיב בעולם הבא: i. e. *Tu autem Daniel perge ad vitæ tuæ terminum in hoc mundo; poſtea vero cum mortuus fueris, quieſces quiete horti Edenis; at in fine dierum conſiſtes & vives in reſurrectione mortuorum, & aſſequeris ſortem tuam bonam in mundo futuro.*

§. XVII.

Hic *Jachiades* τὸ עולם abſolute ſumit pro æternitate;

nitate ; & ex collatione utriusque loci patet, quod חיי עולם ipſi tantum ſit, ac עולם הבא *ſeculum futurum.* Quod *ſeculum futurum* Hebræis ut plurimum ſignificat *vitam æternam* ; quod à Viris Clariſſimis, in ſcriptis Hebræorum verſatiſſimis, *RHENFERDIIS* & aliis, ex monumentis Hebraicis ſatis erutum, ut fruſtraneus eſſet labor, quædam repetere velle. Sufficit nobis indicaſſe, חיי עולם Hebræis eſſe *vitam æternam* ; & cum in ſtatu reſtituto homini promiſſa fuerit *vita æterna*, quis anceps eſſet, hominem primum in ſtatu inſtituto eandem promiſſionem habuiſſe?

§. XVIII.

Pergendum nunc ad illud, per quod in fœdere operum primus homo de promiſſo præmio certior factus, ſcil. *Arborem Vitæ* ; de qua præcipue ſermo eſt *Gen. 2: 9.* & *Gen. 3: 22.* In quo poſteriori loco exerte aſſeritur, hominem comedentem ex *arbore vitæ* victurum eſſe לעלם. Ita vero ſonant verba Dei : הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע ועתה פן ישלח ידו ולקח גם מעץ החיים ואכל וחי לעלם: i. e. *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis, ad cognoſcendum bonum & malum ; Et nunc, ne extendat manum ſuam & carpat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Credamus, hæc Dei verba ſacrum μυκτηρισμὸν, ex iis manifeſtum nobis fiet, Adamum Deo aſſimilari voluiſſe quoad ſcientiam, nec non affectaturum fuiſſe aſſimilationem cum Deo quod ad vitam. Et cum vita Dei ſit immutabilis ac æterna, vita vero Adami fuerit contingens & mutabilis, hominem ante tempus à Deo præfinitum in ſtatum immutabilitatis tranſire, vitam perennem agere, adeoque Deo in tantum aſſimilari geſtiviſſe. Deus ſedens in cœlis ridet inane hoc conamen Adami ; dicit, hominem arcendum eſſe ab arbore vitæ, quo minus fruatur ante tempus præfixum & immerito felicitate, per *arborem vitæ* ipſi confirmata, ſcilicet

cet *vita immutabili & æterna*, cujus fruitionem obtinuiſſet per guſtationem fructus *arboris*, *vitam æternam* repræſentantis, conſequenter *vixiſſet in æternum.* עולם igitur hic aliud quid ſignificare nequit quam *æternitatem.* Etenim de Deo uſurpatum non poteſt non innuere *æternitatem*; eandem itaque ſignificabit in cauſa de aſſimilatione vitæ hominis cum vita Dei.

§. XIX.

Innuimus, per *arborem vitæ* promiſſum de felicitate æterna confirmatum fuiſſe. Quæritur nunc, an illa arbor habuerit vim phyſicam hominem æternum conſervandi in vita? an ipſum ſanandi? an vero fuerit ſacramentalis & ſignificativa?

§. XX.

Quæſtio eſt: *AN* *ARBOR VITÆ habuerit vim PHYSICAM hominem æternum in vita conſervandi?* Ad hanc quæſtionem *affirmative* reſpondent quidam Magiſtri Hebræorum. Sufficiet hoc docuiſſe ex Commentario in Legem *Don Jizchak ABARBANEL.* Celeberrimi illius Seculi XV. Exegetæ & Doctoris Hebræi, qui p. 23. col. 1. in hanc quæſtionem differit. Ab initio refert ſententiam ſapientum de ſtatu integro Adami hiſce: כבר ידעתי דעת ח׳ז׳ל שאדם הראשון אם לא חטא לא היה מת וכו׳: i. e. *Haud me latet ſententia ſapientum noſtrorum felicis memoriæ, quod Adam primus, ſi non peccaſſet, non mortuus fuiſſet &c.* Dehinc quædam diſputat, quæ prolixiora, quam ut adduci poſſint. Tandem ſequentia lego: ולכן כדי להציל הקב״ה את האדם מן הזקנה ומן המות הטבעות, נתן לו בתוך הגן את עץ החיים, כי היה פריו כל כך נאות למזג האנושי, שבאכילתו ישב הבשר והליחות במו אותו שניתך ממנו, מבלי חלוף, ולכן נקרא עץ החיים גם שהיה מונע התכת הגוף, ובזה היה מאריך הימי׳ ומתמיד אות׳: i. e. *Itaque ut eriperet Sanctus Benedictus hominem à ſenio & morte naturali, dedit ei in medio horti*

horti arborem vitæ, eo quod fructus ejus uſque adeo conveniens eſſet temperamento humano; ſiquidem per eſum ejus reſtitui potuiſſet caro & humiditas, ſimilis plane illi quæ ab eo (homine) *reſoluta fuiſſet, absque mutatione. Propterea quoque vocatur ARBOR VITÆ, quod impediverit* (i. e. facultatem impediendi habuerit) *diſſolutionem corporis, & per hoc prolongarit dies illosque continuarit.*

§. XXI.

Habemus ex Doctoribus noſtris, Hebræis ὁμοψήφους. Placet adſcribere verba *Cl. HONERTI P.* ex Diſſertatione Inaugurali *de Adamo primo & ſecundo*, p. 28. extantia & ita ſe habentia: *Ego enim inter illos profiteor nomen meum, qui putant, fructum arboris vitæ vim phyſicam, morbos ac mortem ipſam ab corpore humano arcendi, habuiſſe. Quam ſententiam malo iisdem verbis, quibus illam ex hac Cathedra* (Lugduno-Batava) *olim docuit Magnus ABRAHAMUS HEYDANUS, quem Præceptor meus, Clariſſimus WITTICHIUS, κατ' ἐξοχὴν Theologum ſolebat vocare, quam meis exponere „ Quid, inquit, quod arbor vitæ, homini in cibum data & comeſta, „ vim habuit illum perpetuo in vita conſervandi. Et forte „ hoc illud eſt, quod dicitur: Nunc igitur videndum, ne extendens manum ſuam accipiat etiam de fructu arboris vitæ, ut comedat, victurus in ſeculum: Licet hoc aliter alii „ interpretentur.*

§. XXII.

Sed pace Tantorum Virorum, quos animitus veneror, plane mihi perſuadere nequeo, arborem vitæ ejusmodi vim phyſicam habuiſſe mortem arcendi ab homine. Reliquæ arbores Paradiſi omnis generis, homini ad ſuſtentationem vitæ creatæ, æque mortem ab eo arcere poterant, ac quidem arbor quædam ſpecialis vivifica. Et ſi *arbor vitæ* habuiſſet vim phyſicam conſervandi hominem in perpetuitatem,

tem, vel unicus guſtus fructus ejus hoc perfeciſſet, vel plures. Ad unicum nos ducere videtur locus Gen. 3 : 22. Unicus guſtus fructus arboris ſcientiæ boni & mali attulit mortem ; quidni & unicus guſtus fructus arboris vitæ perennitatem dediſſet ? Quicunque igitur vel unica vice guſtaſſet ex illa arbore, æternitatem acquiſiviſſet, licet dehinc curriculum obedientiæ non abſolviſſet. Quod ſane defendere nollem.

§. XXIII.

Si petas: *An arbor vitæ habuerit vim phyſicam ſanandi?* Lego quidem in *CHASKUNI*, (Hic liber eſt Commentarius Literalis & myſticus in Pentateuchum, ex variis collectus, ut ſupplementi loco eſſet in Commentarios *Jarchii.* Sæpius fuit impreſſus Sec. XVI. & XVII. habetque Authorem *R. Chiskua f. Manoah.*) quod arbori vitæ tribuatur *vis ſanandi* ab Hebræo. Hoc docent, quæ extant p. 8. f. 2. col. 1. ad fin. & ita ſe habent : וא״ת וחלא כתוב לעיל כי ביום אכלך ממנו מות תמות והנה עבר הוא על הצווי ואכל ממנו ואיך יוכל לחיות לעולם אלא י״ל עץ החיים היה סם חיים ורפואה לאוכל מעץ הדעת וכו׳ : i. e. *Et ſi dixeris : Nonne ſcriptum eſt ſupra, eo die quo comederis ex ea* (arbore ſcientiæ &c.) *morte morieris. Et ecce transgreſſus* (eſt) *ipſe* (Adam) *præceptum, & comedit ex ea* (arbore,) *& quomodo poterit vivere in æternum ? Sed dicendum eſt : Arbor vitæ fuit aroma vitæ & medicina comedenti ex arbore ſcientiæ &c.* Sed quamvis hæc videantur *arbori vitæ* tribuere vim phyſicam ſanandi, tamen cum hic Commentarius etiam ſit myſticus, expoſitio quoque alia p. 2. ab initio mox ſubiungat & Deum ita loquentem faciat : וגזרתי של עץ החיים שכל האוכל ממנו יחיה לעולם וכו׳ i. e. *Et decrevi de arbore vitæ, ut omnis qui comederit ex ea, vivat in æternum* &c. adeoque per eſum fructus arboris illius obtinenda *vita æterna*, non naturali

turali diſpoſitioni arboris & phyſicæ qualitati fructus ipſius tribuatur; ſed decreto alicui & edicto divino, per quod Deus vitam æternam & promiſſionem de illa per hanc arborem homini obſignaverit; omnino credendum puto, Doctorem Hebræum vim illam ſanandi non phyſicam, ſed ſymbolicam putaſſe: quatenus Deus decreverit, ut homo fide in Deum vivum carpens fructum hujus arboris haberet in illa ſignum & ſigillum ſanationis à peccato & morte; conſequenter obſignationem vitæ æternæ. Et hanc fuiſſe mentem Magiſtri, nullus dubito.

§. XXIV.

Confirmor in meo aſſerto ex Sacra Apocalypſi Johannis, in qua Vates Sacer revelationes divinas per repræſentationes ſymbolicas, modo docendi Hebræorum myſtico admodum convenientes, accepit. Vidit inter alia *arbores vitæ*, quarum folia deſtinata εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν, *ad ſanationem gentium*. Apoc. 22: 2. Spiritum Chriſti hic digitum intendiſſe ad *Arborem Vitæ Paradiſiacam*, nemo facile negaverit; Sanationis vero virtutem harum arborum Apocalypticarum phyſicam fuiſſe vix erit, qui aſſeret. Cum enim Sacro Vati eventura à Spiritu Dei per emblemata manifeſtata fuerint, illis ſymbolis virtutem phyſicam tribuere velle, abſonum foret. Reſpondentes itaque hæ arbores Apocalypticæ ſymbolicæ Paradiſiacæ noſtræ, vim hujus ſanativam facient ſignificativam. Verum quidem eſt, emblematica à naturalibus derivari; ſed, cum omnis arbor frugifera in Paradiſo fructus, vitam hominis corporalem ſuſtentantes, tulerit, uti jam obſervatum, adeoque aliquo modo naturaliter arbor vitæ fuerit: Illa κατ' ἐξοχὴν ita vocata *Arbor Vitæ* Gen. 2: 9. 3: 22. neceſſario aliquid ſublimius ſignificare, & cum vita temporali aliam adhuc, hac longe excellentiorem, obſignare debuit. Colla-

tæ ergo illæ Apocalypticæ emblematicæ cum Paradiſiaca, quid aliud promitterent, quam cum temporali vitam ſpiritualem, & poſt decurſum hujus, beatam æternam, obtinendam in Filio Dei, fonte omnis vitæ ſub utraque confœderatione, operum & gratiæ, diverſo tamen reſpectu; quod ulterius deduci poſſet, ni jam à Theologis occupatum.

§. XXV.

Datis his, quemadmodum difficulter negari poterunt, *arbor vitæ* homini lapſo ſignificat & obſignat ſanationem & vivificationem ſpiritualem in Meſſiah, Principe vitæ; & cum ſpirituali beatam vitam æternam, certo poſt fata poſſidendam. Ante lapſum autem obſignavit eandem vitam æternam, in fonte vitæ Filio Dei, poſt exactum obedientiæ curriculum, reportandam. Hebræis omnino idea *arboris vitæ* ſuggeſſit eam de *vita æterna*. *R. Levi ben Gerſom* (qui vixit Sec. XIII. & XIV.) ad illud Proverb. 9. vers. 30. פרי צדיק עץ חיים וגו׳ *fructus juſti eſt arbor vitæ &c.* ita commentatur: כי הצדיק יגיע אל החיים הנצחיים i. e. *quia juſtus pertinget ad vitam æternam.* Aperte hic Magiſter *arborem vitæ* ſymbolum facit *vitæ æternæ.* Apprime etiam convenit illud, quod legitur in *Sohar Schemoth* fol. 48. col. 191. ubi ſub ſymbolo *Paradiſi & arboris vitæ* depingitur *vita & felicitas æterna.* Ita vero habet locus: אי דן דינה דשקרא שליט עליה מלאך המות ושחיט ליה ולבתר אוקיד ליה (בגיהנם) ואי דן דין אמת קב״ח ייעל ליה לג״ע ואטעים ליה אילנא דחיי דכתיב עליה ולקח גם מעץ החיים ואכל וחי לעולם: i. e. *Si judicaverit* (Judex) *judicium falſitatis* (falſum,) *imperium habet in eum angelus mortis, & mactat* (occidit) *ipſum, & poſtea incendit ipſum* (*in Gehennah.*) *Et ſi judicaverit judicium veritatis* (rectum,) *introducit ipſum in hortum Eden, & guſtare facit ipſum de arbore vitæ. Sicuti ſcriptum eſt in hoc:*

Et

Et accipiat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Hic juſto Judici promittitur *vita æterna* ſub emblemate *guſtus arboris vitæ*, uti Apoc. 2 : 7. quem guſtum nullo modo corporalem credunt Hebræi Veteres, nec credere poſſunt, ſecundum hypotheſin & conceptum, quem habent de vita æterna, qui nobis manifeſtatur in *Sohar Schemoth*, fol. jam citato 48. col. 190. ubi de העולם הבא *de ſeculo futuro*, id eſt *vita æterna*, definitur : אין בו לא אכילה ולא שתיה ולא תשמיש המטה אלא צדיקים יושבים ועטרותיהם בראשיהם וכו' i. e. *Non eſt in illo* (ſeculo futuro) *neque cibus, neque potus, neque miniſterium lecti : Sed juſti ſedent, & corona ipſorum ſuper capita ipſorum.*

§. XXVI.

Stabilivimus hucusque Fœdus Operum ex Hebræis. Habuimus ſtipulationem Dei ; Adſtipulationem Adami ; Præmium promiſſum, vitam æternam. Plura adduci potuiſſent : Sed brevitas & aliis & nobis grata. Pauca quædam forſan ad rem facientia ſubjungemus. Quoad præmium, ſignificatum per arborem vitæ, credebant Hebræi, *ſtudium Legis & obſervationem ejus* mereri *vitam æternam.* Hoc haud dubie hauſerunt ex fœdere operum, in quod miſeri hi Juſtitiarii ſemper relapſi ſunt. Et cum inſimul crediderint, *arborem vitæ* ſignificare & obſignare *vitam æternam*, eam arborem putabant etiam ſymbolum *Legis*, ex qua habeant *vitam æternam.* Probationis cauſa unum vel duo teſtimonia afferam. *R. Levi Ben Gerſom* in Prov. 3 : 18. ubi quoque memoratur עץ חיים, ita ſcribit ; הנה התורה היא עץ חיים וכו' i. e. *Ecce Lex eſt arbor vitæ.* Hinc in *Jalkut Schimgnoni* Part. 1. fol. 7. col. 1. n. 20. Paradiſo ſuo inferiori tribuunt diſcipulos ſapientum & ſtudioſos Legis, ſedentes ſub arbore vitæ. Ita enim legimus : ויש בגן עדן פ' ריבוא מיני אילנות בכל זויותיו הקטן שבהן משובח מכל עצי בשמים,

בכל זוית יש בו ס׳ ריבוא של מלאכי השר׳ מזמרים בקול נעים ועץ החיי׳ באמצע וגופו מכסה כל ג׳ ע׳ ויש בו ת״ק אלף טעמים ואין דמותו של זה דומה לזה ואין ריחו׳ של זה דומה לשל זה וז׳ ענני כבוד למעלה הימנו ומארבע רוחות מכין אותו ורוחו הולך מסוף העולם ועד סופו ותחתיו תלמידי חכמים שמבארין את התורה וכו׳ ! i. e. *Sunt etiam in horto Eden octoginta myriades ſpecierum arborum, in omnibus angulis ejus. Minima inter ipſas præſtantior eſt omnibus arboribus aromaticis. In quovis angulo ſunt etiam ſexaginta myriades Angelorum miniſterii* (λειτουργικὰ πνεύματα Hebr. 1 : 14.) *qui ſuavi voce cantant. Et arbor vitæ in medio, cujus corpus* (rami umbriferi) *obtegit totum hortum Edenis. Edit etiam quinquies centum mille fructus ſapidos, nec ullus alteri ſimilis, uti nec exhalatio odorifera unius exhalationi alterius ſimilis eſt. Et ſeptem nubes gloriæ ſuper ipſam* (arborem vitæ) *ſunt ; & à quatuor ventis percutiunt ipſam* (i. e. agitatur,) *& exhalatio ejus it* (ſentitur) *ab uno mundi termino ad alterum. Et ſub ipſa ſunt diſcipuli ſapientum, qui explicant Legem.* En arbori vitæ junctos diſcipulos ſapientum Legem explicantes, ad innuendum, Legem per arborem ſignificari. Quid fructus ſapidi & exhalationes ſuaveolentes hujus arboris aliud ſunt, quam ſuavitas vitæ & felicitatis æternæ, qua fruuntur illi, qui Legi operam dedere, & vitam ſuam ad eam in hoc mundo compoſuere ?

§. XXVII.

Addam. Ex hoc principio, Legem per arborem vitæ ſignificatam dare vitam æternam, impetrandam per eius ſtudium & obſervationem, ſtatuebant quoque Hebræi, omnes Leges promiſſis qualibuscunque munitas fuiſſe pro Reſurrectione mortuorum & vita æterna. Locus deſumtus ex *Talmud Kidduſchin* fol. 39. f. 2. qui & legitur *Talmud Chullin* fol. 142. aſſertum probabit, & ita ſe habet : דתניא רבי יעקב

יעקב אומר אין לך כל מצוה ומצוה שכתובה בתור' שמתן
שכרה בצדה שאין תחיית המתי' תלויה בה בכבוד אב ואם
כתיב למ׳ן ואריכון ימיך ולמען ייטב לך בשילוח הקן כתיב
למען ייטב לך והארכת ימים הרי שאמ' לו אביו עלה לבירה
והבא לי גוזלו' ועלה לביר' ושלח את האם ונטל (לקח)
את הבני' ובחזירתו נפל ומת היכן טובת ימיו של זה והיכן
אריכת ימיו של זה אלא למען ייטב לך לעולם שכולו טוב
ולמען יארכון ימיך לעולם שכולו ארוך. i. e. *Ex traditione : Rabbi Jacob dicit : Nullum omnino habes præceptum ſcriptum in Lege, cui merces ſua addita, unde non dependeat Reſurrectio mortuorum. In præcepto de honorandis Patre & Matre ſcriptum eſt :* (Deut. 5 : 16.) *ut prolongentur dies Tui, & ut Tibi bene ſit. In præcepto de dimiſſione ex nido :* (ſcil. ut mater pullorum dimittatur, Deut. 22 : 17.) *ſcriptum eſt, ut bene tibi ſit & prolongare facias dies. Ecce* (fuit aliquando filius,) *cui Pater dixit : Aſcende in ſummum palatii,* (ubi aves in ollis nidificant,) *& affer mihi pullos,* (MENASSEH BEN ISRAEL de Reſurrect. mort. Libr. 1. c. X. §. 9. p. 69. vult pullos columbarum.) *Et aſcendit in ſummum palatii, & dimiſit matrem, pullos autem abſtulit. Cum vero in reditu eſſet, decidit, &* (ex lapſu) *mortuus eſt. Ubinam jam eſt felicitas dierum hujus* (filii ?) *Et ubinam eſt prolongatio dierum hujus* (filii ? ſc. in hoc ſeculo ;) *Veruntamen* (hoc ita eſt intelligendum,) *ut tibi bene ſit in ſeculo, quod totum bonum eſt,* (i. e. æternum felix.) *Et ut prolongentur dies tui in ſeculo, quod totum longum eſt,* (i. e. infinite longum & æternum.)

§. XXVIII.

Obſervare licitum ſit in tranſitu, quanta firmitate olim Hebræi crediderint vitam æternam, ut etiam promiſſa temporalia tantum (ſaltem apparenter) ad Reſurrectionem & vitam æternam extenderint. Hinc & in apprecationibus, quas unus pro ſalute & *vita temporali* tantum alterius (ſecundum apparentiam) fun-

fundebat & concipiebat, nullo modo excluſam volebant *vitam æternam.* Exemplo ſit votum Abigailis pro ſalute Davidis, 1. Sam. 25 : 29. in quo inter alia prudens uxor Nabalis, mariti ſtulti, Davidi apprecatur : והיתה נפש אדני צרורה בצרור החיים את יהוה אלהיך וגו׳ ! i. e. *Et ſit anima Domini mei ligata in faſciculo viventium coram Domino Deo tuo.* Ubi veteres Hebræi per *faſciculum viventium* intelligebant *vitam æternam.* Unde Chaldæus illud בצרור החיים παραφράζει : בגנז חיי עלמא *in faſciculo vitæ æternæ.* Cui aſſenſum præbet *R. Levi ben Gerſom* in hunc locum, quando ita : בצרור החיים הוא עולם הבא וכו׳ i. e. *in faſciculo viventium, hoc eſt ſeculum futurum.* Longe nobiliora erant meditata Hebræorum ad talia Scripturæ loca, quam ſunt plurium Chriſtianorum. Ne dicam de Socinianis & eorum ſatellitibus.

§. XXIX.

Si quis adhuc peteret probationem, Hebræos Fœdus inter Deum & Adamum intercedens crediſiſſe, ex iis locis repetere poſſet, in quibus primum hominem jamjam fœdus *circumciſionis* habuiſſe, imo circumciſum creatum fuiſſe, tradunt. Unicum hac vice ſufficere poſſit ex *Jalkuth Schimgnoni* Part. 1. fol. 5. col. 1. אדם הראשון נברא מהול וכו׳ i. e. *Adam primus creatus eſt circumciſus.* Quid Hebræi hoc aſſerto velint? divinabimus. Circumciſio Hebræis habetur fœdus excellentiſſimum inter Deum & hominem. Hinc in Tract. Talmud. *Nedarim* fol. 31. fac. 2. multis laudatur, & toties reperitur גדולה מילה *Magna eſt Circumciſio.* Ratio imprimis notabilis additur ex ore *R. Iſmaël:* ר׳ ישמעאל אומר גדולה מילה שנכרתו עליה י״ג בריתות ׃ i. e. *Rabbi Iſmael dicit, magna eſt circumciſio, quia ſuper ipſa pacta ſunt tredecim fœdera.* Rationem tredecim fœderum reddit *Rabbenu Niſſim* (Doct. Sec. XIII.) ad hunc

hunc loc. hiſce : שלש עשר׳ בריתות נכרתו עליה שלש עשרה בריתות׳ נכתבו בפרשת מילה׃ i. e. *Illud, quod tredecim fœdera pacta ſint ſuper ipſa,* (circumciſione, indigitat,) *quod tredecim fœdera ſcripta ſint in Paraſcha de circumciſione.* Quid autem homini illa tredecim fœdera circumciſionis ? *R. Bechai* indicat Eluc. in Leg. fol. 15. col. 1. ubi tredecim illis jungit tria receptionis Legis, & ſubjungit : ועמהם אנו נצולים מחרבו של הקדוש ב״ה ומו׳ i. e. *Et cum illis* (fœderibus ſive) *per illa* (fœdera) *nos liberati ſumus à gladio Sancti Benedicti.* Ergo circumciſio, ſecundum Hebræos, liberat à *gladio*, id eſt *morte*, & dat aditum ad *arborem vitæ*, conſequenter ad *vitam æternam.* Adam itaque, qua circumciſus conſideratus ab Hebræis, habitus fuit Dei fœderatus, ſigillum fœderis ſui habens *arborem vitæ*, obſignantem implenti conditionem fœderalem, in perfecta obedientia conſiſtentem, præmium propoſitum, *vitam æternam.* Hanc autem fuiſſe fidem Hebræorum etiam ex eo patet, quod Adamum lapſum conſiderent tanquam repræputiatum, qui præputium attraxerit. Ita enim legimus in *Sohar* Gen. fol. 27. col. 105. ר׳ יהודה שאיל דר׳ ש הא דתנינן אדם הראשון מושך בערלתו הוה, מאי הוא א״ל דפריש ברית קדש מאתדיה ודאי. והאי מושך בערלתו הוה ושבק ברית קדש ודבק בערלה דאתפתה במלה דנחש׃ i. e. *Rabbi Judah interrogavit Rabbi Simeonem ; Ecce traditio eſt : Adam primus fuit attrahens præputium : Quid hoc eſt ? Dicit* (reſpondit) *ipſi ;* (hoc innuit,) *quod removerit fœdus Sancti* (Dei) *è loco ſuo aperte. Et ille attrahens præputium fuit,* (id eſt) *Et reliquit fœdus Sancti* (Dei,) *& adhæſit præputio, dum perſuaderi ſibi, id eſt, ſeduci ſe paſſus eſt per verba ſerpentis.*

Et quod probe notatum velim, hæc *repræputiatio* tanquam *fœderis violatio* ab ipſis Hebræis refertur ad locum noſtrum ſupra datum Hoſ. 6 : 7. ita enim lego in *Talmud Sanhedrin* fol. 38. fac. 2. רבי יצחק אמר משך

משך בערלתו היה כתיב הכא והמה כאדם עברו ברית וכו׳ i. e. *Rabbi Iſaac dicit : Attrahens fuit* (Adam primus ex præced.) *præputium , huc ſcriptum eſt : Et ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt fœdus.* Hoc citatur in *Jalkuth Schimgnoni* in Hoſ. 6 : 7. Part. II. fol. 76. col. 3. Ed. Franc. tamen cum aliqua differentia.

§. XXX.

Appendicis loco, ni Lectori moleſti ſimus, addere placet ex Hebræis binas reſponſiones ad quæſtionem : *Quare in V. T. tam raro expreſſis verbis mentio fiat vitæ æternæ ?* Reſpondet reſpectu Librorum Moſis *R. BECHAI* in Leg. fol. 225. col. 3. hiſce: ודע כי רבי׳ י׳ מהו וישאלו למה לא נזכר ענין תחית המתים בתורה בפירוש כיון שהוא עקר גרול ופנה גדולה בתורת וכמה פרשיות התורה יאריך בהן הכתוב ויכפול אותן ואין בהן צורך כל כך ואם כן למה יקצר הכתוב בענין הזה וימסור עקר גדול לרמז מועט , ותשובת הדבר הוא הסנין שכתבתי לך פעמים כי דרך התורה לקצר בענינים הנעלמים וכל מה שהוא נעלם יותר וקצר בו הכתוב יותר ואין הדביר בו אלא ברמז ובקצרה. i. e. *Scito etiam, quod multi mirentur & quærant, quare non memoratus ſit articulus de Reſurrectione mortuorum in Lege,* (& quidem) *explicite, cum tamen magnum ſit fundamentum & capitalis* (articulus) *admodum magnus in Lege, & in multis poſitionibus Legis Scriptura ſatis ampla ſit , ac illas duplicet , quamvis in illis non tanta neceſſitas* (accuratio) *requiratur. Cum vero res ita ſe habeat, quare Scriptura brevis eſt in tali re, & tradit articulum fundamentalem magnum indicio parvo ? Reſponſio ad hoc eſt , quod tibi ſæpius ſcripſi, quod mos ſit Legi, ut brevis ſit in rebus abſconditis,* (difficilibus) *& quo quid magis abſconditum, in eo & Scriptura magis conciſa, nec ejus mentionem facit, niſi per indicium, & quidem breviſſime.* Reſpectu totius Scripturæ Veteris Teſtamenti reſpondebit , & cum ea reſponſione

ne finiet notiſſimus ille Liber COSRI, In quo p. 187. ita lego : אמר הכוזרי לא נאשר לי מקום שאלה מפני שאני רואה כל הענינים מתוקנים ומסודר׳ ואשר הייתו תופשו עליכם והוא מיעוט מה שאני רואה בתפילותיכם מזכרון העולם הבא ככר השיבותני עליו ; כי מי שהוא מתפלל להדבק באור האלה׳ בחייו עד שהוא מתפלל לראותו בעיניו ויתפלל על מדרגת הנבואה ואין קורבה לאדם אל האלהים גדולה ממנה ככר התפלל מבלי ספק על מה שהוא גדול מהעולם הבא ואם יגיע אליו יגיע אל העולם הבא ; כי מי שרבקה נפשו בענין האלהי׳ והיא טרודה במקרה הגוף ומכאוביו כל שכן שתדבק בו כשתת יחד בו ותעזוב אלה הכלים המלוכלכים; Vertit Cl. *BUXTORFIUS: Coſri ait, Non habeo quod porro quæram, quia omnia video optime eſſe ordinata & diſpoſita. Unum quod in vobis carpo eſt, quod tam paucam & parcam video vos mentionem facere ſeculi futuri* (vitæ æternæ;) *ad quod vero tu mihi quoque reſpondiſti. Nam qui orat, ut in vita ſua conjungatur cum Luce Divina, & quidem eo uſque, ut oculis ſuis eam videat; qui etiam orat pro gradu Prophetico* (aſſequendo,) *quo nullus gradus eſt propior accedendi ad Deum, is dubio procul quoque orat pro eo quod maximum eſt, vitâ ſc. æterna ; & ſi ad illum* (gradum Propheticum) *pertingat, pertinget quoque ad vitam æternam. Nam is, cujus anima adhæret Rei Divinæ, dum adhuc occupata & onerata eſt accidentibus corporis, & doloribus ejus, multo magis illi adhærebit, quando illi ſoli vacabit, & derelicturus eſt organa & membra iſta contaminata.*

ת״לח

II. JOH.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

II.

JOH. RODOLPHI RODOLPH,

Eccleſiæ Bern. d. v. Antiſtitis, atque S. S. Theol. Prof. Primarii,

DISSERTATIO *De* TEMPORE, DIE, SEPTIMANA, MENSE ET ANNO,

Ex mente & diſtributione Veterum, ad varia S. Scripturæ loca *ex doctrina temporum* illuſtranda.

SECTIO PRIMA, *De TEMPORE in genere, DIE & SEPTIMANA.*

Argumentum.

Doctrina Temporis in Theol. & Hiſt. Eccl. utilis. *Prooem.* Temporis conſideratio vel Hiſtorica eſt vel Technica. *Tempus* in genere quid ſit. Eſtque vel Aſtronomicum, vel Civile. §. I. Menſura tem-

temporis optima eſt motus ſolis. §. II. Motus ſolis eſt *diurnus*, diem naturalem conſtituens, h. e. νυχθήμερον. Hebr. ערב בקר. §. III. *Dies* vero Artificialis eſt mora ſolis ſupra Horizontem noſtrum. Varro laudatur. Judæis dies naturalis ſupputatur ab occaſu ſolis. Locus tamen Gen. 1 : 5. ab Autore aliter explicatur. Certum tamen eſt, Judæorum feſta à veſpera ad veſperam putari. Ad locum Matth. 12 : 40. tenendus Judæorum Canon : *Pars* νυχθημέρȣ *eſt ſicut totum.* §. IV. Partes νυχθημέρȣ ſunt veſper, nox, mane, meridies, inter duas veſperas, veſper. Quid ſit *inter duas veſperas* Exod. 12 : 6. Diei artificialis partes ſunt mane, meridies, & veſpera. Pſ. 55 : 18. Noctis tres ſunt Vigiliæ. Jud. 7 : 19. Sed Romanis quatuor, ſcil. ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ. §. V. Diei in horas 24. diviſio cujus ſit Antiquitatis. Et de gradibus ſolarii Achazi 2. Reg. 20 : 9, 11. Solarii uſus plus centum annis antiquior apud Hebræos, quam apud Græcos. §. VI. Diei diſtributio in ſexagenas. §. VII. Judæis hora habet 1080. helakim. §. VIII. *Hora* æqualis eſt vel inæqualis. §. IX. De Horis Canonicis. §. X. *Hebdomas* eſt ſyſtema dierum ſeptem. Uſus hebdomadis antiquiſſimus. §. XI. Hebræis ſeptimus dies feriatus eſt, Chriſtianis primus, Mohammedanis ſextus. §. XII. Dies ſeptimanæ planetis cognomines, ex quo fundamento ? §. XIII. Iſraëlitis dies ſeptimanæ primus prima ſabbathorum, ſequens ſecunda ſabbathorum audit, & ſic deinceps. §. XIV.

XIV. In Scriptura S. in uſu eſt ſeptimana dierum, & ſeptimana annorum. §. XV. Multi multa de ſeptenario. §. XVI.

****

Prooemium.

DOctrinam temporis, ſaltem Iſagogicam, cum Philologia S. conjunctiſſimam, non immerito ad προπαιδείαν & apparatum Studii Theologici requirunt, qui tyronibus de recta ejus feliciter inſtituendi ratione præcipiunt. Neceſſitatem etiam fatebuntur haud inviti, quotquot olim futuri Sacrarum Literarum interpretes non in facillimis tantum & obviis conſiſtere volunt, ſed, qua ſunt erectiori indole præditi, ad amplioris cognitionis profectum in Scripturis & Hiſtoria cum ſacra, tum Eccleſiaſtica, quatenus poſſunt debentque, contendunt. Qua etiam de cauſa iis, qui privata noſtra qualicunque opella in Philologia Hebr. hactenus utuntur, exercendis, hanc Diſſertationem deſtinamus. Interea vero, ut nemini diſcipulorum latam volumus legem addiſcendi, quæ omittere facilius, quam contemnere poſſit: Ita non moramur contemtores animos, qui vel ſuorum modo ſtudiorum cupidi, quæ non ipſi tractant, temere & ſuperciliose deſpiciunt; vel vita Vacunæ conſecrata, *profuſiſſimi in eo, cujus unius honeſta avaritia eſt*, per inertiam, *deſidioſamve occupationem*, non hæc noſtra ſolum ſacra, ſed bonas quasque literas, damno nunquam ſatis pœnitendo, negligunt.

I. TEMPUS in Genere.

§. I. *Temporis* conſideratio *Hiſtorica* eſt vel *Technica*. Hæc illi Iſagoges loco præmittenda. Conſtituimus igitur primum agere de *Tempore* in genere, ejusque deinceps pro varietate partium varia ſupputandi ratio-

ratione. *TEMPUS oritur ex comparatione durationis eorum, quæ exiſtere contingit, cum duratione motuum illorum æqudbilium, quos è terra in cœlo obſervamus.* Ut proinde tempus nihil præter modum cogitandi durationi generaliter ſumtæ ſuperaddat. Hunc unum, eumque facilem, conceptum ſi retineamus, non erit, cur de ulla naturam temporis inveſtigandi difficultate queramur. Difficilem vero eam indagationem reddit, quod tempus ut abſolutum quid in rebus ante rationem ineſſe fingitur, atque adeo, ubi inveniri nequit, inquiritur. Inde temporis in *Metaphyſicum*, *Phyſicum*, *Mathematicum*, *Aſtronomicum*, *Politicum*, nata diſtributio ſupervacanea eſt, tempore per ſe non variante, niſi quod calculi Aſtronomici minutiæ ad uſum civilem non facile attemperantur. Unde tempus aliud *Aſtronomicum*, *Civile* aliud conſtituitur: quo de ſuo loco.

§. II. Comparari durationem hujus cum duratione illius velut menſura, ut tempus deſignetur, in vulgus notum eſt. Tantum moræ huic illive negotiolo expediendo deſtinant homines è trivio loquentes, quantum poſtulat, exempli cauſa, bis ter iteranda hæc vel illa precum formula. Scitum eſt illud PLAUTINI paraſiti, ſciothericorum inventori male precantis, quod ad definienda prandendi cœnandique tempora arte, quam ventre, uti mallet: (*Fragm. Boeot.*)

Ut illum Dii perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus hic ſtatuit ſolarium.
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat ſolarium
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſumum,
Ubi iſte monebat eſſe: niſi cum nihil erat.

Nunc etiam quod eſt, non eſt, niſi ſoli lubet.
Itaque adeo jam oppletum eſt oppidum ſolariis;
Major pars populi aridi reptant fame.

Sic ex ventre ſapiunt, qui pecudis vitam vivere amant. Menſuram durationi rerum caſuumque definiendæ, univerſalem, familiarem & æquabilem, depoſcunt vita hominum, negotiorumque vitæ neceſſitas. Atque talis eſt præcipue Solis & Lunæ motus, quo quidem in mundo aſpectabili vix familiarius quicquam, univerſalius & æquabilius, Terræ incolis apparet. Ut adeo commodiſſime vicem menſuræ præbere queat. Eum etiam in uſum Deus iſthæc luminaria juſſit eſſe *in expanſo cœli*, ut eſſent nimirum *in ſigna, in tempora, in dies & annos. Gen. 1: 14.* Poſſunt quidem & alia aſtra illi ſervire uſui, tametſi modo non perinde facili: Unde annus magnus ſidereus, Saturninus, Jovialis, Martialis, apud Aſtronomos. Sed Solis præcipuus eſt uſus, quippe primus, obvius & facilis, atque ideo in rationibus aliorum motuum cœleſtium adhibendus: exempli gratia; quando Saturni periodus dicitur dierum 10747. 18, 59, &c. hoc eſt annorum Ægyptiorum 29. dierum 162. Julianorum 29. d. 155. Sic ſuperiorum Planetarum, Saturni & Jovis, per 4. trigonos, omnia Zodiaci ſigna complectentes, revolutio, octingentis fere annis abſolvenda ſemel, pro temporum menſura quadam adhiberi poteſt, ut factum videmus à Cl. D. MEGERLINO, *in tab. Math. Hiſt.* Modo ne, quæ cum octingenario quolibet coincidunt memorabilia rerum eventa, ut *raptus Enochi, diluvium, exitus Iſraelis ex Ægypto* &c. è cœli ſchemate & aſtrorum influxu ſuſpendantur, quæ damnabilis *Aſtrologiæ judiciariæ* ſuperſtitio eſt, Judæis *Præceptorum Negativ. domo 1. præc. 36.* interdicta. Hactenus ergo tempus notat durationem integræ ſolis revolutioni diurnæ ſive periodicæ, vel unius

unius integræ tot vel tot partibus aliquotis ſeu aliquantis, vel plurimum revolutionum ὁμάδι, reſpondentem. Ut qui quid diem duraſſe dicit, durationem uni ſolis revolutioni circa tellurem æquiparandam ſignificet. Cæterum tempori ſubſunt, *quæ exiſtere contingit*: Ut proinde duratio Dei, quippe immenſa, non minus abſurde tempus dici, quam tempus infinitum à redivivis Photinianis fingi queat. Ὀξύμωρον eſt, quando Scriptura S. æternitatem indicat per combinationem temporis cum re, quam tempus non fert; aut cum negatione ejus, quod temporis ratio flagitat. Sic Dan. 7: 9. עתיק יומין, *permanens diebus*, cujus dies non abeunt, ut noſtri, ſed manent. Pſal. 102: 28. *Tu idem es, & anni tui non finiuntur.* Ita generatio Filii jam pridem viventis & uncti attribuitur *huic diei*. Pſal. 2: 7. Nempe, cui poteſt omni tempore dici à Deo, *ego hodie genui te*, & quidem ita, ut nulli creaturæ ſimile quid dictum ſit, ejus æterna ex Deo generatio eſt, h. e. ſine initio & fine vitam habet in ſe propter Deum, qui vitam habet in ſe. Joh. 5: 26. Hæc de tempore in genere dicta ſufficiant.

II. DIES, ejusque diſtinctio & diviſio.

§. III. Motus ſolis unicus eſt, quippe unam duntaxat converſione ſui lineam deſcribentis: nihilominus diſtinctioris doctrinæ gratia ut duplex, *primus*, qui diurnus, & *ſecundus*, qui annuus eſt, conſiderari ſolet. De vero iſtius motus ſubjecto intempeſtiva hic eſſet quæſtio. Prout autem Solis orbita in partes variæ denominationis dividi poteſt, ſic varia etiam temporis dividendi ratio eſt. Atque hinc prima omniumque maxime obſervabilis, in Creationis hiſtoria primum etiam notata, temporis pars *Dies* eſt: mora ſcil. æqualis illi, quam trahit ſol, dum motu primo ſemel revolvitur circa tellurem. Diſtinctionis

nis gratia vocatur *naturalis.* Ejus enim pars, quæ moræ ſolis ſupra Horizontem debetur, *diei artificialis*; reſidua, ſole infra Horizontem morante, *noctis* nomine venire ſolet. *Τὸ νυχθήμερον, quod eſt ſpatium viginti quatuor horarum, Daniel eleganter vocat* ערב בקר *q. d.* ὀψιπρώϊον, *initio diei civilis ſumto Judaice ab eo tempore, quod proxime ſolis occaſum ſequitur. SCALIG. de Emend. Temp. lib. 1.* Nec tamen inde ſatis eſt cauſæ, cur hanc diei naturalis uſitatam appellationem Hebræis fuiſſe dicamus. Nec recte ABARBANEL, qui in *Majene hajeſchuah* fol. 56. 2. numerum Danielis cap. 8: 14. nec de ſeptimanis, nec de menſibus intelligendum contendit, hinc כהכרח יש לנו לפרש המספר הזה על השנים *neceſſario de annis exponendum eſſe* concludit: non quidem de annis calamitatis ab Antiocho illatæ, verum illius, in qua jam verſantur Judæi. Sed fingit ipſe Danielem dicere, quod non dicit. Nec enim habet, à veſpera ad mane eſſe 2300. ſed veſperas & matutina 2300. fore, tum juſtificatum iri Sanctum. Ponuntur adeo partes diei pro die, ſed ænigmatica alluſione, qua forte jugis ſacrificii, quod mane & veſperi offerebatur, ablatio innuitur. Alioqui יום dici pro more, quod die & nocte conſtat, arguit Gen. 1: 5. & vocis uſus.

§. IV. Idem dies, quatenus certo partium (veluti 24. horarum) numero definitur, *naturalis* eſt. Quatenus aliud atque aliud initium habet, *civilis* dicitur SCALIGERO; aliis *civilem* & *artificialem* confundentibus. Initium autem Diei ab Horizonte velut lucis tenebrarumque termino arceſſi, naturæ quam maxime congruum videtur: indidem etiam primitus arceſſitum probat hiſtoria Creationis, atque hinc nata apud Judæos conſuetudo. Secus tamen viſum Aſtronomis in Sphæra obliqua, ob alterna dierum noctiumque incrementa & decrementa, interciſa

tercisa quaſi lucis & tenebrarum viciſſitudine à circulo meridiano conſtantiori, atque adeo à meridie vel media nocte diem inchoantibus. Qui populi quem morem hac in parte ſequantur, paſſim docent Authores. MACROBIUS inter alia ex *Varrone* refert: *Athenienſes à ſolis occaſu ad ſolem iterum occidentem, omne id medium tempus, unum diem eſſe dicere. Babylonios porro aliter; à ſole enim exorto, ad exortum ejusdem incipientem, id ſpatium unius diei nomine vocare. Umbros vero unum & eundem diem eſſe dicere, à meridie ad ſequentem meridiem. Populum autem Romanum dies ſingulos annumerare à media nocte ad mediam proximam* &c. *Saturnal. lib. 1. cap. 3.* Nobis certum eſt ſectari præcipue quæ Philologiam S. propius ſpectant. Judæi diem auſpicantur ab occaſu ſolis, h. e. ab hora ſexta pomeridiana; hinc ſi contingit novilunium ante 18. horam diei, h. e. punctum meridiei, luna dicitur prima eodem die, & figitur in eo neomenia menſis. Sin conjunctio luminarium incidat poſt 18. horam diei, eo caſu neomenia transfertur in ſequentem diem. Tres enim primas quartas diei adſcribunt lunæ novæ, ultima quarta ſola facit lunam veterem. Argumentum inſtituti ſui petunt Magiſtri ex Gen. 1:5. ubi veſpera matutino præmitti videtur: *Et factus eſt veſper & factum eſt mane, dies unus.* LXX. ἡμέρα μία. (ut non neceſſe ſit לפי סרר לשון הפרשה *ſecundum uſitatam deinceps v. 8. 13.* &c. *loquendi rationem* cum R. SAL. pro אחד deſiderare vocem ראשון, & illam pro hac poſitam fingere, ob rationem, quam ille ſic futilem ex *Bereſchit Rabba* affert.) Verum verba Gen. 1:5. hunc facilem admittunt ſenſum: *Et factus eſt veſper*, abeunte luce è loco, in quo primitus extitit; *Et factum eſt mane*, redeunte ad eundem locum luce; *dies unus*: nempe cum noctis intervenientis diſcrimine. Ut adeo initium diei ſit mane, & tempus à *mane* ad *mane* appelletur dies unus, primusque dies finiatur in

mane ſecundi. Cur enim tenebras, quas Deus noctem vocavit, luce prius extitiſſe diceremus? quandoquidem tenebræ fiunt abeunte luce. Quodſi per ערב intelligamus tenebras luce creata priores, quæ חשך dicuntur v. 2. vox ערב v. 8. 13.. &c. aliud quam vers. 5. ſignificabit, quod inconveniens eſt. Nec movere nos poteſt illud HESIODI in *Theogon.*

Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο.
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο.

Ubi diem nocte ſatum, proindeque recentiorem, finxit, & *Erebum* ipſum ערב Moſis eſſe ſuſpicantur Docti. Nec curamus commentum Magiſtrorum: שהיה אור. וכא לעתו והיה לילה לישוב והלך הסדר להקדים הלילה על היום כמו שאמר וכו' *quod lux extiterit* (creata fuerit) *& illico rurſum occiderit facta nocte terræ habitabili; Indeque ordo obtinuerit, noctem præmittendi diei, ſicut dicitur:* & factus eſt veſper, &c. Gen. 1:5. *Coſri, Part. II. §. 20.* Nobiſcum facit BEDA: *Moſes autem proprium* (diem) *ita deſcripſit; & factum eſt, inquiens, veſpere & factum eſt mane, dies unus. Quem Hebræi & Chaldæi & Perſæ ſequentes, juxta primæ conditionis ordinem diei curſum à mane ad mane deducunt; umbrarum videlicet tempus luci ſupponentes. Lib. de Rat. Temp. cap. 2. & lib. de Rer. Nat. cap. 5.* BASILIUM pro eadem ſententia citatum, & nequicquam refutatum vide apud CASMAN. *Aſtrolog. Part. II. cap. 2.* Cæterum in lege placitorum feſta à veſpera ad veſperam putantur: *Lev. 23. v. 32. à veſpera ad veſperam agetis otium veſtrum.* Nihilominus etiam ſic ea veſpera, à qua init feſtum, cenſetur ejus diei, qui incepit à matutino præcedente. *Dies Kippurim eſt decimo ſeptimi menſis*, v. 27. ſed ceſſatio incipit *veſpera diei noni*, v. 32. ſic Exod. 12:18. Natura ergo noctem præcedit dies, Lege contra, propter myſterium, quod ſignificabat, Iſraelem ſub umbris

umbris exſpectaſſe lucem, in qua feſtum agitaturus erat in veritate. Non igitur demum *in Evangelio totius diei tempus à veſpere inchoari, & conſummari ſanxit* (divina Authoritas) *veſperam*, ut opinatus eſt BEDA, ne ſua forte ſententia fidem de triduo mortis Chriſti labefactare, vel ejus explicandi rationem intricare, videri poſſet. Dictum Chriſti *Matth. 12: 40.* non aliter, atque vulgo ſolent, nempe Synecdochice, initio diei Judaice ſumto, accipimus; fruſtra ſenſum Chriſtianorum vellicantibus Judæis, quando ſuffragante Scholarum conſenſu & dialecto gentis מקצת עונה כבולה *pars νυχθημέρου eſt ſicut totum*, ut ex utroque Talmude oſtendit LIGHTFOOT, *in Horis Hebr.* ad l. c. Accedit, quod exemplum Jonæ, quo typo utitur Servator, hodieque Rabbini non dubitent adferre, etſi allegorice, tanquam typum reſurrectionis mortuorum, & quidem poſt biduum futuræ, i. e. quæ tertio die ſecutura ſit; allegantes eo fine vaticinium Hoſeæ cap. 6: 2. *vivificabit nos à duobus diebus, die tertio reſuſcitabit nos.* R. MENASSE BEN ISRAEL. *de Reſurrect. mort. lib. 1. cap. 5.*

§. V. Porro quia uſus poſtulat, ut quandoque duratio integra ſolis revolutione minor ſit æſtimanda, nata eſt diei & noctis in varias partes diſtributio. In lege Hebr. ſic diviſa ſuccedunt tempora τοῦ νυχθημέρου; *Veſper, Nox, Mane, Meridies, Inter-duas-veſperas, Veſper.* Unde intelligitur locus *Exod. 12: 6. Et mactabunt illum omnis cœtus Iſraelis* בין הערבים, *inter duas veſperas.* Quæ phraſis non notat idem, quod *à veſpera ad veſperam*, ſed unius nominis inſtar tribuitur parti diei, quæ poſt meridiem ſupereſt ad veſperam, & non aliud nomen habet, ut cæteræ alioquin partes diei naturalis. Sic interpretari licet phraſin l. c. non invitis LXX. quibus eſt πρὸς ἑσπέραν, *adventante veſpera*, nec Chaldæis, ONKELO, qui בין שמשיא & JONATH.

NATH. *Ben Uz.* qui ביני שמשתא *inter ſoles*, reddit, phraſi Thalmudicis uſitata : ſignificando illud diei tempus, quod reliquum eſt inter ſolem clarum matutinum & meridianum qui abiit, ac matutinum qui veniet. Sic tempori à lege definito congruit tempus, quo Chriſtus, *Agnus Dei portans peccata mundi*, exſpiravit. Matth. 27:46. Diem *artificialem* olim in tres partes diviſum volunt Authores, *mane*, *meridiem* & *veſperam*, ex Pſalm. 55 : 18. Et deinceps in partes ſeu horas IV. hoc eſt, totidem *quadrantes*, quorum ſinguli trihorium complexi, etiam *horæ* dicerentur ; primo diei quadrante ab hora prima (velut noſtra ſexta) ad tertiam incluſ. ſe extendente, &c. argumento loci Matth. 20 : 1, 2, 3. &c. vide LEUSD. *Philolog. Hebr. Mixt. Diſſert.* 33. *§.* 4. 6. Atque hac ratione conciliari Marc. 15 : 25. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* Et Joh. 19: 14. *Erat autem paraſceve paſchatis ; hora vero quaſi ſexta.* Quanquam hic variantem lectionem è nonnullis codicib. poſt BEZAM & CAMERARIUM notarint *Oxonienſes* in nupera N. T. Gr. editione. Et *Nonnus Panop. in poetica ſua paraphraſi* habeat :

Ἕκτη δ' ἦν ἐνέπουσι προσάββατον, ἔπλετο ἠώς.
Ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη.

Quicquid vero ſit de illa diſtinctione, ea recentior videtur, & horarum uſum jam introductum ſupponit. Deinde horam, noſtro modo æſtimandam, dici ſolidum quadrantem, unde vero probatur ? Horis Matth. 20 : 1, 2. &c. memoratis diem quadripartitum videmus, ſed eædem nominibus numeralibus eo ordine, quem duodenarius requirit, exprimuntur. Tertia autem, ſexta & nona, maxime obſervari conſueverant : ſexta quidem, quia meridiana ; tertia & nona propter ſacrificium matutinum & veſpertinum.

Noctem

Noctem antiquitus diſtribuerunt in tres vigilias, *Jud. 7: 19.* Gideon dicitur veniſſe *ad extrema caſtrorum in principio vigiliæ mediæ.* Ubi R. S A L. שכן דרך בני גייסות להעמיר שומרים אלו ישמרו שליש הלילה הראשון ואלו שליש השני וכו׳ *Sic militum in exercitu mos eſt diſponere excubias, quas alii primo noctis triente, alii ſecundo, &c. agant.* Sic D. K I M C H I : היו חולקים משמרות הלילה לשלשה חלקים: *Diſtribuebant vigilias noctis tripartito.* R. E L I E S E R : קסבר שלש משמרות היו הלילה *exiſtimat 3. eſſe vigilias noctis. Bab. Berachot cap. 1. fol. 3: 1.* pag. tamen ſeq. תנו רבנן וכו׳ *docuerunt Magiſtri, 4. eſſe vigilias noctis*, &c. Non eſt, cur in iſtis diſſidiis componendis operam perdamus. Pompeji & Romanorum tempore apud Judæos quatuor vigiliæ nocti tribuebantur: Unde *Marc. 13 : 35.* notantur ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ. videantur etiam *Matth. 14: 25. Marc. 6: 48.*

§. VI. Diei in horas 24. diviſio priſcis non fuit in uſu. Unde S C A L I G E R : *Nomen hoc* שעה, *quo hodie horam deſignant, ne notum quidem illis erat; Atque apud Danielem aliud ſignificat.* Et alibi : *Omnino etiam horarum appellatio nova eſt, utpote à Græcis in nationes Orientales derivata. Lib. 1. & 7. de Emend. Temp.* Certe quidem vocabulum שעה ſignificatu *horæ* uſurpatum non legitur in Scriptura S. ante Danielis tempora, etſi haud dubie Chaldæis jam uſu receptum fuerit. Sed ſunt, qui locum Dan. 4 : 16. vel 19. *quaſi hora una*, interpretantur, *modico tempore :* quod שעה. *Chaldæis qualemcunque temporis partem ſignificet.* ut G R O T I U S ad locum. Obſervat etiam E L I A S L E V. in ſuo *Lexico Thisbi :* הרבה מלשון עדת ורגע מתורגמין שעה *ſæpe vocabulum* עת *tempus, &* רגע *momentum, in Targum vertuntur* שעה. Exempla vide apud Targumiſtas ad *Exod. 33 : 5. 2. Reg. 5 : 26.* &c. Objicis forte, quod de

de *gradibus* Achazi legitur *2. Reg. 10 : 11. Reduxit umbram illam iiſdem gradibus, quibus deſcenderat in ſolario Achazi decem gradibus.* Celeb. SPANHEM. *Introduct. ad Chronolog. S.* de hiſce hæc pauca : *Antiquior longe Horarum obſervatio apud Hebræos, quin & Babylonios, Ægyptios*, (puta, quam apud Latinos, &c.) *ſive diei in horas duodecim diſtributio. Nec docent modo loca N. T. Matth. 20 : 3. Joh. 11 : 9. Act. 2 : 15. Sed & Achazi tempore ſolaris index, & umbræ in horologio per gradus vel lineas aut cæſuras diſtinctæ, Eſaj. 38 : 8. 2. Reg. 20 : 9.* agnoſcit tamen idem, incertum eſſe, *an gradus iſti* מעלות *horæ fuerint.* JUNIUS in *notis Bibl. Gradus ἡμιωραῖυς*, inquit, *evincit denarii numeri duplicatio, qua Deus uti prophetam voluit, quum Regi Hiskijæ optionem daret.* Conſentit PISCATOR, in *gloſſis Bibl.* Horum ſententia, ſiquidem eodem die ex optione data alterutrum futurum ponatur, inde firmari poteſt, quod Hieroſolymorum Latitudine Boreali à Geographis aſſumta 31. Gr. 55. min. dies ibi longiſſimus præterpropter 14. breviſſimus 10. conſtat horis : Ex ſententia ABEN ESRÆ, cui רוחב מצרים פחות משלשים מעלות ורוחב ירושלים שלשים ושלש: *Ægypti latitudo infra 30. gr. Hieroſolymorum vero 33.* ad *Num. 13 ; 17.* dies longiſſimus ſummum habebit 14. horas cum quadrante. Quo neutro caſu fieri poterat, ut 10. gradibus, h. e. horis progrederetur, vel retrocederet umbra, etſi miraculum ipſo meridie, & in ſolſtitio æſtivo factum credatur. Sunt & alia ejusdem textus *2. Reg. 20 : 9, 10.* quæ difficiliuſcula videntur. Ut 1. quód in Hebr. præteritum eſt הלך *ivit, proceſſit*, mox ſequente futuro ישוב *revertetur.* Unde JARCHI מקרא קצר *elliptica verba* putat, ſic legenda & ſupplenda, *jam deſcendit umbra*, &c. *viſne, in loco, quem attigit, hæreat mora 10. graduum?* &c. quaſi miraculum vel mora umbræ, vel retroceſſio ejus, futurum fuerit.

Sed

Sed inſolens eſt ellipſis hæc, & לנטות ſic idem erit quod לעמד *ſtare*. 2. *Eſaj. 38: 7, 8.* Propheta ſua verba recitans ſignum reducendæ umbræ promittit, nulla optione data; & quod hic eſt הלך, ibi videtur eſſe ירדה *deſcendit*. 3. Difficile cogitatu eſt, quomodo umbra 10. gradibus, haud dubie non ſine prodigio, quippe in ſignum fidei de promiſſa convaleſcentia firmandæ, prolapſura, facile quid & leve futurum præſumſerit Hiskias, atque ideo umbram retroagi maluerit. Hinc ut ſe extricet R. LEVI Ben GERSON, umbræ declinationem non ſoli, contra locum Eſajæ, ſed nubibus ſubtercurrentibus, & ſolis radiationem à loco ſuo avertentibus, deputandam fingit. Hiſce ex difficultatibus facile nos expediremus, ſi textum Hebr. quod tamen non pertendo, ſic interpretari liceret: *Hoc tibi ſignum erit*, &c. *ivit* (*proceſſit*) *jam umbra 10. gradibus, quum* (אם *ſi, quum*, ſimiliter uſurpatur Num. 16: 30.) *revertetur decem gradibus. Dixit Hiskias, facile fuit umbræ, declinare 10. gradibus; non* (itidem facile) *ut vertatur umbra retro 10. gr.* Ut hac ratione Hiskias miraculi in umbræ reductione futuri fidem ex oppoſito diſſimili, quod ordinario naturæ curſui conſentaneum eſt, fortius aſſerat. Etſi vero huic verſioni fiderem, horis quidem noſtro ſenſu intelligendis locum fore, non tamen neceſſario inde concludi poſſe viderem. Nec etiam ad id, ut שעה *horam* veteribus uſitatam fuiſſe neges, ἡλιοτρόπια, *quibus dies per lineas & intervalla umbrarum diſtinguebatur, poſterorum inventum* dicere, cum SCALIGERO neceſſe habes; quippe non neceſſario horarum noſtrarum Author ſtatuendus eſt idem, qui heliotropii inventor fuit. *Horæ* vocem eſſe πολύσημον, vulgo conſtat, & tandem quamlibet diei partem ſignificaſſe videtur. Et ſunt, qui Veterum ſolaria 22. lineis conſtitiſſe produnt, quas σημεῖα, στοιχεῖα, σκιὰς, recentiores demum *horas*, dixere. Sciothericorum inven-

inventor primus celebratur *Anaximander*, de quo DIOG. LAERT. lib. 2. εὗρε καὶ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι, --- τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα. *Invenit etiam gnomonem primus, ſtatuitque Lacedæmone in loco captandæ umbræ idoneo, --- ſolſtitia & æquinoctia notantem.* Anaximander, ut ex Apollodoro Athenienſi idem refert, ſecundo anno Olymp. LVIII. annum egit ætatis ſexageſ. quartum, paulo poſt mortuus. Is annus eſt Iphiti 230. Per. Jul 4167. Atqui Hiskiæ Regis annus 14. quo legati Merodachi fil. BalAdan ſciſcitatum venerant de prodigio retrogradi ſolis, *2. Reg. 18: 13. 2. Chron. 32: 31.* confertur cum anno 2. Olymp. XVI. Iphiti 62. P. J. 3999. Atque adeo ſolarii uſus apud Hebræos plus centum annis antiquior, quam apud Græcos. Sciotheron quidem Moſi ab Apione adſcriptum legimus apud JOSEPH. *lib. 2. contra Apjon.* Ἀντὶ δὲ ὀβελῶν ἔστησε κίονας, (inquit, de Moſe loquens) ὑφ᾽ οἷς ἦν ἐκτύπωμα σκάφη, σκία δ᾽ ἀνδρὸς ἐπ᾽ αὐτὴν διακειμένη, ὡς ὅτι ἐν αἰθέρι τοῦτον ἀεὶ τὸν δρόμον ἡλίῳ συμπεριπολεῖ. Scaphen ſive hemiſphærium intelligit, quod Ariſtarcho Mathematico inventori tribuitur, qui idem etiam Olymp. 124. a. 4. Samiis periodum lunarem ad formam Calippicam præſcripſiſſe fertur. Sed verba Apionis ut intricata & mendoſa videntur, ſic fabulam ſapiunt. Unde JOSEPHUS: τοιαύτη μὲν τις θαυμαστὴ τοῦ γραμματικοῦ φράσις, τὸ δὲ ψεῦσμα λόγων οὐ δεόμενον, &c. Mittimus, quæ alia de origine & antiquitate horarum noſtrarum quæri poſſunt, quippe incerta & parum uſui futura. Quod Chaldæus ſemel illud במעלות *2. Reg. 20.* reddit בצורת אבן שעיא *in figura lapidis horarum*, i. e. in horologio ſolari; ut & illud מסמר שלאבן שעות *clavus ſciotherici, Miſch. Edajot. cap. 3. §. 8.* ex ſequiorum temporum praxi eſt.

§. VII. Aſtronomis propria eſt diviſio diei in ſexage-

xagenas primas, ſecundas, tertias, &c. Hac ratione uni horæ vulgari debentur ſcrupula prima 2½, h. e. 2′, 30″. Uſui vero civili accommodatior eſt diſtributio diei in horas 24. æquales, quarum ſingulis in ipſa menſura, motu nempe circulari ſolis, quindeni gradus reſpondent. Horam deinde Artifices ſecant in 60′, & harum quamlibet in 60″, ut quatuor ſexagenæ primæ horariæ unum gradum æquent. Verum quia revolutio ſolis cum illa Æquatoris exacte non convenit, ſole præter quotidianam revolutionem etiam motu proprio ſub Ecliptica paulatim progrediente, ad abſolvendum diem naturalem uni revolutioni Æquatoris quotidie pars aliqua proportionalis addenda venit, quantam ſcil. Solis ſub Ecliptica progreſſio requirit. Has partes *additamenta* vocant, eaque, etſi apparenter ſaltem inæqualia, calculo exæquant, & media maxima inter & minima aſſumunt, addentes quotidianæ revolutioni 59′, 8″, &c. quibus 3′, 56″, 32‴ horaria reſpondent. Ut proinde dies naturalis æqualis conſtet Æquatoris 360°, 59′, 8″, &c. & hora ſit temporis ſpatium, quo 15°, 2′, 27″, 50‴ Æquatoris ſupra Horizontem aſcendunt. Sed uſus civilis iſtas minutias non fert; unde iis neglectis plerumque 15. gr. Æquatoris pro hora numerantur.

§. VIII. Judæi, Samaritani &c. horam non in ſexageſimas, ſed in 1080 helakim, *particulas*, reſpondentibus 18. particulis uni minuto horario, reſolvunt. De cujus inventi antiquitate & commoditate multum gloriantur Magiſtri, tametſi longe ipſorum opinione recentius ſit, & cuidam *R. Samueli*, quem ob Aſtronomiæ peritiam ירחינאה, quaſi *Lunaticum* dicas, appellant, veriſimiliter acceptum feratur. Author *libri Ebronot*, *Intercalationum fol. 2. 1.* hæc de illo inſti-

inſtituto refert : תניא כשעלה יששכר ברקיע קבע תתרף חלקים לשעה תקם חצי שעה שס שליש עד רביעית ריו חמישית קף ששית קלה שמינית קך תשיעית קח עשירית אחד מיב צ אחד מטו עב אחד מכ נד: *Traditio eſt*, (in Baraietha, extraneis, extra Hieroſolyma ſcriptis R. Sam. Jarchinaah) *quod cum Iſaſchar ſe in firmamentum extuliſſet, 1080. particulas horæ definiverit : 540. horæ ſemiſſis eſt : 360. triens : 270. quadrans : 216. una quinta : 180. una ſexta : 135. una octava : 120. una nona : 108. una decima : 90. una duodecima : 72. una quintadecima : 54. una vigeſima.* Traditioni authoritatem quærunt ex *1. Chron. 12 : 32.* Ubi inter filios Iſaſchar dicuntur יודעי בינה לעתים, *Intelligentes prudenter diſtinguendi tempora.* D. KIMCHI : רבותינו פירשו שיודעים לעבר שנים ולקבוע חרשים: *Magiſtri noſtri exponunt, quod ſciverint intercalare annos & figere neomenias.* Ea autem de cauſa ſapientes hanc menſuram (nempe 1080, hel.) non majorem, nec minorem, merito amplexos volunt, quod nullus ſit numerus, qui illo plures admittat diviſores, uti ex traditione modo cit. patet. Horum porro helakim in ſexageſimas vulgo uſitatas, & viciſſim ſexageſimarum in illa convertendarum ratio facilis hæc eſt. Ducantur particulæ Judaicæ datæ in 60. factum dividatur per 1080. prodibunt ſcrupula prima : facta diviſione reſiduum, ſi quod ſit, denuo ducatur in 60. & dividatur, ut hactenus, prodibunt ſcrupula ſecunda, & ſic deinceps. Ex. gr. Annus Lunaris communis ſecundum Judæos colligit dies 354. hor. 8. hel. 876. quæ ducta in 60. & diviſa per 1080. dant 48. cum reſiduo 720 : quod denuo in 60. ductum & per 1080. diviſum dabit 40. Sic quantitas anni Lunaris communis erit d. 354. h. 8. 48, 40. Ita differentia Enneadecaeteridis Julianæ & Lunaris, quæ deprehenditur in æquatione anni ſolaris & lunaris juxta

juxta calculum R. Samuelis eſt 1. hor. 485. helakim, id eſt, 1. 26, 56, 40. Vice verſa reſtituuntur helakim, ſexagenis ad infimam ſpeciem deductis, ſumma per 1080. multiplicata, & producto per diviſorem infimæ ſpeciei cognominem diviſo, puta per 3600 ſi ſexagenæ ſecundæ, per 216000. ſi tertiæ fuerint, &c. Sic horæ & particulæ Judaicæ rediguntur ad diurna, ductis 1080. in 24. factum dabit diviſorem; deinceps horæ in particulas reſolutæ & cum adhærentibus particulis in ſummam collectæ per 60. quoties fuerit opus, multiplicentur, & productum per diviſorem modo inventum dividatur Ex. gr. SCALIGER ſtatuit Anni Gelalæi, vel Sultan. Perſ. quantitatem d. 365. h 5. hel. 880. h. e. 365:14, 32, 13, 20. Hæc ratio dividendi horam, Judæis quidem pro indagandis Neomeniis & Tkuphis illa Aſtronomorum vulgata facilior eſt, quia in calculo literis Alphabeti Hebr. utentes *multiplicare, niſi repetitis additionibus, & dividere, niſi ingenioſo quodam diſcurſu, neſciunt*, inquit *MUNSTERUS Calend. Hebr. p. 5.* unde quo pauciores ſegmentorum ſpecies calculus habet, eo facilius procedit. Longe tamen & hac & illa expeditior calculi ratio eſt per partes decimales, quibus uti feruntur Chatajæ Aſtronomi, diem civilem in 10000. particulas ſecantes, ſingulis ſcrupula horaria 0, 8, 38, 24. æquantibus, ut patet ducenti 24. in 60. & factum dividenti per 10000. reſiduo, quoties neceſſe fuerit, denuo per 60. multiplicato, &c. Quæ ratio etiamſi vulgo apud Aſtronomos & Chronologos hactenus non obtineat, nihilominus ut facillima Chronologiæ ſtudioſo commendari meretur. Compendioſa ſexagenas in decimales, & viciſſim, reducendi præcepta videantur apud OUGHTREDUM *Clavi Mathemat. cap. 6.*

§. IX. Porro hora *æqualis* eſt vel *inæqualis*. Illa eſt vigeſima quarta pars diei naturalis, & *ἰσημερινὸς* atque *æquinoctialis* dicitur, de qua ſupra. *Inæqualis* eſt duodecima pars diei artificialis vel noctis, quacunque anni tempeſtate; vocatur *καιρικὴ*, *temporaria & Judaica*, quippe Judæis, & aliis olim nationibus, ſi traditioni fides eſt, uſitata. vid. ABARB. ad *Eſaj.* *38:8*. Horæ autem inæquales dicuntur non ratione ejusdem, ſed diverſorum dierum & noctium, quarum horæ revera inæquales exiſtunt, longiorum longiores, breviorum breviores, pro ſolis acceſſu vel receſſu. Quæ in ſermone Chriſti Matth. 20: 3, 5, 6. commemorantur horæ Judaicæ, nempe *tertia*, *ſexta*, *nona*, *undecima*, non poſſunt accurate reduci ad noſtræ numerationis horas, die anni non annotato; proinde hora Judaica *tertia* poteſt fuiſſe nona noſtræ, etiam octava, vel decima &c. puta, prout vel circa ſolſtitium æſtivum vel hibernum, vel circa æquinoctia dies ille ſumitur; quanquam æſtus diurni mentione facta v. 12. veriſimiliter dies circa ſolſtitium æſtivum actus intelligatur. Quod ſi de die anni conſtet, data hora Judaica, quota ea ſit juxta noſtram numerandi rationem facile invenitur, ſi cognitis cum longitudine diei dati in horis noſtris æqualibus, tum hora ortus ſolis ex Globo vel Ephemeridibus, fiat ſecundum regulam proportionum, ut 12. ad datæ horæ Judaicæ numerum; Ita inventa longitudo totius diei ad alium numerum, qui dabit quæſitum: Cui ſi adjiciatur hora ortus, habebimus horam à media nocte juxta noſtram numerationem. Si numerus horum horarum duodenario major fuerit, abjectis 12. reſiduum monſtrabit horam à meridie putandam.

§. X. Aliud etiam eſt horarum genus in uſu Eccleſiaſtico, quæ dictæ inter Chriſtianos *HORÆ CANONICÆ*, ſeu tempora precibus deſtinata. Origine ab Hebræis ducta, quibus horæ precum, quæ etiam

am *horæ templi*, tres fuere. *Prima* hora precum eſt tertia Judaica : *Secunda* eſt hora ſexta : & *tertia* eſt hora nona. Praxeos veſtigia vel exempla vide Dan. 6: 11. ubi זמנין תלתה *R. Sal. & Saadia Gaon* exponunt שלש פעמים ביום שחרית וערבית ומנחה : *mane & ſub veſperam vel noctu, & tempore Minchæ* i. e. *oblationis,* quæ vel ſtatim à meridie fiebat, *Mincha magna* dicta, vel ab hora nona, *mincha parva* vocata Judæis. vid. BUXTORF. in *Lexic. Hebraic. & Synag. Judaic. cap. 10.* Act. 3: 1. ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην, hoc eſt, imminente hora. Dicitur hæc hora precum, quia ea hora offerebatur ſacrificium juge veſpertinum inter duas veſperas. Huc etiam referunt Act. 10: 9. Templo deſtructo atque ſacrificiorum uſu ſublato Phariſaica Sanctimonia preces iisdem horis fundendas ſubſtituiſſe non contenta, novas quasdam, מוספין, quaſi *auctaria* & *ſupererogationes* dicas, adinvenit, quibus eam temporis partem, quæ matutinum inter & meridiem intercurrit, diebus feſtis tanquam ex ſuperabundanti & opere ſupererogatorio, ſtulta meriti opinione tumentes, etiamnum impendunt Judæi. Sic in *Seder Tephillot*, ſylloge precum, inter alia legis מוסף לשבת *auctarium Sabbathi*, מוסף לראש חדש *auctarium Neomeniæ.* מוסף ליום כפור *diei expiationis* &c. Acceſſit תפלת נעילה *precatio obſerationis*, quam die jejunii precatione veſpertina ſuo modo defuncti ſole occiduo, portis cœli ei quaſi obſeratis, recitant. Hinc vero præpoſtera imitatione natæ *horæ canonicæ* Pontificiorum, quatuor diurnæ, *prima*, *tertia*, *ſexta*, *nona* : Et totidem nocturnæ, quibus *officium* ſuum, cujus partes, *Pſalmi*, *Cantica*, *Hymni*, *Lectiones*, *Reſponſoria*, *Antiphonæ*, *Litania*, *Capitula*, *Collectæ*, *Symbolum & Confeſſio*, peragunt. In quibus multiplex ſuperſtitio, vana proprii meriti præſumtio, cæca erga præſules Eccleſiæ obedientia, &, ut compendio dicam, irriſio

Dei, merito à noſtris reprehenditur, nequicquam in contrarium contendente BELLARMINO, qui *de horis canonicis* prolixe, ut mos eſt; *lib. 1, de bonis operib. in partic. cap. 10. & ſeq.*

III. SEPTIMANA.

§. XI. Porro cum tempore identidem labente diei, tanquam partis non adeo magnæ, continua repetitio non ingrata modo, ſed & moleſta videretur futura, majores temporis partes conſtituendæ, ſicque dies in συςήματα & ὁμάδας colligendi fuere, unde Periodi temporum natæ, *hebdomas*, *menſis*, *annus*. HEBDOMAS eſt ſyſtema dierum ſeptem civilium ab ipſo Deo diſtinctum; quando, quosque in uſus, conſulantur Theologi. Ejus in Chronologia uſus inſignis eſt, ſeptenario numero motuum cœleſtium rationibus ſapienter accommodato, uti hujus aliquid videre eſt apud MACROB. *in Somn. Scip. lib. 1. cap. 6.* Ut vel hoc ſolo argumento pateſcat, quod quærenti, cur Deus ſeptenis diebus in ὁμάδας collectis ſeptimum quemque feriatum eſſe juſſerit, non ſatis ſit reſpondiſſe, aliquem ſaltem ſeligendum fuiſſe diem, qui periodum ordiretur vel finiret, & ſi ſecus feciſſet, idem quærendi occaſionem fuiſſe futuram. Obſervatio *ſeptimanæ* apud Chaldæos, Arabes, aliosque Orientis populos dubio procul antiquiſſima eſt; Imo nuſquam non receptum ſeptimi diei periodice recurrentis uſum prædicare audet *JOSEPHUS*: *Nulla omnino urbs eſt vel Græcorum, vel Barbarorum. neque ulla gens*, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος, ἐ διαπεφοίτηκεν &c. *lib. 2. contra Apion.* Idem ex *Philone, Clemente Alexandr. Luciano*, nominibus dierum apud *Celticas Gentes*, *Philoſtrato*, *Dione Caſſio*, contendit *GROTIUS* in *annotatis ad lib. 1. de Verit. Relig. Chriſt.* & poſt ipſum *HUETIUS Demonſt. Evang. prop. IV. cap. 11.* De Græcis & Romanis id negant alii: quorum

rum illi ſuas ὀγδοάδας, hi *nundinas* quaſi novendinas, nono quoque die redeuntes, periodo dierum non litera G, ut nunc ſit, ſed H terminata, habuerint. De quibus inter alios vide polyhiſtora HOSPINIANUM *de Orig. Feſtorum*, *cap. 5.* Ad fidem *Joſephi* dictis liberandam, & authores cætera graviſſimos hac in parte conciliandos forſan hoc notaſſe ſufficit; quod ritus Judaici minimum veſtigia haud obſcura, etſi non ipſam ubique praxin obſervare ſit id; quod oſtendunt, quæ cum ex Authoribus modo laudatis, tum ex *Homero*, *Heſiodo* & aliis, eum in finem allegari ſolent. Quando vero Authores Septimanarum obſervationem ante Theodoſii tempora in Rom. Imperio receptam negant, imo Calendarium Rom. non niſi Dionyſii Exigui tempore, ſub Juſtiniano, in eas diſtingui cœpiſſe docent, vid. Cl. *SPANH. Introd.* de uſu vulgo obtinente, & in civilibus etiam, intelligendum eſt. Alioqui Chriſtianos in Rom. quoque Imperio hebdomadum periodos inde ab ævo Apoſtolorum uſque in ſacris obeundis ſervaſſe multa arguunt: Ut quod tempus ſolemne & commune Conventuum Sacrorum ipſis fuit feria 1. dies Dominica. In variis Orientis ſaltem partibus conveniſſe dicuntur etiam feria 7. ad imitationem Apoſtolorum, Judæos ea die inſtruentium, Act. 13. 16. 17. 20. capp. Convenere etiam feria 4. qua proditus Chriſtus, & 6. ſeu in paraſceve, qua cruci affixus: qui iidem dies erant *ſtationum* ſeu *orationum* & *ſemi-jejunii*, quod TERTULLIANUS vocat, nempe ad horam uſque nonam à ſolis ortu, i. e. tertiam pomerid. Conſtantinus M. Chriſtum fide amplexus, obſervationem & ſanctificationem primæ feriæ lege divulgata firmavit, addita ratione, quod ea die Chriſtus è mortuis reſurrexiſſet, *SOZOM. Hiſt. Eccl. Trip. cap. 8.*

§. XII. Alius inſuper apud alios ſeptimanæ dies ſacer eſt, & diverſa dierum nomenclatura. Hebræis

 ſepti-

ſeptimus feriatus eſt: Chriſtianis primus; ἡ μία vel πρώτη τῶν σαββάτων, & ἡ κυριακὴ, *Dominica*, in N. T. ἡμέρα ἀναστάσιμος *dies reſurrectionis*, (ſicut & πάσχα ἀναστάσιμον *Dominica reſurrectionis*, contradiſtincte ad πάσχα σαυρώσιμον, quod German. Karfreytag:) item ἡμέρα Φωτὸς *dies lucis* dictus authorib. Eccleſiaſticis; ob cauſas vulgo notas. Muhammedanis dies Veneris ſacer habetur, cum ex antiqua ſuperſtitione, qua Arabes Venerem, *Chobar* dictam, venerabantur; tum quia fuga Impoſtoris illius Muhammedis in eam diem incidit, quæ hinc מערוב συναξις dicta, ut SCALIG. *lib 2. de Emend. Temp.* Etſi Scriptores rerum Orient. fugam illam ex Mecca urbe in feriam quintam rejiciant, eamque velint eſſe characterem annorum Arabic. & initium Epochæ *Hegiræ*, ut *ALFRAGANUS* Arabs, *Elem. Chron. & Aſtronom. Cap. 1.* ſexta tamen illis ſacra eſt, propter primam lunæ phaſin tunc viſam, unde gentes iſtæ ſuas ineunt neomenias. Nomenclatura deinde dierum, quam à planetis habent, antiquiſſima eſt, nec demum tempore Ptolemæi, qui ſub Antonino Pio claruit, *dies hebdomadæ per nomina planetarum diſtincti fuere*, ut cenſet *HOSP. de Orig. Feſt. cap. 5.* Ut vel inde patet, quod *1. Thoth Nabonaſari*, i. e. prima dies primi menſis Ægyptiorum priſcorum cœpit feria 4. ſeu die Mercurii, conſentientibus Chronologis: Thoth vero Ægyptiis dici Mercurium docet *CICERO*, *Quinctus*, inquiens, *quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam Ægypto præfuiſſe, atque Ægyptiis leges & litteras tradidiſſe. Hunc Ægyptii Thoyth appellant: eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur. lib. 3. de Nat. Deorum.* Idem probatur Oraculo & verſibus Orphei, opus citat SCALIGER in *prolegom. ad Emend. Temp.*

§. XIII. Cur autem dies planetarum cognomines non ſequantur ordinem & ſitum eorundem, diem Saturni non excipiente die Jovis, ſed Solis, &c. obſerva-

ſervata harmonia διὰ τεσσάρων, nempe Gc: cf, &c. non eadem cauſa redditur vel fingitur ob omnibus. Vulgare commentum eſt, ſingulos Planetas viciſſim per horas regnare, unde *horæ planetariæ* dictæ, ut ſpatio 24. horarum ſeptem planetæ regnandi vices ter repetant, reſiduis 3. horis ſupernumerariis, quæ faciunt, ut principio diei cujusque ſequentis regnet planeta, ab illo, qui pridie prima regnaverat hora, quartus. Verum SCALIGER antiquiorem credens feriarum appellationem à planetis, quam ut ab horis, quæ ſingulæ ſuum ſibi planetam vindicant, nominatæ ſint, aliam appellationis cauſam proponit, quam ſchemate heptagoni circulo inſcripti & in ſeptem triangula iſoſcele reſoluti, planetis ſuo ordine naturali ad ſingulos peripheriæ angulos appictis, delineat, ita ut ſi à dextra baſeos incipias numerare, pergens ad verticem & inde regrediens ad ſiniſtram baſeos, planetas eodem ordine, quo in feriarum appellatione, digeſtos invenias, nempe non per ſeriem ſuam, ſed per intervalla laterum, quæ veræ ſint oppoſitiones. *Hanc veram harum appellationum rationem eſſe*, dictat incomparabilis & ſtupendæ peritiæ Vir; vellem & probaſſet. Aliam affert BEDA, quæ tanto veriſimilior, quo plus ſuperſtitionis præfert, quam vide *lib. de nat. rer. cap. 8.* Nec enim dubium, quin ſuperſtitioni Gentilium nomenclatura iſthæc ortum debeat, quam, ut multa veteris Idolomaniæ alia, nullo damno ignoramus. Judæi ab ultimo ſuo, eoque univerſali, exilio, ut nulla fere non commenta Philoſophiæ & Aſtrologiæ Græcorum in Theologiam ſuam Cabbaliſticam adoptant, licet abſurde ab Hebræis priſcis ad Græcos furtim tranſlata fingant; ita & hic ſanctæ ſimplicitatis Veterum veſtigia deſerunt, dum planetas cum totidem Zodiaci ſignis & Angelis in ſeptem hebdomadæ dies erogant. Commentum Hebraica lingua ſine verſione refert MUN-

 STE-

STERUS ad calcem Calendarii Hebr. quod latine verſum ſic habet: *Dies primus* שמזלו אריה *cujus ſignum* (Zodiac.) *eſt Leo*, *Angelus Raphael*, ומשרתו חמה *&* *miniſter Sol: aurum. Dies ſecundus; cujus ſignum* סרטן *Cancer*, *Angelus Gabriel*, *miniſter* לבנה *Luna: argentum. Dies tertius; cujus ſignum* טלה ועקרב *Aries & Scorpius*, *Angelus Samael*, *miniſter* מאדים *Mars. Dies quartus; cujus ſignum* תאומים ובתולה *Gemini & Virgo*, *Angelus Micael*, *miniſter* כוכב *Mercurius. Dies quintus; cujus ſignum* קשת ודגים *Arcuarius & Piſces*, *Angelus Tzadkiel*, *miniſter* צדק *Jupiter. Dies ſextus; cujus ſignum* שור ומאזנים *Taurus & Libra*, *Angelus Anael*, *miniſter* נוגה *Venus: æs. Dies Sabbathi*, *cujus ſignum* גדי ודלי *Capricornus & Aquarius*, *Angelus Kaphriel*, *miniſter* שבתאי *Saturnus.* Nomina quorundam metallorum adjiciuntur, ex figmentis Alcumiſtarum, qui iſta planetarum nomina iis indidere. Hæc ſunt inter גלולים *ſtercora* domus Iſraelis, tempore commiſerationis abjicienda. Nec omni prorſus ſuperſtitione caret, quod SCHILLERUS in *Cælo ſtellato Chriſtiano*, abolita iſta Gentili dierum nomenclatura, quam & nos etiamnum ore ferimus, primo die, ut recte, *Dominico* appellato, pro die Lunæ, *Spiritus S.* pro die Martis, *Beatorum omnium*; pro die Mercurii, *Eccleſiæ Catholicæ*; pro die Jovis, *Cœnæ & Corporis Domini*; pro die Veneris, *Crucis ac Paſſionis Chriſti*; pro die Saturni, *Virginis Mariæ*, audiri vellet.

§. XIV. Iſraelitis olim ſinguli Hebdomadæ dies à Sabbatho denominabantur: Ut μία σαββάτων, *prima Sabbathorum*, Matth. 28: 1. Luc. 24: 1. Joh. 20: 1. Et Phariſæus ille, *jejuno*, inquit, δὶς τοῦ σαββάτου *bis per ſeptimanam*, Luc. 18: 12. Sic in *Bab. Maccoth. cap. 1. fol. 5. 1. Dixit Rabba*, *venerunt duo*, teſtes, *dicentes; Soræ, tempore matutino* בחד בשבא *primo Sabbathi* פלוני N. N. *homi-*

homicidium commiſit. Venerunt duo, dicentes: בפניא בחד בשבא *veſperi primo Sabbathi nobiſcum fuiſtis Nahardeæ*, &c. Ita deinceps אלא בתרי בשבא *ſed ſecundo Sabbathi occidit ὁ δεῖνα* &c. Univerſæ iſtæ feriarum appellationes concurrunt in TARGUM *Eſther. cap. 2: 9.* Ubi ſeptem puellæ Eſtheræ miniſterio additæ, ſuis quæque nominibus expreſſæ, functiones ſuas per שבע יומי דשבתא *ſeptem hebdomadæ dies*, ſuo cuique die aſſignato, obiviſſe memorantur. שבת igitur in hiſce loquendi formulis idem ſignificat quod שבוע *ſeptimana. Ferias* dixere Latini Chriſtiani, authore (ut BEDA vult l. ſ. c.) Sylveſtro Papa, à diebus hebdomadis Paſchalis, à qua veteris anni Eccleſiaſtici initium ducebatur. Quia enim illius dies omnes, ut olim apud Judæos, erant feriati; imo aliquamdiu utraque ſeptimana, quæ paſcha præceſſit, *Hebdomada magna dicta*, & quæ ſecuta, *Septimana in Albis* vocata, ſolemnis & feſtiva fuit, inde obtinuit, ut reliquarum hebdomadum dies etiam *feriæ* vocarentur, præcipuo quodam principis ſeptimanæ paſchalis auſpicio & omine.

§. XV. Duplex porro SEPTIMANA in uſu Scripturæ S. eſt, *Ordinaria* ſeu *communis*, quæ etiam *diaria* dicitur, ſeptem dierum, de qua hactenus: *Extraordinaria*, quæ *annalis* ſeptem annorum, ſumto die pro anno, ut *Ezech. 4: 6.* de qua in lege Jubilæi Lev. 25: 8. & in Prophetia Dan. 9: 24. interpretibus etiam Judæis. Ibi enim *JOSEPH ABEN JECHIIA Coment in Dan.* שבעים שבעים reddit: שבעים שמיטות, *70. anni intermiſſionis*, שהם ארבע מאות ותשעים שנה, *qui conficiunt 490. annos* שמטה eſt *omiſſio*, Deut. 15: 1. 2. 9. ſeptimo quovis anno terra omittebatur & mutuum; à שמט, quod *omittere, ferri, abire, labi ſinere*, ſignificat, unde intelligitur locus *2. Sam. 6: 6.* Hinc uſitata appellatio שנת השמטה *anni Sabbathici*, apud

Chronologos. vid. *CLAVIS. Iſag. Chronolog. cap. 26.* Conſentit *ABARBANEL* in *Maijene Hajeſchuah* fol. 62. 2. השבועים האלה הם מן השנים העלים לתצ׳׳ שנה והם בלי ספק מחורבן בית א עד חורבן בית שני: *ſeptimanæ illæ ſunt annorum, colligentes 490. annos, haud dubie à vaſtatione domus* (templi) *primæ ad vaſtationem domus ſecundæ putandos: fuerunt enim 70. anni exilii Babylonici, & 420. annis duravit domus ſecunda,* &c. וכן פירשום חז׳׳ל בסדר עולם: *ſic etiam expoſuerunt eas ſapientes noſtri b. m. in Chronico Mundi.* Annus autem comparatur diei. Quemadmodum dies alter fit ſole ad nos redeunte, ita quando ſol tale tempus redorditur, poſitus in eodem Zodiaci loco, novus quaſi dies eſt, qui dicitur עת חיה *tempus redivivum vel reviviſcens,* Gen. 18: 10. 14. Ubi כעת חיה Lutherus infeliciter vertit: So ich lebe; quali verbo uti ne quidem in creatum angelum, nedum in Filium Dei, tunc locutum, congruit. Simpliciſſime & bene Piſcator: Wann es wider um diſe Zeit ſeyn wird. Expreſſiſſime vero Arabs; פי מתל הדה אלוקתי מן קאבל *in tempore huic ſimili ex oppoſito,* i. e. ſequenti anno. Quod ἐκ παρόδου pro more monemus, ut neceſſitatem probandi & examinandi verſiones Scripturæ S. ad acquirendam, quoad ejus fieri poteſt, πληροφορίαν, videant, qui alioqui ſive ſubſidiis humanis paſſim obviis & parabilibus ſecure confiſi, ſive, quod pejus eſt, ex contemtu profano, vel ignavia, Philologiæ S. ſtudia neglectui habent.

§. XVI. Mittimus, quæ multi multa de *ſeptenario* prodidere ἄδηλα, frigida, putida; vel ſuperſtitioſo Scripturæ S. in qua numeri hujus non rara mentio vel alluſio eſt, abuſu male collecta; qualia videri poſſunt v. g. de ſeptenario transgreſſionum, pœnarum in hoc mundo, manſionum in gehenna &c. apud

apud *Men. B. Iſr.* in *Niſchmat. chaiim part. I. cap. 12.* vel à Gentilibus plusquam dubiis & male cohærentibus conjecturis confićta : qualia ſunt, quæ de Septenarii ſterilitate, qui hinc virgo & Minerva Pythagoreis dićtus, commenti ſunt. De *annis* item *Climactericis*, ſeptimo quovis & nono, quos periculoſos habent, periculoſiſſimos vero, quos ſeptenarius ſeipſum vel novenarium multiplicans producit. Sic neſcio quam efficaciam in ſtatu habituque hominis immutando ætati per ſeptenos annos diſtributæ vendicant inter alia *Gnomæ Solonis*, inter fragmenta Poet. Græc. ex Philone & Clem. Alex. reſtitutæ. Plurima de ſeptenario vera, dubia, falſa, ridicula, ex M. Varrone referunt *A. GELL. Noct. Att. lib. 3. cap. 10. MACROB. lib. 1. cap. 6. in Somn. Scip.* Memorabilis vero hic cumprimis eſt *annus myſticus* HEINLINI, ex Hebdomade creationis tanquam radice exſtructus, dierum 343. qui cubus eſt ſeptenarii : *Chronolog. Myſt. §. 1.* Inventum, quod in ſpeciem tanto felicius videri poſſit, quo faciliora difficultates Chronologicas, tantum non inſuperabiles hactenus viſas, expediendi media promittit. De quo plura, ubi de menſe & anno.

* * * * *

SECTIO

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

SECTIO SECUNDA,

De

MENSE ET ANNO.

Argumentum.

Tempus aliud Aſtronomicum, aliud Civile, aliud Eccleſiaſticum. §. I. *Menſis* eſt vel Aſtronomicus, vel Civilis. Aſtronomicus eſt vel Solaris. §. II. Vel Lunaris. Eſtque vel periodicus, vel Synodicus, vel Illuminationis. §. III. Menſes Hebræorum antiqui tricenos colligunt dies ex Gen. 7. Sed in lege Moſaica Menſes ad Lunæ motum exiguntur. Quid כסה Prov. 7: 20. & Pſal. 81: 4. §. IV. An veteres Hebræi Menſes à Lunæ occultatione, vel à phaſi deduxerint? Coccejus refutatur. §. V. Annon & menſium ſolarium uſus apud Hebræos, in negotiis regiis, ex 1. Chron. 27. §. VI. Menſis Lunaris eſt vel cavus, vel plenus, vel intercalaris. §. VII. Poſterioribus Judæis menſes ſunt alternis pleni & cavi. §. VIII. Apud Hebræos menſes Lunares cum anno ſolari adſtrictos eſſe oportuit, ne feſta vagarentur. §. IX. Paſcha menſis Abib clavis totius anni. §. X. *Annus* eſt vel Aſtronomicus, vel Civilis. Aſtronomicus eſt vel Solaris, vel Lunaris. Annus Solaris eſt, cui ordinando Solis revolutio inſervit. §. XI. De Hebræorum

תקופות

תקופות ſive anni quadrantibus. §. XII. Annus Lunaris eſt vel communis 12. Lunationum, vel embolimæus. § XIII. Civilis, quo quævis gens in negotiis civilibus utitur. Præcipui ſunt Ægyptius, anno Tropico minor, & Julianus, Tropico major. §. XIV. *Julianus* eſt vel medius & æqualis, vel verus & inæqualis. Isque vel communis dierum 365. vel biſextilis d. 366. §. XV. Ejus initium in mediam ferme hyemem incidit. §. XVI. Lunaris civilis eſt vel ſolutus, 12. menſibus ſynodicis conſtans, quo Arabes & Turcæ utuntur. Ulug Beigus citatur. Nomina menſium Arabicorum. §. XVII. Methodus reducendi annos *Hegiræ* datos in Julianos. §. XVIII. Lunaris Ligatus ad Leges curſus ſolaris contemperatur. Inde varii cycli enati, Dieteris, Tetraeteris, Octaeteris, Enneadecaeteris; Periodus Calippica eſt annorum 76. ſive Enneadecaeteris quadruplicata. §. XIX. Annus priſcorum Hebræorum neque Solaris, neque Lunaris fuit, ſed dependens ab arbitrio ſynedrii. §. XX.

I. DE MENSE.

§. I.

TEmpus aliud *Aſtronomicum*, *Civile* aliud, faciunt Authores, quod nos ſuo loco ἐκ παρόδου ſubnotare, meminimus. *Illud* eſt, quod ad regulam motuum cœleſtium, quam fieri quidem poteſt, accuratiſſime expenditur. *Hoc* vero, quod quæque ſibi gens è rudi populari que motuum cœleſtium obſervatione ad uſum vitæ civilis conſtituit. HEINLINUS in *Synopſi Mathem.* addit *Tempus Eccleſiaſticum*, cu-

cujus in publico Cultus divini exercitio, ſuis temporibus ἀτάκτως dividendo, uſus eſt. Verum diſtinctionis fundamento eodem retento, non communi *generi*, ſed facta ſubdiviſione, alteri *ſpeciei* partem iſtam noviſſimam ſubjectam oportuit. Temporis porro utriusque ratio in dierum ἅμασιν, quales ſunt *Menſis* & *Annus*, ſpectatur: quorum theoriam, ut ordo fert Inſtituti noſtri Iſagogici, impræſentiarum pertractare animus eſt.

§. II. MENSIS dicitur σύστημα dierum 27. h. 7. &c. vel d. 29. h. 12. &c. vel d. 30. vel 31. pro diverſa ſive calculi Aſtronomici, ſive inſtituti popularis ratione. De menſium diſtinctione præcepta bene multa videſis apud *ALSTEDIUM Uranometr. Part. III. cap. 5.* Præcipui in re Chronologica uſus eſt *Menſis Aſtronomicus & Civilis.* Ille eſt, *quem ſolis vel lunæ motus definit*; Unde non integros modo dies, ſed dierum particulas variæ denominationis adhærentes habet. *Civilis eſt, quo gens pro ſuo quæque inſtituto utitur;* Inde & *Uſualis* dicitur, diebusque ſemper integris abſolvitur, quippe παχυμερῶς ad ſolis & lunæ decurſum conformatus. Aſtronomicus *Solaris* alius, alius *Lunaris* eſt. *Solaris, quo Sol ab Occidente in Orientem promovendo unum ſigniferi δωδεκαμόριον emetitur motu æquali*, atque adeo intervallum d. 30. h. 10. 29.′ 4.″ tametſi motu inæquali & apparente in uno Zodiaci ſigno longiorem trahat moram, quam in altero. Hinc Menſes ipſi, *DIONYSIO Mathematico* Authore, duodecim ſignis cognomines ſint: *Krion*, *Tauron*, *Didymon*, *Karkinon*, *Leonton*, *Parthenon*; *Zygon*, *Scorpion*, *Toxon*, *Ægon*, *Hydron*, *Ichtyon*. Iidem civiles fuerunt apud Ægyptios, quippe æquabiles tricenorum dierum ſinguli, adjiciendis in fine anni 5. ἐπαγομένοις. Solares civiles etiam ſunt menſes noſtrates Juliani, de quibus dicere amplius nihil attinet.

§. III.

§. III. Menſis *Lunaris* triplex eſt; *Periodicus, Synodicus* & *Illuminationis. Periodicus* eſt intervallum temporis, quo Luna ſub Ecliptica ad idem punctum, unde digreſſa fuit, revertitur. *ABEN ESRA ſuper Exod. 12:2.* ידענו כי מהלך הלבנה בגלגלה בנקודה הידועה כנגד גלגל המזלות עד שובה אל הנקודה בעצמה הם כז יום ושלישית יום בקרוב: Cum vulgo Aſtronomorum Lunæ revolutionem ad idem orbitæ ſuæ punctum ſpatio $27\frac{1}{3}$ præter propter dierum metitur. Id ipſum vero *κατὰ τὸ ἀκριβὲς* indagaſſe, vix ulli in Chronologicis uſui eſt. *Synodicus* eſt, *quo luna à ſole digreſſa, completis omnibus apparitionum ſuarum viciſſitudinibus, ad eundem revolvitur.* Atque adeo eſt intervallum temporis, quo duo novilunia ſive Synodi continuæ diſterminantur. Priori proinde hoc major hic menſis eſt, quo plus temporis ad ſolem, aliquatenus interea progreſſum, curſu ſuo aſſequendum impendit. Hujus in artificioſa & civili temporum digeſtione uſus potiſſimus eſt. Ejus de quantitate Hebræorum traditio eſt in *Sepher Ebronot* pag. 2. אין חידושה של לבנה פחות מכ״ט י״ב תשצ״ג: *Innovatio lunæ non fit infra 29. dies, 12. hor. 793. helakim;* quorum, ut Sect. I. §. 8. expoſuimus, 1080. conficiunt horam. In ſexagenis igitur d. 29. h. 12. 44′. 3″. 20‴. Pergit Author cit. ועתה הסר מחשבונך זה כ״ח לפי שהן הולכין בשביעת נמצאת יתרון לכל חדש א׳ י״ב תשצ״ג: *aufer proin ab hacce ſumma tua 28. dies, quos ſeptenarius dividendo abſumit, reſtabit exceſſus menſis* cujusque ſupra ſeptenarium, *1. d. 12. h. 793. hel.* qui character eſt menſis ſynodici, uſui conſtruendarum tabularum pro æquandis annis ſol. & lun. reſervandus: quales tabulas idem liber pag. 3. &c. exhibet. BULLIALDUS ex obſervatione duarum Eclipſium anno Nabonaſſ. 366. Thoth die 26. h. 16. 58. &

anno

anno Chriſti 1635. Mart. d. 3. h. 9. 18$'$. 5$''$. intervallum utramque inter oppoſitionem notavit dierum 736404. h. 9. 1$'$. 29$''$. qui menſes conſtant 24937. unde diviſo dierum numero per menſes colligit veram menſis Synodici quantitatem d. 29. h. 12. 44^{I}. 3^{II}. 9^{III}. 37^{IV}. 9^{V}. 59^{VI}. 15^{VII}. 15^{VIII}. *Aſtronomia Philolaica Lib. III. cap. VI.* Quod ut intelligatur, attendendum, 366$^{m.}$ annum Nabonaſſ. reſpondere 380$^{mo.}$ anno ante Chriſtum natum: & æram Chriſti vulgarem biennio augendam ex præceptis *Scaligeri.* Denique in ipſa diviſione cavendum, ne horæ & particulæ diebus adhærentes ſuo loco, quoties multiplicatio per 60. repetenda venit, negligantur. Judaica igitur determinatio temporis menſtrui excedit medium lunæ motum ſcrup. 00^{I}. 00^{II}. 10^{III}. 22^{IV}. 50^{V}. 00^{VI}. 44^{VII}. 45^{VIII}. Unde annis 1500. fere tardiora exhibet novilunia per unam horam. *Menſis* denique *Illuminationis* dicitur *ſpatium temporis à prima lunæ renaſcentis phaſi ad ultimam ejusdem ſeneſcentis phaſin decurrens*; quod quidem, luna heliace nunc citius nunc tardius oriente, variat, in calculo tamen æquinoctii verni & novilunii paſchalis veterum Judæorum inveniendi, tuto ſatis ad tempus novilunii aſſumuntur 1. dies 3. h. 30$'$. tanto quippe intervallo luna commode poſt conjunctionem apparere incipit, ſole jam infra horizontem demerſo. Id quod ea maxime de cauſa obſervatum oportet, quia à phaſi ſuas Hebræi aliique Orientales ducebant neomenias.

§. IV. Quæri ſolet, quales fuerint *Menſes* anni Hebræorum antiqui? *Uſuales* quidem, qui in Scripturis numerantur, tricenos colligunt dies. Gen. 7: 24. & 8: 3. dies 150. à decimo ſeptimo menſis ſecundi Gen. 7: 11. ad decimum ſeptimum menſis ſeptimi conficiunt quinque menſes. Sic Apoc. 11: 2. 3. & 13: 5.

13: 5. menſes quadraginta duo ſunt dies 1260. Tricenarius autem prope accedit ad menſuram temporis, quod inter duo novilunia intercedit. Lege de ſanctificandis noviluniis &c. data, neceſſe fuit accuratius menſes ad curſum lunæ exigi. *Lunares* autem fuiſſe, ſaltem in ſacris, inde ab exitu Iſraelitarum uſque, vulgo concedunt, neque nobis eſt dubium. *Fecit* namque Deus יָרֵחַ *lunam* (unde יֶרַח *menſis*) *in ſtata tempora.* Pſal. 104: 19. ubi מועדים ſunt *dies feſti* ex lunæ motu ad conventus agendos indicti, quo ſignificatu idem nomen *Gen. 1 : 14.* diſtinguitur ab אתת quod *ſigna* notat *naturalia*, quorum cauſæ ſunt aſtra. Hinc Eccl. 43 : 7. *Etiam à luna ſignum diei feſti - - - menſis de nomine illius.* Et *Num. 10 : 9. 10. Clangetis tubis - - - in ſtatis temporibus ſive ſolennitatibus veſtris & in principiis menſium veſtrorum.* Conf. *Pſal. 81 : 4. Clangite in novilunio buccina, in interlunio, die feſti noſtri.* ubi חדש ab innovatione luminis dictum novilunium, quod Syrus ריש ירחא *initium menſium.* LXX. νεομηνίαν. Rabbini תחלת חדוש הלבנה *initium innovationis lunæ*, interpretantur. Dubitatur, quid idem loci ſignificet vox כסה quæ per א ſcripta occurrit *Prov. 7: 20.* ubi MASORA ב׳ בלי׳ חד כתי׳ ה *bis extat eadem notione, ſemel per* ה ſcripta. R. SAL. exponit : לזמן המועד הקבוע *ad tempus præſtitutum.* R. LEVI, בכה *in principio anni, tunc enim Deus quaſi* על כסא *ſolio inſidet judicans orbem terrarum per juſtitiam.* ſcil. alludi putat vocem כסא *thronus.* Atqui fixum tempus loco Proverb. 7. non quadrat : nec enim amaſium invitantis adulteræ eſt, maritum dicere fixo quodam tempore, quod forte voto brevius eſſe poſſet, rediturum, quin verius affirmare, emanſurum velut ad numeniam, per menſem : neque enim de certitudine reverſuri, ſed mora emanſuri agitur. Rectius ex parallelo חדש verti videtur

detur *interlunium.* ABEN ESR. וטעם בכסה שהלבנה מתכסה בו; ab occultatione lunæ notationem vocis כסה arceſſit. Nec aliter TALMUDICI, quanquam nullo fundamento de principio ineuntis anni exaudiunt, quærentes: איזהו חג שהחדש מתכסה בו הוי אומר זה ר״ה; *quodnam eſt feſtum, quo luna occultatur? Reſponde; feſtum novi anni. Roſch haſchana fol. 16. 1.* Idem intendit TARGUM Pſ. 81:4. *Clangite* בירחא דתשרי *in menſe Tiſri buccina, in menſe* דמתכסי *qui occultatur.* Eodem ſenſu Græci ἕνην καὶ νέαν, Latini *Janam veterem novellam*, dixiſſe videntur, interlunii die & novilunii coincidente.

§. V. Indidem vero id forte conſequi dices, Hebræos non à phaſi ſuas duxiſſe neomenias. Reſp. Ut verſionem vocis כסה, optimam utique, vindicet Celeberr. COCCEJUS, *Studii*, inquit, *erat in veteri cultu, non expectare lunæ phaſin, ſed ſtatim cum lunæ occultatione feſtum celebrare.* Comment. in l. c. Atqui, quod pace tanti Viri dicam, id cum avita Judæorum, aliarumque Gentium Orientalium, conſuetudine componi poſſe non videtur. Sic etiam regula ritum in cultu publico divinitus præſcriptum obeundi plus ſatis fuiſſet incerta. Quomodo enim tuto affirmares, lunam nunc ſilentem eſſe vel occultari, neſcius interim, an alius quisquam, ex quo nondum ſciſcitatus es, lunam viderit nec ne? Contra ſi ad phaſin attendas, tutius fuerit vel uni homini fidem habere, qui rem ipſam viderit, quam mille myriadibus teſtium, qui ſe nihil vidiſſe affirmarent. Sequioris ætatis ſuperſtitio eſt, meritorum opinione tumens, להוסיף מחול על הקדש *addere de profano ad ſanctum.* Unde JUNIUS ex προνουμηνία *Judith. 8:6. librum à Judæo aliquo, ſuperſtitionum amatore, concinnatum* colligit. *Videmus enim hodie Judæos, ne diebus feſtis vitium afferant, pridie*

toto

toto tempore pomeridiano feriari : tanquam ſi Deus hoc nomine in ære ipſorum futurus eſſet. Nos quidem pro confeſſo ſumimus, quod Phariſæis pariter & Karæis receptum eſt, Neomenias ex φάσεως obſervatione indici ſolitas antiquitus, tametſi de calculi una cum φάσει admittendi ratione & authoritate, de phaſium decernendarum Authoribus & loco, de intercalandi tempore, & id genus aliis, non uſquequaque conveniat iisdem. Hic autem proceſſum; quem ſenatus in figendis menſium initiis tenuit; tantiſper deſcripſiſſe ad expediendam difficultatem mox nobis objectam uſui erit. Judices præviſo per calculum ſperandæ φάσεως die; mane contrahebantur certo in loco, ubi teſtes (delectos viros ad captandam lunæ phaſin in loca edita miſſos) expectabant antiquitus toto die : Poſtea נשתהו העדים מלבוא התקינו שלא יהו מקבלין אלא עד המנחה: *cunctantibus venire teſtibus, decreverunt; eos non opperiri niſi ad tempus uſque offerendi donarii.* משחרב בית המקדש התקין רבן יוחנן בן זכאי שיהו מקבלין עדות החדש כל היום: *Rurſus vero ex quo deſtructum eſt templum; inſtituto Johannis filii Zachai viſum fuit exſpectare & audire teſtimonium de nova luna toto die. Roſch Haſſchana cap. 4. Miſchn. 4.* Hi teſtes reverſi examinabantur; qui primi venerant bini, intromittebantur ſeorſim, primus interrogabatur : כיצד ראית את הלבנה לפני החמה או לאחר החמה לצפונה או לדרומה וגו׳: *quomodo conſpexiſti lunam, ante; an poſt ſolem? verſus ſeptentrionem, an meridiem? quanta ejus altitudo, declinatio, latitudo?* &c. Ibid. *cap. 2. Miſch. 6.* Examini ſupſerviebat tabula R. GAMALIELIS, per quam non intelligendam eſſe ψηφοφορίαν σεληνιακῶν συνόδων, ut SCALIGER vult, *de periodo Jud. Alex.* lib. 2. *Emend. Temp.* quaſi *ad eam demum confugerint, quando nubila aut imbres viſionem lunæ oculis inviderent*, patet vel obiter legenti verba *Roſth haſſchana*, cap. 2. Miſch. 8. דמות

 צורות

צורות לבנות היו לו לרבג" בטבלא ובכתל ובעליתו שבהן מראה את ההדיוטות ואומר הכזה ראית או כזה: *Habebat R. Gam. figuras phaſium lunarium depictas in menſa & pariete cœnaculi ſui, quas exhibere ſolebat Idiotis, quærens: hacne figura an illa vidiſti lunam?* Comperta apparitionis veritate ראש בית דין *præſes judicii pronunciabat, ſucclamante populo univerſo,* מקודש מקודש *ſanctificata eſt, ſanctificata eſt. Ibid. Miſch. 7.* Quomodo autem neomeniæ fixæ in vulgus publicabantur? בראשונה היו משיאין משואות משקלקלו הכותים התקינו שיהו שלוחין יוצאין: *Olim quidem faces accenderunt, ſed poſtquam morem abuſu corrupiſſent Cuthæi, decreverunt dimittere nuncios undiquaque, qui eas ſignificarent. Ibid. Miſch. 2.* In ſeq. exponitur, quomodo faces oblongis קלונסאות *perticis* cedrinis præfixas tantiſper in ſummo monte quaſſerint, donec in ſecundo monte, velut φρυκτωρίῳ idem fieret. Poſthac vero, ut dictum, nuncii dimittebantur in omnes partes, qui neomenias publicarent, idque ſenis menſibus, על ניסן מפני הפסח *in Niſan, propter paſcha.* על אב מפני התענית *Abh, propter jejunium,* על אלול מפני ראש השנה *Elul, propter anni caput.* על תשרי מפני תקנת המועדות *Tiſri, propter feſtorum ordinationem.* על כסלו מפני חנוכה *Chisleu, propter Encænia,* ועל אדר מפני הפורים *Adar, propter feſtum ſortium.* וכשהיה בית המקדש קיים יוצאים אף על אייר מפני פסח קטן *Et dum ſtetit templum, etiam dimittebantur in Ijar, propter Paſcha parvum. Roſch Haſſch. cap. 1. Miſch. 3.* Hæc priſci moris veſtigia ſunt, quanquam forte, quod fieri ſolet, inventis eorum, qui κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς ἐπαίδευον, interpolata. Iſtuc porro notandum, quod ſi lunam naſcentem videre, aut tempeſtates, aut familiaria regionum nubila, aut aliæ quævis cauſæ, impedirent, initium menſis determinatum fuerit 30. diebus poſt præcedentis neomeniæ tempus. לא הספיקו לומר מקודש עד שהשיכה הרי זה

זה מעובר. Si teſtibus examinatis *ante tenebras non potuere pronunciare Mehuddaſch*, menſis ſuperior *plenus efficiebatur*. *Roſch haſſch.* cap. 3. M. 1. *Si die trigeſimo* viſa fuerit luna, *menſis præteritus cavus*, *ſin trigeſimo primo demum*, *menſis præteritus plenus* pronuntiatus fuit. *Gloſſ. Talm. ad Roſch. haſſch. cap. 1. M. 3.* Cavos proinde & plenos menſos non ex certa quadam in ſe redeuntis ſuique ſemper ſimilis cycli ratione, ſed prout phaſis vel oculis obſervata, vel calculo præviſa, aut modus denique anni præſentis, docere poterat, conſtituebant; quo de amplius ſuo loco. Quo caſu, ut menſis, qui præterierat, fieret plenus 30. dierum, & ſanctificaretur dies à neomenia præcedente trigeſimus primus, phaſi opus non fuiſſe, contendunt Karæi adverſus Phariſæos; qui eandem quidem hactenus intercalandi rationem tenent, ſed ſanctificationis ſolennitatem, quando phaſis deſiderabatur, adhibitam fuiſſe negant. Unde ſequitur, quod luna etiamnum quaſi ſilente novilunium illud in trigeſimum primum diem incidens haud incommode כסה *interlunium* dici potuerit. Quo animadverſo difficultas ſuper verſione Pſal. 81: 4. nobis mota evaneſcit, quanquam & figura ἓν διὰ δυοῖν admiſſa dilueret eandem.

§. VI. Objicis: *2. Chron. 27: 1.* &c. Legiones ordinariæ Regi miniſtrantes pro numero 12. menſium diſtributæ leguntur: Ergo menſes fuere *ſolares*, quorum duodecim annum conficiunt. Secus enim, lunares ſi fuiſſent, propter exceſſum anni ſolaris ſupra lunarem tertius fere quisque annus, quippe embolimæus, 13. menſibus conſtitiſſet, ſaltem ſepteni intra ἐννεαδεκαετηρίδα quamlibet tales habentur à Judæis. Reſp. Si uſum civilem ab Eccleſiaſtico hoc in negotio diſtinguere luberet cum Magno SCALIGERO, menſe uſuali tricenorum dierum & anno æquabili Ægyptiorum aſſumto, illico res foret expedita. Ἐπαγόμεναι, inquit Author laudatus, *Hebræorum & תקופת*

השנה *erant perpetuo in autumno, neque ultra 30. dies epocham anni antevertebant, ac poſt 120. tantum annos menſis intercalabatur : ut merito hiſtoria prodiderit, duodecim tantum præfectos è numero menſium anni à Davide & Salomone creatos : quod annus Hebraicus in 120. annis nullum embolimum menſem haberet. Emend. Temp. lib. 3. de anno priſc. Hebr. Abrahameo.* Vellem equidem, virum longe literatiſſimum hæc ſua probaſſe. Horæ illæ ſex ſupernumerariæ, quas quartus quisque annus Julianus ad diem intercalarem colligit, 120. annis in menſem æquabilem excreſcunt, quæ haud dubie cauſa eſt, ob quam in id demum tempus emboliſmum rejiciat. Undenam vero docebit, eandem habuiſſe priſcos Hebræos anni quantitatem, tum, eouſque horaria additamenta fuiſſe reſervata ? &c. Nobis quod objicitur, tanti non videtur, ut ea propter veritatem ſemel demonſtratam deſerendam arbitremur. Menſis embolimus, ut externum quid & commodatum ſpectari debet. Hinc adeo in Calendario Jud. plerosque dies feſtos Adar prioris in Adar poſteriorem transferri videmus, quando annus eſt intercalaris : ejus ſimile quid factum fuiſſe in iſta militum diſtributione, neceſſe eſt. Cætera, ſi argumentum valeret, etiam annos Chaldæorum, tempore DIODORI SICULI, perpetuo duodenos numeraſſe menſes, parili ratione probares. Is enim *Lib. 2. Bibliothecæ Hiſt.* in hanc rem ſic ſcribit : Τῶν Θεῶν δὲ κυρίους εἶναι φασὶ δώδεκα τὸν ἀριθμὸν, ὧν ἑκάςῳ μῆνα καὶ τῶν δώδεκα λεγομένων ζωδίων ἓν προνέμουσι. Certum interim, fatente etiam Magno SCALIGERO, Chaldæos uſos fuiſſe anno lunari fixo ope Periodi Calippicæ 76. annorum, ſive cycli decemnovennalis quadruplicati.

§. VII. Menſis proinde lunaris alius חסר *cavus*; alius מלא *plenus*, vel מעובר *intercalaris* dicitur. Ille 29. hic 30. dierum eſt. Scilicet ſub exitum cujusque men-

menſis diligenter advertebatur, utrum in veſpera, quæ menſis elabentis diem vigeſimum nonum ſecuta trigeſimum inchoabat, luna radiis ſolaribus evoluta conſpiceretur, atque adeo finito interlunio ראיה *phaſis lunaris* extaret. Ubi phaſis obſervata eſſet, neomenia, ut mos erat, ſolenni acclamatione ſanctificata, cavum faciebant menſem ex diebus 29. jam elapſis, à phaſi illa proximum menſem auſpicati. Quod ſi phaſis eo tempore eſſet nulla, tunc adjecto die ſequente, h. e. trigeſimo, plenus fiebat menſis, ſeu 30. dierum, adeo quidem, ut neomenia civilis inſequens in veſpera diei trigeſimi primi collocaretur, nulla φάσεως ratione habita. Ubi tamen etiam phaſi ſolito frequentius deſiderata arbitrio ſuo utebantur qui calculo præerant, nunc cavos nunc plenos, eosque continuos vel alternos ſtatuendo, ne anni præſentis ratio turbaretur. Quo caſu etiam phaſi deſiderata cavos inſerere potuerunt, quando ex calculo aſtronomico dignoſcerent, phaſin, ni aeris caligine intercepta fuiſſet, haberi potuiſſe. Nihilominus, ſi traditioni fides eſt, menſium plenorum numerus ita coërcebatur vel rurſum laxabatur, ut nec pauciores quam quatuor, nec plures quam octo interſeri ullo in anno communi regulariter decernerent. Unde regula: אין פוחתים מארבע חדשים המעוברים בשנה ולא נראה יתר על ח׳ ; *non minuunt numerum intercalandorum infra quatuor, nec viſum adaugere eundem ſupra octo, in anno ſcil. communi. Talm. Tract. Erachin. cap. 2. miſch. 2.*

§. VIII. Poſterioris vero ævi inſtitutum eſt, ut & doctrina cyclica, quod nunc apud Judæos fere menſes ſint alternis pleni & cavi. Unde non rejiciendum videtur, quod Hebræorum doctiſſimus MAJEMONIDES habet, in *Kidduſch Chodeſch, cap. 8. §. 1. Quamdiu Synedrium fuit in terra Iſraëlis, ab eo, pro neceſſitate aliquando, alias juxta apparitionem lunæ capita* men-

menſium & annorum fixa atque conſtituta fuiſſe, at ex quo tempore id abolitum eſt, Judæos certam quandam rationem, accommodatam luminarium motui medio, certisque regulis adſtrictam ſequi. Et hoc eſt decantatum illud סוד העיבור *myſterium intercalationis*, quod Judæi הלכה למשה מסני *traditionem Moſis è monte Sinai eſſe* nequicquam jactant; Alloqui correctionem ejus tentaſſe ſumma fuiſſet temeritas in R. Adda, de quo inferius.

Ordo *menſium Hebr.* hic eſt:

תשרי Tiſri.	30.	ניסן vel אביב Niſan, vel Abibh.	30.
מרחשון Marcheſvan, v. בול Bul.	29.	איר vel זיו Jiar vel Ziv.	29.
כסלו Casleu.	30.	סיון Sivan.	30.
טבת Thebeth	29.	תמוז Tamuz.	29.
שבט Schebath.	30.	אב Abh.	30.
אדר Adar.	29.	אלול Elul.	29.

Obſerv. 1. In hac ratione Tiſri ſemper plenus eſt, Thebeth ſemper cavus; deinceps alternis pleni & cavi. Marchesvan & Casleu nunc *ambo pleni*, quando ſcil. annus ſive communis ſive embolimus eſt abundans, communis quidem ſupra 354. dies, embolimus vero ſupra 384. quo caſu dicitur שנה שחדשיה שלימי' *annus cujus menſes perfecti.* Nunc *ambo cavi ſunt*, ob rationem priori oppoſitam. Hinc annus dicitur שחדשיה חסרין *cujus menſes deficiunt.* Nunc *ille cavus, hic plenus*, quando annus eſt mediocris, diciturque is, שחדשיה כסדרן *cujus menſes ſuo ordine digeſti ſunt.* Annum communem Magiſtri ſignificant vocibus ſymbolicis חכש נדה ubi ח & ג notant annum חסירה communem deficientem habere 3. dies ſupra 350. כ & ד notant annum communem ordinarium habere 4. dies ſupra 350. &c. Idem ſervandum in ſymbolo חבש הוז de anno embolimæo ח deficiens relin-

relinquit ה 5. dies, ubi dividitur per ſeptem, &c. Ergo deficiens 383. æquabilis 384. abundans 385. dies colligit. Rationem hujus inſtituti qui doceri velit, adeat inter alios *MUNSTERUM, Calend. Hebr. p. 130. &c.*

Obſerv. 2. Aliud eſt initium ordinis menſium, aliud initium anni. Niſan eſt primus menſium, ſed ſeptimus anni, cujus initium arceſſitur à Tiſri, ut conſtat per Exod. 23 : 16. & Cap. 34 : 22. Lev. 25 : 9. Exod. 12: 2. Quemadmodum Januarius primus menſis eſt anni Juliani, ſed in ordine menſium undecimus; primus enim menſium eſt Martius.

Obſerv. 3. Cui vero, vel quibus menſibus Julianis Judaicorum quisque reſpondeat, accurate definiri nequit, ni prius æquinoctium vernale & novilunium paſchale in dato anno fixa fuerint; de quo ſuo loco. Παχυλῶς *Niſan* Martio & Aprili, *Jiar* Aprili & Majo, & ſic conſequenter reſpondere dicitur; Ratione obvia, quia illi lunares, hi ſolares ſunt. Interea de ratione componendi menſes Jud. hodiernos cum Julianis videantur *MUNSTERUS in Calend. Hebr. SCALIG. Can. Iſag. lib. 1. cap. 5. P. LANSBERG. Chronol. Sacr. lib. 1. cap. 7. &c.*

Obſerv. 4. De nominibus menſium Hebr. notat ABEN ESRA ad Exod. 12: 2. כל שמות החרשים אינם לשון קרש כי אם לשון כשרים על כן לא תמצא במקרא כתוב אחר מהם ולא בכל המקרא רק בנבואת זכריה ורניאל ועזרה ומגלת אסתר שהיו בגולה: *Chaldaica, non Hebraica eſſe, ideoque non niſi apud Zachariam, Danielem, Eſram & in volumine Eſtheræ, qui fuerunt in Exilio, uſitata reperiri.* Occurrunt tamen nomina menſium *Bul, Etanim* & *Ziv* in lib. 1. Regum. SCALIGER menſes olim non nominibus, ſed numerorum notis ſignificatos, Bul vero, Etanim & Ziv Sidonio-

rum & Tyriorum, non tantum Hebræorum fuiſſe ſuſpicatur. *De quo tamen*, inquit, *nihil certi conſtituere poſſumus. de Emend. Temp. lib. 3.*

§. IX. Menſes illos Hebr. lunares cum anno ſolari adſtrictos oportuiſſe, inde apparet, quia ſolennitates ac feſta, veluti Paſcha, Pentecoſte, Scenopegia, &c. juſtis anni naturalis temporibus, in quæ præcepto divino erogata & fixa erant, rite celebrari non potuiſſent, ſi Hebræi menſibus lunaribus uſi, nullam anni ſolaris rationem habuiſſent. Ob notiſſimum enim 11. fere dierum exceſſum anni ſolaris ſupra lunarem feſta illa ſuis mota ſedibus ſtatim retroceſſiſſent. Unde verum illud Rabbinorum: לולי הוספת החדש הזה הפסח בא פעמים בימי החמה ופעמים בימי הגשמים: *Niſi adjeceris menſem iſtum* (Adar ſecundum in anno embolimæo,) *Paſcha nunc in æſtatem, nunc in hyemem incideret.* Atqui ſane idem menſis cum eadem anni tempeſtate conveniebat ſemper. Deut. 6 : 13. *Feſtum Tabernaculorum celebrato ſeptem diebus, quam collegeris ex area tua, & ex torculari tuo.* Id vero convenit cum die decimo-quinto menſis ſeptimi, per Lev. 23 : 34. Ergo ſeptimus menſis in principium Autumni incidebat. Quod cum ita ſit, primus menſis neceſſario erat primus, חדש האביב *menſis novarum vel matureſcentium frugum*, dictus, Exod. 13 : 4. & alibi, quarum frugum manipulus quoque ex præcepto Dei offerendus erat, & coram Domino agitandus poſtridie Sabbathi circa illud tempus, nempe in Paſchate. Lev. 23 : 10. 11. Quando igitur Paſcha debuit fieri die decimo quarto primi menſis verni, conficitur, decimum quartum primi menſis incidiſſe vel *in* vel *proxime* poſt Æquinoctium. Finge enim, vel uno ſolum die Æquinoctium prævertiſſe, ergo maxima pars primi menſis verni erat hyberna novas fruges negatura. Hic etiam Judæi tempus illud feſtivum Paſcha,

ex

ex receptiſſima Majorum traditione non auſpicandum ſtatuerunt, niſi conſtaret, Æquinoctium vernum, quod illis *Tekupha Niſan* dicitur, vel ante immolationis diem, vel ſummum poſtridie eventurum. Quod ni certo futurum præſcirent, annum elabentem communem inſerto menſe, Adar ſecundo, qui Niſan imminentis, ſed ſurſum protruſi, vicem occuparet, intercalabant, ut Paſchati commodum eſſet tempus, quod æquinoctium vel ſequeretur, vel non aliter atque dictum eſt præverteret, atque adeo locus daretur præcepto: *Obſervato menſem Abib, ut celebres Paſcha Jehovæ Deo tuo. Deut. 16: 1.* Cæterum lunares menſes Hebræorum cum anno ſolari adſtrictos, ſatis diſcrte etiam docent Magiſtrorum Doctiſſimi. MAIMONIDES, citante Scaligero, - - - הרש השנה הם חרשי הלבנה: ושנים אשר אנו מחשבין הם שני החמה: *Menſes anni ſunt lunares, anni vero quos nos computamus, ſunt ſolares. Can. Iſag. lib. 3. p. m. 221. ABEN ESR.* &c. חרשינו הם ללבנה ושנותינו ישובו בסוף לשנות החמה: *Menſes noſtri ſunt lunares: Et anni noſtri tandem reducuntur ad ſolares, hinc tradiderunt Sapientes noſtri b. m. domum judicii perpetuo ſeptenos menſes in* מחזור *quovis cyclo* (decem-novennali) *feciſſe intercalares, quæ traditio Moſis eſt è Sinai: Etſi menſium initia fixerint* על פי ראיית *ſecundum phaſin lunæ. Commentar. ſuper Lev. 20. 9.*

§. X. Paſcha primum (ſecundum enim menſe אייר celebrandum, ex primi tempore pendebat:) rite collocatum clavis erat præcipua & index anni totius diſponendi, unde reliqua deinceps feſta ſuos habebant locos idoneos. Quanquam enim Judæi, ut eſt in *additamento Talm. ad Roſch. Haſſch. 10.* תקופות מונין מתשרי *quadrantes anni* (æquinoctia & ſolſtitia) *numerare ſoleant à Tiſri*, tamen מולד *noviluniorum initium arceſſunt à Niſan.* ibid. Inquirendo paſchali anno quocunque ante Chriſtum natum dato, convenienter ad hactenus dicta, ſequens ſervire poteſt methodus:

1. Annus inquirendi paſchatis detur, vel aſſignetur in Periodo Juliana.
2. Inveniatur beneficio tabularum Aſtronomicarum verum Æquinoctium vernum anni dati.
3. Hoc facto, quæratur novilunium verum, quod non præcedat Æquinoctium inventum pluribus quam 16. diebus, ob rationem de qua §. 9.
4. Tempori novilunii reperti adjiciantur 1. dies, 3. horæ, 30. ſcrupula prima, ob rationem, de qua §. 3. Si ſumma cadat poſt occaſum ſolis, & luna per calculum deprehendatur ſupra horizontem Hieroſolymitanum elevata, refractione & parallaxi non neglectis, habetur quæſitum initium primi menſis: Sin minus, id incidet in noctem proxime ſequentem.
5. Invento principio primi menſis, facile erit reperire initia reliquorum anni menſium: adhibita cautione præcedente, ut & hacce, qua monemur tempus numerare ad Meridianum Hieroſolymitanum.

II. DE ANNO.

§. XI. Maximum σύςημα dierum ANNUS eſt; isque vel *Aſtronomicus*, qui etiam *naturalis*, vel *civilis.* Aſtronomicus eſt, qui ad motum corporum cœleſtium ita putatur, ut nec horarum nec ſcrupulorum appendices negligantur. Hic annus, quia circuitus eſt ejus Periodi, cujus cognominis ipſe eſt, pro numero ſiderum errantium multiplex conſtituitur; talis eſt annus *Saturninus*, *Jovialis*, *Martialis*, *&c.* Verum enim vero præcipuus hic Solis & Lunæ uſus eſt, quippe obvius & facilis: Unde tralatitia Anni Aſtronomici in *ſolarem* & *lunarem* diſtinctio. *Solaris* eſt, cui ordinando ſolis revolutio inſervit. Quando autem revolutionis initium à ſtella quadam fixa, velut ab ortu Caniculæ, ut olim Ægyptiis; vel Vergiliarum,

ut

ut Achæis ; vel à prima ſtella Arietis, ut vulgo ; arceſſitur, annus ſolaris *Sydereus* appellatur, Juliano major 9. 26. juxta rationes Tychonis. Rurſum initio curſus ſolaris ab uno è punctis tropicis, æquinoctialibus vel ſolſtitialibus ducto, annus ſolaris *tropicus* ſeu *vertens* dicitur, qui temporis eſt ſpatium, intra quod ſol ab æquinoctio vel ſolſtitio digreſſus, omnemque Zodiaci longitudinem emenſus ad idem cœli punctum revertitur. Cæterum æquinoctia haud minus atque ſolſtitia τροπὰς appellari teſtantur loca ex Sexto Empirico & aliis citata *PETAVIO*, *Ration. Temp. Part. 2. lib. 1. cap. 1.* De anni tropici quantitate non uſquequaque convenit inter artifices.

§. XII. Judæi ex quo annis lunaribus per emboliſmos ad ſolares beneficio doctrinæ Cyclicæ reducendis, & menſibus alternatim plenis cavisque uti cœperunt, anni ſolaris modum ex quatuor ejus quadrantibus, quos תקופות, Græci κέντρα, dicunt, determinare ſolent. Hinc illud Talmudicum; אין תקופה לתקופה אלא תשעים ואחד יום ושבע שעות ומחצה: *anni quadrans à quadrante non diſtat niſi d. 91. h. 7½. Maſſek. Erubhin fol. 56. 2.* Ubi Gloſſator : ימי התקופה כך הם צ״א יום ו״ז שעות ומחצה שהן רביע של שסה ורביע: *dies quadrantis cujusque ſunt 91. cum horis ſeptem & ſemiſſe, quæ eſt pars quarta ſummæ 365¼. dierum.* Hunc autem anni modum ſequuntur vulgatæ rationes R. SAMUELIS in conciliatione anni ſolaris & lunaris per cyclum decemnovennalem. Verum quia Enneadecaeteris lunæ minor eſt una Enneadecaeteride ſolis hora 1. particulis 485. quod diſcrimen progreſſu temporis inobſervatum rationes noviluniorum haud parum turbare poteſt, Rabbi ADDA, Vir ſeculo ſuo Judæorum Doctiſſimus, ex Hipparchi arte, alium anni modum definivit, quo adhibito juſtior Enneadecaeteridis utriusque exæquatio fieret; quo de tantiſper magnum

gnum audiamus SCALIGERUM : *Differentia utriusque Enneadecaeteridis hor. 1. 485. nona decima portio differentiæ ſcrup. 82. momenta Enneadecaeterica 7. vel quod idem eſt $\frac{28}{76}$, quæ detracta de quantitate anni Juliani relinquunt modum anni* προεμπτώσεως ἐννεαδεκαετηρικῆς *dierum 365. hor. 5. ſcrupulorum Chald. 997. momentorum 48. quæ ſunt ſexageſimæ horariæ* $55'.\ 23''.\ 20'''.\ \frac{7}{19}$. Quæ ut oculis oggerantur, de 1. hora fiant 1080. helakim, quibus adjiciantur 485. ſummam 1565. dividat numerus cycli 19. quotus erit $82\frac{7}{19}$. vel, quod periodus Calippica poſtulat, quadruplicando, $\frac{28}{76}$. Id ut de quantitate anni Juliani auferas, horarum ſupernumerariarum ſextam reducito ad helakim; ut de 365. d. 6. horis fiant 365. d. 5. h. 1080. hel. à quibus ubi detraxeris 82. reſtabunt 998. Ut porro etiam momenta 28. ſubtrahas, pro 998. hel. ſubſtituito 997. hel. 76. mom. unde deductis 28. relinquentur 48. Vel ſi pro momento placuerit aſſumi 19. hinc detractis 7. reſtabunt 12. Unde intelligis EPISCOPIUM, quando, *ad hanc æqualitatem omnimode faciendam*, inquit, *obſervandum eſt, anno ſolari datos eſſe & dandos 365. dies, 5. hor. 997. minuta & 12. ſecundas Inſtitut. Theol. lib. 3. ſect. 2. cap. 7.* Hæc quidem Calendario Judæorum novitio intelligendo conducunt; attamen pro æquinoctiis dato quovis anno Veterum indagandis tutius fuerit quantitatem anni mediam aſſumi inter illam Alphonſi $365.\ 5.\ 49'.\ 16''.$ & iſtam Tychonis $365.\ 5.\ 48'.\ 45''.$ quod in decimalibus factu facillimum eſt & expeditum: quandoquidem & Hipparchici anni quantitas juſto major, ut ſuo loco probatum dabimus.

§. XIII. *Annus lunaris* eſt, quem lunæ revolutiones metiuntur. Diſtingui ſolet in *comunem & embolimaeum:* Sed hic civilis uſus eſt; & ea propter in locum ſuum reſervandus. *Lunaris* autem communis dictus eſt σύστημα duodecim lunationum. De ejus quantitate ſonat

nat traditio Judæorum ; quam exhibet liber *Ebronot. fol. 2. 1.* וקימא לן שנת הלבנה שאנו חושבין ממנו קביעות הוא יב״ חדשים וכו״ *Illud nobis certum ; annum lunarem, ex quo vices temporum figere ſolemus, 12. eſſe menſium. Reſume duodecies 29. d. 12. h. 793. hel. quæ conficiunt menſem, iisque in ſummam conflatis reperies ſpatium anni lunaris 354. d. 8. h. 876. hel. Rejice à calculo tuo 350. quos ſeptenarius dividendo abſumit, relinquentur tibi 4. d. 8. h. 876. hel.* דהיינו יתרון משנה פשוטה *quæ ſunt reſiduum* (Character Chronologis) *anni communis, cui in* שנה מעוברת *anno embolimæo adjicies 1. d. 12. h. 793. hel.* (Characterem Menſis) *& invenies aggregatum 5. d. 21. h. 589. hel.* שהוא יתרון מי״ג חדשים דהיינו שנה מעוברת *qui eſt exceſſus 13. menſium, qui conflant annum intercalarem.* Exceſſus iſte in uſum conſtruendarum tabularum æquationis ſeponitur. Anni igitur lunaris Judaici modus in ſexagenis eſt 354. 8. 48. 40. Si ex præceptis *Bullialdi* ſupra §. 3. Menſem Synodicum in duodenarium ducas, erit anni lunaris quantitas 354. 8.48.37.55.25.59.51.03. Et epactæ ex anni Juliani ſupra lunarem exceſſu 10. 21. 11. 22. 04. 34. 00. 08. 57. Ex Judaico calculo 10. 21. 11, 20.

§. XIV. Annus ex revolutionibus ſive ſolis, ſive lunæ, æſtimatus, *civilis* ille eſt, quo Gentes pro ſuo quæque inſtituto in negotiis civilibus & Eccleſiaſticis expediundis utuntur, luminarium motu his magis, minus illis, attente ad calculum revocato. Optimus ergo eſt, qui ab Aſtronomico proxime abeſt. *Civiles ſolares* uſu præcipui ſunt, alter quidem, tropico minor, *Ægyptius* : Alter, eodem major ; *Julianus* ; quorum θεωρίαν aliquam inſtituti noſtri ratio efflagitat. *Annus Ægyptius* duodecim menſes tricenorum dierum colligit, addendis in fine Meſori, menſis noviſſimi,

viſſimi, quinque diebus ἐπαγομέναις: unde annus integer dierum 365. ſine ullo biſextili. Ad ſolarem igitur accedit, appendice horarum neglecta, *æquabilis* inde dictus. Quo ipſo fit, ut quarto quoque anno vertente primus anni dies, *Thot* appellatus, uno die prævertat auſpicia anni Juliani, iſque dies totum annum retrogrado ordine pervagatus non niſi annis 1461. priſtinam ad Epocham redeat. Exempli cauſa: anno præſente Æræ Chriſt. 1688. initium ducat annus Ægyptius à Calendis Januariis: anno 1692. ordietur pridie Calendarum Januar. i. e. 31. Decembr. & ſic deinceps, donec elapſis 1460. annis denuo à Calendis Jan. ineat. Hacce anni forma Ægyptii ad cladem usque Antonii & Cleopatræ, proinde ad annum ante Chriſtum circiter 29. utebantur; poſtea vero ſub jugum Roman. miſſi victoris legem accipere jubebantur. Eodem anni genere celebratiſſima eſt Epocha Nabonaſſaris, quam à Chaldæis traditam uſu fecere ſuam Ægyptii. Datum vero annum Ægyptium æræ Nabon. ad annum periodi Jul. revocandi methodum brevem, vide apud *PETAV. Rat. Temp. Part. 2. lib. 1. cap. 12. can. 3.*

§. XV. Annus ſolaris *Julianus* vel *medius* & *æqualis*, vel *verus* & *inæqualis* eſt. Ille conſtat diebus $365\frac{1}{4}$ ſive ſex horis: qualis uſu communi receptus non eſt. *Verus* & *inæqualis* vel *communis* eſt 365. dierum; Vel *biſextilis* 366. dierum: tales ſunt omnes anni Chriſti quaternario dividui, juxta tritum illud:

Tunc Biſextus erit, partes per quatuor æquas
Annos partiri cum poteris Domini.

Horæ igitur 6. differuntur, dum collectæ diem conflent, qui quarto cuique anno accedens *biſextilis* vocatur, quia de iſto ante VI. Calend. Martias inſerto, *bis ſexto Calend. Mart.* dixere, biduum pro uno die numeran-

merantes. Quo ſenſu CELSUS l. 98. *Cum biſextum ff. de verborum ſignif. Cum biſextum Calendis eſt, nihil refert, utrum priore an poſteriore die quis natus ſit: deinceps ſextus Calendas ejus natalis dies eſt. Nam id biduum pro uno die habetur,* JULIANUS cognominatur, quia C. *Julius Cæſar* annum hunc opera Soſigenis Mathematici in civilem modum & menſes deſcripſit, inque uſum Romani orbis communem tranſtulit, quo de nervoſa, ut ſolet, brevitate FLORUS: *Itaque non ingratis,* inquit, *civibus omnes unum in principem congeſti honores; circa templa imagines, in theatro diſtincta radiis corona, ſuggeſtus in curia, faſtigium in domo, menſis in cœlo; ad hoc Pater ipſe patriæ perpetuusque Dictator,* &c. *Lib. 4. cap. 2.* Hac anni forma perinde atque perpetuo canone & accurata temporum norma utuntur Chronologi, nec immerito: *Eſt enim* (fatente ipſo PETAVIO, acerrimo illo Gregorianæ factionis vindice,) *illius deſcriptio cum ad uſum expedita, tum rerum naturæ conſentanea; ſiquidem ſolis converſionem quam fieri poteſt proxime conſequitur, & ad commendandam temporum memoriam eſt aptiſſima. Quo fit, ut Chronicorum & Annalium Scriptores eam anni formam adhibeant non iis modo rebus explicandis, quæ poſteriores illius inſtitutione ſunt, ſed antiquioribus etiam, & ab ipſo adeo orbis initio: quamvis alia tum anni forma, imo aliæ apud alias nationes exiſterent. Ration. Temp. part. 2. lib. 1. cap. 1.*

§. XVI. Anni Jul. initium in mediam ferme hyemem incidit, eo quod ſolſtitium hybernum, atque novilunium, quod neglectum fuiſſe veriſimile non eſt, olim cum hic annus conſtitueretur, haud procul à Calendis Januar. capite anni noſtri, abfuit: quod tamen poſtea anni quantitate juſto majore aſſumta aliquot diebus anticipavit. Qua ipſa etiam ex cauſa natus eſt annus *Juliano-Gregorianus.* Cujus ea eſt ratio; quandoquidem Julianus Tropicum ſuperat ſcrupulis horariis 11. ut adeo annis propemo-

dum 131. integro die tropici anni caput Julianum antevertat, factum inde, ut æquinoctium vernum, quod ſeculo Nicæno, hoc eſt, poſt annum Chriſti 300. intra diem 20. & 21. Martii contigerat, elapſis annis fere 1300. deprehenderetur incidere in dies Martii 10. & 11. iſti enim cardines propter biſextilem ultro citroque quaſi fluctuant & biduum occupant. Quare anno Chriſti 1582. *Gregorius XIII. P. R.* diebus 10. diſpunctis, ſicque pro numerando V. Octobris numerato die XV. æquinoctium ad priſtinam ſedem, nempe 21. Martii, cui decreto Concilii Nic. affixum fuerat, retrahi, & ne retenta eadem etiamnum anni Jul. quantitate lapſu ſeculorum denuo ſede ſua moveretur, caveri juſſit, proviſo, ut ſingulis annorum centuriis vertentibus dies biſextilis unus intermitteretur, quarta duntaxat excepta centuria, quæ biſextilem pro more retinet, adeoque quadringentis añis non niſi tres biſextiles perimerentur, quandoquidem non intra centenos quosque, ſed poſt 131. demum annos dies circiter unus accreſcit anno Jul. quo tropicum excedit. Unde 393. annorum ſpatio triduum exoritur, quod facilitatis gratia per centurias diſpenſatur. Hac de cauſa qui ſtylo Gregoriano utuntur, 10. diebus nos * antecedunt, anno Epochæ Chriſtianæ 1700. undecim, anno 1800. duodecim &c. diebus nos anteceſſuri.

§. XVII. Annus Civilis Lunaris vel *Solutus* eſt vel *Ligatus*. *Solutus*, qui & *ſimplex* dicitur, cum anno ſolari non implicatur, ſed legibus curſus ſolaris ſolutus ex 12. menſibus Synodicis conflatur, qui in anno communi alternis pleni & cavi 354. in anno emboli-

* An. 1688. quo hæc ſcripta fuit Diſſertatio, Proteſtantes adhuc Calendario *Juliano* uſos, Novum vero, ſeu *Leopoldinum*, quod cum *Gregoriano* fere coincidit, ineunte præſente Seculo pleroſque recepiſſe, conſtat. J. J. H.

bolimæo acceſſione diei intercalaris 355. dies colligunt. Tali anno utuntur Arabes, Turcæ, & alii Orientales, ea intercalationis ratione. ALFRAGANUS anno Arabico 354. d. cum $\frac{1}{5}$ & $\frac{1}{6}$ diei tribuit, *Element. Chron. & Aſtron. cap. 1.* hoc eſt, ut Hebræus ejus Interpres habet 354. 8. 864. hel. Conſequenter menſis Arabicus conſtabit 29. 12. 792. hel. ſive 44. ſexagenis primis, quæ annorum 30. ſpatio undecim dies conficiunt. Hinc *Turcis* aliisque uſitata periodus, 30. annorum, in qua undecim anni ὑπερήμεροι abundantes 355. reliqui novendecim communes 354. dierum ſunt. Illos autem abundantes quia SCALIGER ejusque aſſeclæ & alii, aliter atque Orientales ipſi, enumerant, juvabit hic audiri VLUGBEIGUM, qui duobus abhinc retro ſeculis & quod excurrit, Princeps Indiæ citra extraque Gangem floruit. Is, interprete *Joh. Gravio*, gentis ſuæ morem hac in parte ſic explicat, *Diſſert. de cognitione Epochæ Hegyræ cap. 1. Initium hujus Epochæ* (Hegyræ) *eſt principium Moharram illius anni, in quo Propheta noſter Mohammedes Moſtafa, cui benedictio & pax ſit, à Mecca ad Medinam migrabat: & illud ſecundum medium calculum eſt feria quinta, ſed ſecundum phaſim lunæ, dies Veneris. Nos autem feriam quintam accipimus. Mohammedani menſes hujus Epochæ à phaſi novilunii ad phaſim ſequentis novilunii numerant; atque hoc intervallum nunquam triginta dies excedet, neque minus erit novem & viginti: ita ut quatuor menſes alternatim conſequentes triginta dierum ſint, & tres vigintì novem, ſine ullo utrinque exceſſu. E duodecim mènſibus annum conſtituunt. Anni itaque & menſes, ſecundum eorum uſum, ſunt lunares veri. Aſtronomis Moharram triginta eſt dierum, & Sephar undetriginta: & ſimiliter menſium unus triginta dierum, & alius undetriginta, uſque ad finem anni. Singulis autem annis tricenis menſem dulheggiah undecies conſtituunt triginta dierum. Atque hoc fit anno* 2. 5. 7. 10. 13. 15. 18. 21. 24. 26. & 29. *Hi undecim*

cim ſunt embolimæi & vocibus בהז יגהח ארוט *comprehenduntur.* Voces iſtas memoriales, cum deſint characteres Arabici, numeris ſic exprimimus, & ſubſtitutis aliis à dextra verſus ſiniſtram procedendo explicamus:

9. 6. 4. 1. 8. 5. 3. 10. 7. 5. 2.

id eſt, 29. 26. 24. 21. 18. 15. 13. 10. 7. 5. 2.

Alii tamen Orientales, monente eodem Authore, loco decimi quinti conſtituunt decimum ſextum embolimæum, quod etiam Petavio, Ricciolio, aliisque ſequi tutius & expeditius viſum. Diviſo igitur numero alicujus anni Hegyræ per tricenarium ſi reſtet ſupra dictorum undecim aliquis, annum illum embolimæum tuto pronunciare licet. Sunt autem menſes Arab. ſeq.

		dies expanſi.	dies collecti.
1	Moharram	30	30
2	Sephar	29	59
3	Rabia prior	30	89
4	Rabia poſter.	29	118
5	Gjumada prior	30	148
6	Gjumada poſt.	29	177
7	Ragiab	30	207
8	Schaban	29	236
9	Ramadam	30	266
10	Shavval	29	295
11	Dulkaada	30	325
12	Dulheggia	29	354
	Dulheggia in anno Embolimæo	30	355

§. XVIII.

§. XVIII. Non intempeſtivum fuerit heic proponi methodum reducendi annos Hegyræ datos in Julianos, quam & vulgata illa per tabulas Chronolog. ſupputandi ratione expeditiorem, & illa populari, quam Celeb. *SPANHEMIUS Introduct. ad Chronol. S. p. 89.* commendat, accuratiorem, ſed è dictis facile intelligendam, mecum olim communicavit Cl. TANAQ. FABER *fil.* Mathematum cultor ſolertiſſimus, quem merito ſuo inter Amicos maximi facio. Præcepta methodi hæc ſunt, quæ etiam in gratiam Studioſorum rei Chronolog. breviſſime explico.

1. Anni Hegyræ completi ducantur in dies $354\frac{11}{30}$. ſeponendo tantiſper producto, quod, ſi præter dies integros habuerit fractionem majorem, quam $\frac{15}{30}$, unitate augeatur. Ratio præcepti eſt obvia ex eo, quod ſupra de 44. ſexagenis inter 30. annos ad 11. dies excreſcentibus dictum. Quod diei ſemiſſem excedit, pro integro die venit.

2. Menſes completi multiplicentur per 29. dies 12. hor. id eſt $29\frac{1}{2}$. producto iterum ſeponendo, quod, ſi præter dies integros occurrat $\frac{1}{2}$. neglecta fractione augeatur unitate.

3. Producta hæc in unam conjiciantur ſummam, adjectis diebus menſis labentis, ſi qui ſint, & radice dierum 227016. ut habeas inventum tertium, nempe dies æræ Chriſti Dionyſianæ. Hoc præceptum ut intelligatur, notandum: Epocham Hegyræ incidere in annum Chriſti 622 Jul. 16. feriam 6. qui conficiunt dies 227016. multiplicatis 621. annis completis per $365\frac{1}{4}$. & additis diebus anni labentis 196.

4. Inventum hocce tertium, dividatur per 1461. quæ eſt quantitas 4. annorum Julian. ſcilicet trium communium & unius biſextilis. Quotus multiplicetur per 4. ut habeatur inventum quartum. Ratio præ-

cepti eſt, quia quartus quisque annus Julianus eſt biſextilis dierum 366. Proinde ſi inventum tertium divideretur per quantitatem unius tantum anni Jul. commuhis vel biſextilis, quotus juſto minor vel major foret, ut patet attendenti. Idem tamen quotus per 4 multiplicandus eſt, quia absque biſextili, inventum tertium per 365. quantitatem unius anni Jul. dividendum eſſet. Hiſce peractis, ubi facta diviſione reſtabunt dies plures quam 355. aut 730. aut denique 1095. deductis à reſiduo diebus 365. aut 730. aut 1095. inventum quartum augeatur unitate, vel ternario: Sicque prodibunt anni Æræ Chriſti vulgaris reſpondentes annis Hegyræ datis.

5. Ut denique etiam feria indagetur, invento tertio addantur dies 6. abjectis inde omnibus ſeptenariis, relinquetur feria: quod ſi nihil reſtabit, feria erit ſeptima. Ut exemplo aliquo regulas haſce illuſtremus, & ſucceſſus judicem adhibeamus ipſum CALVISIUM, periculum methodi noſtræ faciemus in exemplo, quod ipſemet ſuo more per tabulas expedivit. Is igitur *Iſagog. Chronol.* cap. XIII. hæc habet; *Leonclavius Vir Doctiſſimus refert, in Diplomate Imperatoris Turcici, quo continebatur prorogatio pacis cum Rodolpho II. Imperat. hæc verba addita fuiſſe*:

„ *Datum die primo menſis Januar. anni Domini Jeſu,*
„ *ſupra quem ſit gratia & auxilium divinum 1584. Anno transmigrationis magni Prophetæ noſtri, ſupra quem ſit gratia ſalusque divina, 991. die 27. Sacræ lunæ Dhilhitſche.* Elapſi igitur ſunt anni Arabici 990. menſes 11. dies 27. proinde

Per *præceptum primum* ductis 990. annis in
$354\frac{11}{30}$ dies, habebitur···*primum inventum*···350823.
Per *præceptum ſecundum* ductis 11. menſibus
in $29\frac{1}{2}$. dies, vel per tabulam menſium

Ara-

Arabicorum habetur ---- *ſecundum inventum* ---- 325.
Per *præceptum tertium* addantur ſimul hæc duo inventa cum ---- *dieb. menſis labentis* ---- 27.
& *radice dierum* 227016.

Summa dabit ---- *tertium inventum* ---- 578191.

Per *præceptum quartum* Inventum hoc tertium dividatur per 1461. erit *Quotus* ---- 395 † 1096. qui per 4. multiplicatus, & diebus 1096. in tres annos reductis, ternario auctus, dabit annos Jul. Æræ Chriſti completos 1583. diem anni labentis 1. Denique ----

Per *præceptum quintum* addantur Invento tertio dies 6. ut fiant 578197. quibus diviſis per 7. relinquentur 4. pro feria. Quæſitum igitur erit, Annus Chriſti Æræ Dionyſ. 1584. 1. Januar. feria 4. Idem factum per tabulas inventum videſis apud *Calviſium in loco cit.*

Sic annus lunaris ſolutus, cum deſultorius ſit, caput habens vagum, id affert incommodi, quod totum Juliani anni contextum pervagatur ita quidem, ut ternis quibusque annis menſis quilibet proxime antecedentis tempeſtatem ſubeat, & elapſis 16. circiter annis, qui æſtivi fuerant menſes, fiant brumales, & vice verſa.

§. XIX. Annus lunaris *ligatus* dicitur, qui ad leges curſus ſolaris ita contemperatur, ut communi aliquo veluti orbe, quem cyclum ac periodum vocant, incluſus cum ſolari anno in gratiam redeat. Ea conciliandi ratio à multis antiquitus tentata varios peperit cyclos, velut *Dieteridis*, *Tetraeteridis*, *Octaeteridis*: quaſi biennio vel ejus duplo vel quadruplo, ſolis ac lunæ rationes paria facerent. Succeſſit *Enneadecaeteris*, novendecim annorum cyclus, Authore METONE, Athenienſi Aſtron. qui omnium exactiſſimus

habitus; quaſi eo annorum numero vertente utriusque ſideris ab eodem cœli puncto ad idem fieret reverſio. Verum cum & hic cyclus vitium facere deprehenderetur, ei remedium quæſivit CALIPPUS, Cyzicenus Mathematicus, unde nata *Periodus Calippica* 76. annorum, ſive cyclus 19. quater replicatus: *Quo abſoluto putavit nihil reliquum fieri de ſcrupulis lunæ cum rationibus ſolis* &c. *SCALIG*, *Emend. Temp. lib. 2.* Sed & hic invenit, quod corrigeret, HIPPARCHUS, Rhodius Aſtron. De quibus, ubi de characteribus temporis. Anno autem lunari ligato utuntur Judæi ſequioris ævi, admiſſo cyclo decemnovenali: Quo de inſtituto ex arte R. Samuelis Jarchinæi prolixe diſſerentem vide MUNSTERUM in *Calend. Hebr. Tract. de Invent. Neomen. & æquin. pag. 62.* &c. Summa huc redit; Intra 19. annos ſeptem faciunt intercalares, 13. quosque menſium, addendo לאדר *Menſi Adar*, ואדר *alterum Adar*, ſecundum præceptum R. Gamal. שלש שלש שתים שלש שלש שלש שתים *tres, tres, duo: tres, tres, tres, duo.* hoc eſt, Intercalares tredecim menſium ſunt *annus tertius*, & huic additis tribus *ſextus*, & additis duobus *octavus* &c. quod ſignificant vocibus גו״ח א״ד ז״ט Id eſt, 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. Itaque, ſi 12. annos communes totidem menſium, & 7. embolimæos 13. menſium conſtituant, annum ſolarem & lunarem intra cyclum hunc decemnovennalem conciliari utcunque volunt: quod qua ἀκριβείᾳ ſuccedat, hinc brevi pateſcit. Septem menſes qui totidem annis communibus addi ſolent, ſupplere deberent defectum anni lunaris infra ſolarem, qui defectus calculo Judæorum eſt 10. 21. 204. hel. Atqui hoc non præſtant exacte, ut ad oculum patet ducenti exceſſum anni ſolaris 10. 21. 204. in 19. ut fiant 206. 18. 636. hel. Item quantitatem menſis 29. 12. 793. in 7. quia ſepties fit integri menſis intercalatio, ut fiant 206. 17. 151. quæ ſumma à priore ſubtracta relinquit

linquit 1. 485. id eſt, unam horam & 485. helakim. Quapropter novilunia juxta hunc computum poſt annos Julianos XIX. recurrere quidem poſſunt eodem die, ſed non eadem hora, verum ſeſquihorio præterpropter citius accident, quam ante XIX. annos, quæ προήγησις σεληνιακὴ dicitur. Hæc etiam cauſa fuit *R. Addæ* emendandi rationem temporum, ut ſupra ſignificamus §. 12. Qua de re inter alia non nihil vide apud *SCALIG. Can. Iſagog. lib. 3. Comment. in cap. 6. SELDEN. de anno civili Vet. Jud. cap. 17.* Specimen conciliationis juxta emendationem R. Addæ videſis apud EPISCOPIUM loco ſupra citato, quod hic exhiberi prolixitas vetat, neque vero ea prolixitate opus eſt, ſi velimus uti methodo mox adhibita, attendendo, quod exceſſus anni ſolaris ſupra lunarem juxta calculum R. Addæ ſit 10. 21. 121. 12. qui ductus in 19. facit 206. 17. 151. quod ipſum etiam eſt productum quantitatis menſis ſynod. per. 7. Hinc adeo iſtam annos ſol. & lun. exæquandi rationem tam exactam affirmare audent Judæi, ut in quo puncto cyclus iſte decemnovennalis incipit, videlicet in principio lunæ Tiſri, ſol & luna abſoluto cyclo in eodem ſigno & gradu uſque & uſque, curſum redorſuri, deprehendantur: quod quidem verum eſſet, ſi determinatio anni juſta foret.

§. XX. Celebris apud Chronologos eſt quæſtio de anno priſcorum Hebræorum. Alii ſolarem fuiſſe, ex lunaribus quidem menſibus ſed tricenariis & appendice 5. dierum conflatum, contendunt. Addit CHRISTMANNUS: *Hebræos à mundi conditu per annos 3449. usque ad Æram Alexandri uſos fuiſſe annis æquabilibus Ægyptiorum, id eſt, duodenis æquabilibus menſibus cum 5. appendicibus dierum: ut annus Hebraicus in 120. annis nullum embolimum menſem haberet. Comment. ad cap. 1. Alphrag. de Calend. Heb.* Alii Lunæſolarem ex Lunæ menſibus conſtantem, ſed cum ſolari anno concilia-

 tum

tum ſive per epactas dierum 11. ſive per intercalares menſes ex epactis duum triumve annorum conſurgentes arbitrantur. Authores utriusque ſententiæ oppido multos citatos videre eſt apud RICCIOLIUM *Chronolog. Ref. lib. 1. cap. 10.* CELSIUS Mathematicus Upſal. conjicit, *Hebræos poſt Exodum duplicem annum habuiſſe, Politicum ſolarem, & Eccleſiaſticum lunarem, at per embolimæos illi connexum; qui tandem poſt everſam Monarchiam Perſicam, cum Pontifices Maximi omnem poteſtatem ad ſe raperent, illum abſorbuit, ac ſolus remanſit.* *MEGERL. Comment. Chronol. in Tab. Mathem. Hiſt. cap. 5.* Sunt denique, qui annum Hebræorum priſcorum unicum fuiſſe tantum, qui hodie eſt, nempe lunarem pertendunt, quos eo nomine vehementer vapulare videas *SCALIGERO, Emend. Temp. lib. 3. de anno priſc. Hebr.* Nobis, ut de nomine controverſiam movere cuiquam volupe non eſt, ita certum videtur, non modo menſium lunarium, ſed etiam anni ſolaris rationem fuiſſe habitam à Moſis tempore: Id quidem plus ſatis comprobant quæ §. 9. ediſſeruimus. Enimvero quando Deus menſem Abib primum in ordine menſium anni, veluti natalem Iſraeli, quo in libertatem fuit aſſertus, haberi juſſit, Exod. 12: 2. ſancitis etiam neomeniarum ſacris, anni rationem, quippe notam vulgo ſupponens, non edocuit, quam tamen vel ante Moſen certo compertam, vel poſt Moſen definitam oportebat, ſiquidem annum vellet haberi lunarem. Neque etiam ἔτυμον nominis שנה quod *annum*, quaſi temporis *renovationem vel iterationem*, ſignificat, in annum lunarem competit. Cui verius quam anno ſolari congruit dici כעת חיה *ſecundum tempus vivum*, id eſt, redivivum, quod ſol curſus ſui periodo abſoluta redorditur? Gen. 18: 10. 14. Recte ABEN ESRA & R. SAL. בעת הזאת בשנה אחרת או לשנה הבאה: *ſimili tempore anni ſequentis.* Numquid vero ſolam lunam *in ſtatuta tempora & annos* conditam

ditam credidere Moſes & Patres? Gen. 1: 14. Quærenti vero, quænam igitur forma fuerit anni priſcorum Hebræorum inde à Moſis tempore? Reſp. Procul libidine altercandi de vocabulis, conſequenter ad ea quæ de menſibus Hebræorum docemus, ſic nobis ſtatuendum videtur, quod annus iſte neque *ſolaris* tantum, neque *lunaris ſolutus*, neque *lunæſolaris* computi regulis adſtrictus, ſed talis fuerit, qualem Synedrio vel iis qui è cœtu ejusdem delegata poteſtate temporis definiendi negotio præfuere, diſponere atque edicere viſum fuit, poſtquam cauſas faciendæ aut omittendæ intercalationis, qualis eſſe poterant ſerotina frugum, agnorum, hœdorumque maturitas, itinerum incommoda è pontibus diffractis, aquarum exundatione &c. circumſpecte conſideraſſent. Hactenus igitur annus ſolaris & menſis lunaris uſu ita contemperari ſolebant, ut de qualitate anni civilis, communiſne an intercalaris futurus eſſet, ante Synedrii decretum nemini conſtaret. Atque hic mos figendi tempora ex Synedrii arbitrio, non niſi cum Authoritate ejusdem, in terra ſancta expiravit. Quo caſu prævifo Hillel Synedrii Princeps cyclum decem-novennalem ex doctrina Aſtron. & Chronologica R. Sam. Jarchinæi & R. Addæ condidit. Teſtimonia Rabbinorum huicce traditioni fidem firmantia vide apud *SELDENUM de anno civ. Vet. Jud. cap. 17.*

* * * * *

III. SA-

* *

III.

SAMUELIS KOENIGII,

Prof. Bern. Extraord.

DEFENSIO FIDEI NICÆNÆ

De vera & æterna Filii Dei Deitate,

Ex PROV. 8: 22.-31.

Cum adjectis quibusdam OBSERVATIONIBUS *ad loca quædam alia LIBRI PROVERBIORUM SALOMONIS.*

Argumentum.

§. I. Symboli Nicæni verba de hac materia laudantur. §. II. Conditum id fuit contra Arrianos, quibus locus Prov. 8: 22. ὁ Κύριος ἔκτισέ με, ad ſpeciem favebat. §. III. קנה acquiſivit generando. §. IV. Alibi tamen, acquiſivit creando. §. V. Syrus & Arabs à textu Græco ſeducti. §. VI. אמון *Amon* tam nutritium, quam opificem notat. §. VII. Chriſtus μονογενὴς dicitur, non πρωτογενής. §. VIII. Chriſtus ceu *æterna Sapientia* cum patribus *amice colluſit.* §. IX. Eſt is ſapientia noſtra. §. X. Meletemata de hac ſapientia amanda, in ſinu fovenda. §. XI. Sequuntur *Obſervationes miſcellaneæ* ex ſequentibus Proverbiorum

rum Capitibus. Cap. 9: 12. Aſſumentum, quod LXX. Syr. & Ar. habent, in Textu Hebræo & Chaldæo non extat, adeoque merito ſuſpectum; idem de v. 13. §. XII. Cap. 10: 3. הוה *havva*, *opes*, it. *improbitas*. v. 8. לבט quid notet Syris, Arabibus & Æthiopibus. v. 9. ירע ex Ar. ורע *reliquit*, *ſivit*, *miſſum fecit*. v. 31. Hebr. נוב i. q. Chald. & Syr. אנץ germinavit. §. XIII. Cap. 11: 2. quid ſit צנועים ſc. humiles, verecundi, modeſti. v. 31. אף כי quanto magis, & quanto minus. §. XIV. Cap. 12: 19. וָעֵד veteres verſiones omnes reddunt qſ. וְעֵד & *teſtis*. ad v.25. & 27. notula. §.XV. ut & ad Cap. 13: 18. & 25. §.XVI. Cap. 17: 27. וקר in Textu præferendum τῷ יקר Maſorethico. §. XVII. Cap 18: 1. quid ſit נפרד & התגלע v. 11. משכית *imaginatio*. §. XVIII. Cap. 19: 22. חסדו *gratia Dei*. §. XIX. Cap. 20: 30. quid תמריק & חברות ex Jeſ. 55: 5. §. XX. Cap. 21: 7. יגורם raptabit, abripiet eos ex Ar. גר §. XXI. Cap. 22: 22, 23. קבע Hebræis diripuit, deſpoliavit, ſed Chald. & Syr. fixit, cruci affixit, utraque notio laudatur. v. 27. תקע i. q. ערב ſpopondit data dextra. §. XXII. Cap. 24: 6. תחבלות conſilia politica, rectoria.

§. I.

PAtres *Concilii Nicæni* primi, celebrati A. C. 324. & 325. ſic ſuam de ÆTERNO DEI FILIO mentem fidemque expreſſerunt:

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, omniumque quæ videntur & quæ non videntur.

Et

Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, unigenitum Dei Filium, qui ex Patre natus eſt ante omnia ſecula. Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, & conſubſtantialem Patri, per quem facta ſunt omnia, &c.

§. II.

Eximio huic fidei Symbolo condendo anſam præbuiſſe ARRIUM ejusque aſſeclas, ex ſcriptis Athanaſii & Socratis notius eſt, quam ut dici debeat. Nimirum Arrianis Jeſus Chriſtus erat prima & excellentiſſima Dei creatura, facta ante cæteras res creatas, & per quam cætera facta ſunt. Arrianis, quoad ſpeciem ſaltem, præſidio fuit locus PROV. 8: 22. uti ſcil. LXX. eum reddiderunt: Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν ἀυτῦ, Multum negotii faceſſebat hic locus patribus Græcis, veritatem Hebraicam ignorantibus. Quare exercitii, fideique noſtræ confirmandæ gratia, penſitemus hunc locum coram Deo, implorato prius ejus auxilio.

§. III. Sic vero habet Textus Hebræus: יהוה קנני ראשית דרכו .קדם מפעליו מאז: ſenſus verbi קנה probe tenendus eſt. Audi BUXTORFIUM in Lex. Hebr. קנה *Comparavit, emit, acquiſivit, acquiſitum poſſedit. SANTES PAGNINUS:* קנה *acquirere, poſſidere, emere.* Omnium vero optime AVENARIUS in Lex. Hebr. קנה *acquiſivit generando, emendo, educando, vel quacunque alia ratione fieri poteſt. Hinc* γεννάω *gigno;* γονεὺς, γεννητὴς *genitor, it. Latinum genero, gigno* &c. cujus quamplurima afferunt hi Autores loca, ſaltem confirmantia ſignificationem *emendi & acquirendi*, ſed & notare *acquirere quid generando*, ex uno & altero ſcripturæ ſacræ loco manifeſtum eſt. Ex. gr. Eva Cainum gignens dicit: קניתי איש את יהוה LXX. ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τῦ θεῦ. Vulg. *Poſſedi hominem per Deum.* Onkelos Chaldæus: קניתי גברא מן קדם י"י h. e. *acquiſivi virum à Domino.* Recte hactenus quoad ſignificationem verbi קנה. Cætera vero minus

bene

bene ſe habent. Optime vero totum verſum reddunt Theologi Wirtenbergenſes, ex LUCA OSIANDRO, & cum eo: *Adquiſivi virum Dominum.* Acquiſivi vero gignendo vel pariendo? Sed & illuſtris locus eſt Deut. 32: 6. הלא הוא אביך קנך *Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui te acquiſivit ſibi generando?* Confirmatur hæc interpretatio ex verſu 18. *Oblivisceriſne rupis quæ te* ילד *genuit, & in oblivionem das Deum genitorem tuum*, מחללך. Atque ſic, procul omni dubio, capiendum eſt verbum קנה in loco proverbiorum, quem præ manibus habemus.

§. IV.

Dicet forte Arrianiſmi hyperaſpiſtes, verbum קנה etiam notare poſſe, *acquiſivit creando.* Sic Deus O. M. vocatur קנה שמים וארץ Gen. 14: 19. LXX. ὃς ἔκτισε τὸν ȣ̓ρανὸν καὶ τὴν γῆν. Reſp. Eſto, nec abnuo. Sed de creatione cœli & terræ nunquam uſurpatur vox *generandi* vel *pariendi*, niſi forte improprie. Nec cœlum & terra dicitur filius Dei, ex Deo conceptus & genitus, id quod in hoc loco de ſapientia, ὑποςατικῶς accepta, dicitur. Neque enim hic de attributo ſapientiæ divinæ ſermo eſt, ſed procul dubio de ipſo Filio, qui in N. T. & σοφία & λόγος Θεȣ̃ appellatur. Matth. 11: 19. Joh. 1: 1. Huic, inquam, ſoli conveniunt prædicata, hoc loco occurrentia: *A ſeculo uncta ſum. Ante colles genita ſum. Fui apud Deum nutricius*, &c.

§. V.

Atque hinc infero, textum Græcum τῶν Ο' hic loci merito cenſuram incurrere, & obelo configendam eſſe. Ea eſt, quæ & SYRUM interpretem ſeduxit, qui habet: מריא ברני *Dominus creavit*, vel, *condidit me.* Ut & ARABEM, qui habet: אלרב חלקני eodem ſenſu cum Syro. Rectius AQUILA, cujus fragmenta DRUSIUS collegit: ὁ κύριος ἐκτήσατό

με,

με, *Dominus poſſedit*, vel *habuit me*. Videtur tamen, tam Syrum quam Arabem, hanc ſuam ceſpitationem quaſi reparare velle, utendo de hac Sapientia terminis ἐνεϱγετικοῖς. Ex. gr. Syrus illud חוללתי v. 24. reddit אתילדת *genita ſum*. Verſu vero 25. idem חוללתי reddit per אתבטנת *concepta ſum*. חולל enim eſt *parturivit*, *peperit*. Jeſ. 51 : 2. Job. 39 : 1. porro v. 29. & initio v. 30. *Cum ſtatuit fundamenta terræ*, עמה מתקנא הוית *cum eo compoſitrix*, *diſpoſitrix*, *eram*. Arabs vero כנת ענרה באמטת *eram apud ipſum diſpoſitrix*, vel *ordinatrix*.

§. VI.

Sic ſcilicet illi reddunt Hebræum: ואהיה אצלו אמון vox enim אמון reddi poteſt per *nutricium*, *qui in ſinu fovetur*, *educatur*, ab אמן *enutrivit*. Part. אמן enutriens. Eſt. 2 : 7. Num. 11 : 12. אמנת *nutrix*. Ruth. 4 : 16. Alludit huc ſanctus Johannes, Evang. 1 : 18. ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τȣ̃ πατϱὸς. *Unigenitus Filius*, *qui eſt in ſinu Patris*. Pater enim Filium ex ſe genitum in ſinu fert, tenerrimoque complectitur amore, ceu ἐπικολπίδιον βϱέφος. Hinc & addit: *eramque deliciæ ejus omni die*. v. 30. Neque tamen abſonum eſt dicere, אמון idem ſignificare quod אמן *Artifex*, *artis nutricius*, *vel arti innutritus*, adeoque *artifex excellens*. Cant. 7 : 1. Hoc certe ſenſu Syrus & Arabs vocem hanc cepiſſe videntur. Ergo Jeſus Chriſtus eſt ille Dei filius ante ſecula *genitus*, *non factus*, ילידא ולא עבידא uti habet verſio Syriaca Symboli Nicæni, & *per quem omnia facta ſunt*, quod Patres Nicæni addunt ex Joh. 1 : 3. Col. 1 : 16. Hebr. 1 : 2.

§. VII.

Emphaſis vocis Gr. Μονογενὴς idem confirmat. Si enim Filius Dei eſſet *prima creatura*, per quam cæteræ factæ eſſent, non poſſet dici μονογενὴς, ſed πϱωτογενὴς. Denique abſurdum & blaſphemum eſt, creaturam

cætera

cætera creaſſe, & creaturam eſſe Autorem & opificem noſtrum, & in negotio gratiæ Servatorem noſtrum, cui fidem, laudes & obſequium debemus. Hoc enim verus Deus ſibi ſoli vindicat. Jeſ. 45 : 22-25. Dicamus ergo confidenter cum Patribus Nicænis, eſſe J C. *Lumen de Lumine, verum Deum de Deo vero* &c. Abeant ergo Arriani & Sociniani, Chriſtum non-Deum colentes, atque ſic crimen κλισματολατρείας manifeſte incurrentes, contra Rom. 1 : 25.

§. VIII.

Quod denique SAPIENTIA addit : *Ludebam coram eo omni tempore, ludebam in orbe terræ ejus* &c. Reſpicit ad amicas viſitationes atque apparitiones, Patribus tam ante, quam poſt diluvium factas. Cujus manifeſtiſſima ſunt in narratione Moſaica veſtigia. Ex. gr. Gen. 22 : 11. Angelus Jehovæ allocutus dicitur Abrahamum Filium jugulare volentem & v. 15. additur : *Inclamavitque Angelus Jehovæ Abrahamum ſecunda vice cœlitus : per me juravi, inquit Jehova,* &c. Quis eſt ille ANGELUS JEHOVÆ, cum Abrahamo tam familiariter agens, & per ſe ipſum jurans, ſeque ipſum *Jehova* appellans ? procul dubio eſt verus Deus de Deo vero, miſſusque à vero ceu ejus nuntius. In hiſtoria Jacobi Gen. 31. & 32. indicia hujus veritatis haud minus manifeſta apparent. Sacris vero vatibus haud inſolitum eſt introducere Jehovam loquentem, ſed miſſum à Jehova. Jeſ. 48 : 16. Zach. 2 : 12-15. Hæc non agnoſcere, eſt in luce meridiana cæcutire velle. Malimus ergo ex cap noſtro agnoſcere hypoſtaticam Patris Sapientiam, ex Patre genitam, adeoque ei homouſion, cum antiquis illis patribus tam amice colluſiſſe. Ejus enim שַׁעֲשֻׁעִים ſive *deliciæ* & delectationes *ſunt cum filiis hominum*. Quæ ejus tenerrima φιλανθρωπία eum tandem permovit, ut frater noſter fieret, humana indutus carne. Unde recte S. Johannes :

nes: καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, &c. Joh. 1 : 14.

§. IX.

Hic ergo J. C. non ſolum eſt æterna Patris *ſapientia*, per quam & in qua omnia condidit, ſed & *noſtra ſapientia*. 1. Cor. 1 : 30. Non ſolum Jehova juſtus in ſe, ſed *Jehova juſtitia noſtra*. Jer. 23 : 6. &c. Atque hactenus omnes, qui ὀρθῶς de Chriſto Jeſu δόξας tuentur, conſentientes habemus, innumerabilibus Novi Teſtamenti teſtimoniis idem confirmantibus.

§. X.

Sed quæſo te, Lector Chriſtiane! Num & tu Jeſum Chriſtum poſſides, ceu *Sapientiam tuam?* Scias enim velim, quod Pater, qui hancce ſapientiam ante opera, quin ante molimina, h. e. decreta ſua, poſſedit atque in ſinu fovit, nobis jam eam poſſidendam dederit. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Joh. 3 : 16 *Filius datus eſt nobis*. Jeſ. 9 : 6. Eſtne Chriſtus doctor & ductor tuus unicus? Juxta Matth. 23 : 8. *Unus eſt veſter doctor & ductor Chriſtus*. Agnoſcimuſne colimusque Jeſum Chriſtum, ceu veram & unicam ſapientiam? Num ſapientia hujus ſeculi vileſcit in oculis noſtris? Quare δοκιμαζέτω ὁ ἄνθρωπος ἑαυτόν. 1. Cor. 11 : 28. Verbis forte tueris æternam Chriſti deitatem, quin pro ea, tanquam pro aris & focis pugnas. Sed num amas eum reapſe? Viſne ejus eſſe אמון *nutricius*, uti ipſe eſt *nutricius Patris?* Quid reſpondet ipſa tua conſcientia excuſſa? Quid teſtantur opera tua? Chriſtus eſt humilis corde, tu forte ſuperbus. Chriſtus ſpernit gloriam hujus ſeculi. Tu forte mancipium es vanæ gloriolæ. Chriſtus theſauros hujus mundi ſpernit, quin regnum aſpernatur. At forte tu Evangelium prædicas nonniſi lucelli gratia. Chriſtus eſt Sanctus Dei, tu forte ne horulam quidem repugnando cordi impendiſti.

Clamas

Clamas pleno gutture, Jeſum Chriſtum eſſe æternum Dei λόγον, & ſapientiam hypoſtaticam, per quam omnia condita ſint. Sed quæſo te, num ea Patris ſapientia aliquid etiam *in te* effecit? Senſiſtine unquam omnipotentem ejus gratiam, quæ novos cœlos, novamque terram in Fidelium pectoribus condit, h. e. animum cœleſtia ſapientem, vitamque bonis operibus uberem? Forte quod ore de Chriſto teſtaris, opera tua deſtruunt, & propter te nomen Chriſti blasphematur.

Contendis, jactasque, Jeſum Chriſtum eſſe æternum Dei Filium, Filium dilectum, quo Pater acquieſcit atque delectatur unice. Sed num & tu eo delectaris? Num in amplexum ejus ruis? Forte ſinus pectoris tui excuſſus teſtabitur, te amoris mundi miſerum eſſe mancipium, illecebris carnis & concupiſcentiarum ceu totidem laqueis irretitum & conſtrictum. Si Chriſto deliciaris, etiam in cruce Chriſti deliciaberis. Tu vero forte eam ceu peſtem fugiſti hactenus. Jactas auctoritatem Chriſti, ſed præcepta ejus ſervare, pudet te pigetque.

Verboſus es in Myſterio SS. Triadis aſſerendo, & contra adverſarios vindicando. Sed annon tuus intus oggannit animus, nolle te Chriſtum imperitare tibi? Tantum abeſt, ut quæras cum ipſo uniri, uti ipſe unum eſt cum Patre, ut jugum ejus audacter excutias. Clamas, Chriſtum eſſe ſapientiam Patris ante omnia ſecula *unctam*. Ejus vero unctionem tu nunquam perſenſiſti. Multa blateras de ſpiritu Chriſti, tu vero ſecundum carnem vivens, Chriſto es opprobrio, & auditoribus offendiculo. Aſſeveras, Chriſtum vivere per & propter Patrem. Sed num & tu vivis per & propter Chriſtum? Eſtne is vita tua? &c.

De hiſce vellem, ut unusquisque excuteret ſe ipſum. Certum enim eſt, facile eſſe, orthodoxiam de-

ſendere, dum fœtidiſſimis Diaboli ſtercoribus animum, eheu! oppletum gerimus.

Faxit igitur divina bonitas, ut, ſicuti Chriſtus eſt *via, veritas & vita*, ſic & nos huic viæ inſiſtamus, hanc veritatem & vitam in intimo noſtrum reſidentem teneamus & ſancta converſatione exprimamus. Hæc enim optima eſt Deitatem Chriſti tuendi ratio, opere ſcil. ipſo demonſtrare, nos per ipſum *divinæ participes factos eſſe naturæ.* 2. Petr. 1 : 4. Hoc ideo moneo, quia admodum vereor, ne Arrianiſmus & Socinianiſmus ex orco revocatus, denuo Eccleſiam inundet.

§. XI.

Hiſce præmiſſis ſubnectamus *Obſervationes miſcellaneas* ad Capita ſequentia.

Ad Cap. 9. PROV.

v. 12. *Si ſapiens fueris, tibi ſapies. At ſi illuſor fueris, tu ſolus id feres.*

Hunc verſum LXX. SYR. & AR. periphraſi illuſtrant, & auctario adaugent. ſcil. *Fili mi, ſi ſapiens es, animæ tua ſapiens es, & amicis tuis: ſin autem fueris malus, tu ſolus hauries ipſa tua mala. Qui incedit, (confidens eſt) in mendaciis, paſcit ventos, & abigit (perſequitur) volucres cœli, deſeruit enim viam vineæ ſuæ, & oblitus eſt (aberravit) ſemitæ miniſterii ſui, ut currat per deſertum inaquoſum, & ab ea via, quæ trita eſt, vagatur per locum ſitibundum; Et is quidem colliget nihil.* Aſſumentum hoc in Textu Hebræo fuiſſe, minime crediderim; ad marginem forte codicis ſui non nemo hæc ſcripſerat, unde in verſionem τῶν LXX. irrepſere, quæque SYRUS & ARABS inde hauſerunt. Idem & alibi factum. Nihil ergo hoc præjudicat integritati textus Hebræi, quem CHALDÆUS citra hoc aſſumentum expreſſit.

V. 13.

v. 13. *Mulier ſtultitiæ, tumultuaria, ſtoliditatis, & non novit quicquam.* LXX. *Mulier inſipiens & audax, indiga buccellæ fit, & non novit pudorem.* *ARABS* ſequitur τὲς ὀ. redditque: *Mulier ſtulta, procax, incidet in penuriam opum, & non novit pudorem.* SYRUS brevius: *Mulier expers mentis* (judicii,) *adulatrix.* Illud פתיות, quod *ſtoliditatem* vel *ſimplicitatem* notat, per *adulatrix* expreſſit משרלניא, שרל enim Syris eſt *blandiri, adulari.* Hebr. פתה vero notat *pellicere, decipere, blandiendo perſuadere.* Quod Syrus frequenter per שרל reddit. Vide Jud. 14:15. Hoſ. 2:14. al. 16. &c. *VULG. Mulier ſtulta & clamoſa, plenaque illecebris,* Sed CHALDÆUS iterum Textum Hebræum preſſius ſequitur, redditque: *Mulier ſtulta & vaga, inſipiens, & neſcit bonum.*

v. 18. *Et non novit, quod manes* (defuncti) *ibi, in profundis ſepulchri invitati ejus.* Hic LXX. SYR. & AR. iterum cum aſſumento comparent, ſed quod CHALDÆUS, fidus Textus Hebræi pediſſequus, ignorat. Unde in Textu Hebræo non fuiſſe, perſuaſum habeo, ſed ex margine in Textum Græcum irrepſiſſe, indeque ad Syrum & Arabem manaſſe. Sed & VULG. cum auctario, breviori tamen, comparet: *Qui enim applicabitur illi, deſcendet ad inferos; nam qui abſceſſerit ab ea, ſalvabitur.*

§. XII.

Cap. 10.

v. 3. (והות רשעים יהדף) LXX. *ζωὴν δὲ ἀσεβῶν ἀνατρέψει.* Quod & ARABS ſequitur. Sed CHALD. & SYR. *Opes impiorum ſubvertet.* Sic illis הוה eſt קנינא *opes, poſſeſſio.* Sed alibi הוה *ærumna pravitas.* Ut c. 11:6. ובהות בגדים ילכדו *& in pravitate* perfidi capientur. Chald. וברשעיה *& in improbitate ſua* cadet impius. Syr. ובעולה *& in iniquitate ſua* corruit iniquuus. Hinc, juxta

ta BUXTORFIUM poſt ABENESRAM & JARCHIUM, הוחת *prava moliri.* Pſ. 62 : 4. quod alii ex Arabico הַת derivant, *promta volubilique lingua fuit in aliquem.*

v. 8. ואויל שפתים ילבט) LXX. *ὁ δὲ ἄςεγος χείλεσι σκολιάζων ὑποσκελισθήσεται.* Sic ipſis ילבט eſt *ſupplantabitur.* SYRUS: Cujus ſtulta ſunt labia מתתחר *capitur,* decipitur. Sic & CHALD. מתאחר eod. ſenſu. Rad. לבט Syris *concitavit bellum.* Hinc Sirac. 26 : 32. קַרְנָא מלַבְּשָׁנִיתָא cornu concitans bellum, excitatrix belli, vel, ad bellum. ARAB. לבט *proſtravit in terram.* Sed *ÆTHIOP. impegit, ceſpitavit.* Omnes hæ ſignificationes locum hic habere queunt, ut ילבט ſit, implicabitur bello concitato, proſternetur, cæſpitabit, &c. Sed AQUILA, *δαρήσεται.* SYM. *βασανισθήσεται,* TH. *φυρήσεται,* fœdabitur. DRUS.

v. 9. *Ambulans in integritate*, h. e. integer vitæ ſceleriſque purus. *Ambulabit ſecurus,* vel *confidenter.* h. e. non eget Mauri jaculis, nec arcu, nec venenatis gravida ſagittis, Fuſce, pharetra. HORAT. item, Conſcia mens recti famæ mendacia ridet. Idem. nam *arx fortis eſt integro, via Domini.* in hoc capite verſu 29. *Sed qui pervertit vias ſuas,* יורע *innoteſcet.* Sic PHÆDRUS l. 1. fab. 10. Quicunque turpi fraude ſemel innotuit, etiamſi verum dicit, amittit fidem. Sed quid ſi ad Arabiſmum recurramus? ARAB. וַרַע *reliquit, ſivit, miſſum fecit.* Part. וָארִע *relinquens, miſſum faciens.* Hoc ſenſu יורע ex Niphal, ſignificabit, *relinquetur, deſeretur.* Sic certe capitur c. 14: 33. *In corde prudentis requieſcet ſapientia, ſed in intimo ſtultorum deſeretur.* Obſervavit hoc ante me LUD. de DIEU. Interpretes tamen LXX. CHALD. SYR. AR. VULG. *cognoſcetur, deprehendetur, qualitas ejus,* &c.

V. 31.

v. 31. Os juſti ינוב חכמה) LXX. *ςόμα δικαίȣ ἀποςάζει σοφίαν.* Os juſti *deſtillat ſapientiam.* Sic & AR. Sed CHALD. פומיה דצדיקא מועי חכמתא Os juſti *profert ſapientiam.* Recte! Eſt enim Chald. & Syr. יעא (ex Hebr. יצא,) *exire, provenire, progerminare.* יעא חטר אהרן germinavit baculus Aharonis. Num. 17: 23. in TARG. JON. Aph. אועי *protulit, produxit, germinavit.* Syris hoc verbum in Pehal & Aphel uſitatiſſimum eſt, uti ex Lexico meo, ſi favente Deo lucem adſpexerit, apparebit. עקרא דמועא מרתא radix producens fel, germinans felle. Deut. 29: 18. in Syr. Sic proxime reſpondet Hebræo ינוב. Radix enim נוב ſignificat intranſitive, *viguit, vegetus fuit.* Pſ. 62: 11. & 92: 15. Aliquando active, *germinavit, propagavit.* uti h. l. Pihel נוֹבֵב *vegetem, florentem reddidit*, & ad os relatum, *facundum* & *eloquentem reddidit.* Zach. 9: 17. hinc derivata ניב & תנובה *proventus, propagatio, fructus abunde provenientes.* Ar. נאב & conj. 2. ניב *ſtirpem, caulemve exeruit,* ſcil. planta. Senſus ergo dicti noſtri eſt: Os juſti ceu ex fœcunda radice profert ſapientiam, ſibi inſitam, non ab aliis mutuo acceptam, ſed ex unctione ſpiritus intus habitante hauſtam. Vide Pſal. 37: 30. 31. Talis juſtus erat Chriſtus, ipſiusque Apoſtoli; Utinam & nos tales eſſemus, quotquot nomine Chriſti gloriamur.

§. XIII.

Cap. II.

v. 2. Hæc vero cœleſtis ſapientia אֶת צְנוּעִים *cum humilibus, verecundis.* Non occurrit hæc vox alibi in textu ſacro. Hiphil tamen verbi occurrit Mich. 6: 8. ubi: הצנע לכת *humiliter & verecunde ambulare cum Deo tuo.* Illud צנועים in verſu noſtro LXX. reddunt per *ταπεινοὶ.* CHALD. צניעין *humiles.* VULG. *Ubi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia.* SYR. מַכִּיכָא *humiles.*

Chriſtus de ſe : רַמְכִּיךְ אנא quod humilis ſim. Matth. 11 : 29. ARABS itidem : מתואצְעין *humiles.* Chaldæis & Rabbinis צניע vel צנוע *humilis, verecundus, modeſtus.* צניעות *humilitas, verecundia.* opp. זְדון *ſuperbia.* Diſcamus illam à Chriſto, & dediſcamus hanc.

v. 31. (הן צדיק בארץ ישלם אף כי רשע וחוטא׃) Hunc verſum ſic reddo : *Ecce juſto rependitur in terra,* ſc. afflictio & caſtigatio, *quanto magis improbo & peccatori?* ſc. retribuetur afflictio. Nota, אף כי præcedente ſententia affirmante ſignificat *quanto magis*, ut h. l. & c. 15 : 11. & c. 19 : 7. Sed præcedente ſententia negante, *quanto minus.* Vide exemplum 1. Reg. 8 : 27. *Cæli & cæli cælorum te non capiunt,* אף כי *quanto minus ædes hæc quam exſtruxi?* conf. Prov. 17 : 7. & c. 19 : 10. LXX. (quos SYRUS, ARABS, & VULG. ſequuntur) magis ad ſenſum quam verba reſpicientes, reddunt : εἰ ὁ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται; Mutuatus eſt hæc S. Petrus, 1. Petr. 4 : 18. conf. 2. Theſſ. 1 : 6, 7.

§. XIV.

Cap. 12.

v. 19. (ועד־ארגיעה) Verba hæc ſubobſcura ſunt. ע in ועד quia pathach habet, ſignificat, *& uſque donec.* Sed ſic nullum video ſenſum. CHALDÆUS illud עד reddit per סהדא *teſtis*, & עד ארגיעה reddit : סהדא מסתרהב *teſtis feſtinus, præceps*, ut & LXX. μάρτυς ταχύς. SYRUS, ut Chaldæus : סהדא מסרהבא *teſtis præceps, temerarius.* ARABS : אלשאהד אלעגול eod. ſenſu. *VULG. teſtis repentinus.* Conſenſus antiquiſſimarum verſionum, ipſiusque Chaldæi, pondus mihi videtur habere. Alioqui noſtri : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum; ſed lingua mendacii, nonniſi ad momentum,* vel, *donec momentum quievero.* Seligas, Lector, quod maxime arriſerit.

v. 25.

v. 25. Ad hunc verſum vide notas LUD. de DIEU. ut & ad v. 27. quem tamen ego malim ſic interpretari : *Non aſſabit manus remiſſa feram ſuam, & quod ſubſtantiam* (h. e. opes & facultates) *hominis ſpectat, pretioſa eſt facultas hominis induſtrii.* Repetendo ſcil. voces הון־אדם.

§. XV.

Cap. 13.

v. 18. ריש וקלון פורע מוסר) *VULG. Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam. CHALD. Pauper & qui ignominioſus eſt, deſerit diſciplinam. SYR. Paupertas & ignominia ceſſare faciunt diſciplinam.* conf. c. 15: 32. Sed LXX. quos & ARABS ſequitur, in alium vertunt ſenſum, ſcil. πενίαν καὶ ἀτιμίαν ἀφαιρεῖται παιδεία. *Paupertatem & ignominiam aufert diſciplina.* Uterque ſenſus ſatis bonus eſt. Eligat Lector, quod maxime placuerit.

v. 27. LXX. hunc verſum cum auctario vel aſſumento exhibent, ſcil. *Eleemoſynis & fide purgantur peccata, timore autem Domini declinat omnis à malo.* Eos ſequuntur VULG. & AR. ſed CHALD. & SYR. hæc non agnoſcunt, uti nec quæ ad v. 28. addunt.

§. XVI.

Cap. 17.

v. 27. *Cobibens verba ſua, pollet ſcientia* : וקר רוח איש תבונות) MASORETHÆ hic pro וקר legi volunt יקר *pretioſus.* Sed verſiones pleræque retinuere & legere וקר רוח *& frigidus ſpiritu.* Germ. Kaltſinnig. oppoſ. ad animum æſtuantem, æſtum animi verbis effundentem. Sic. LXX. μακρόθυμος ἀνήρ. CHALD. ודמכיכא רוחיה *& qui humilis eſt ſpiritu.* SYR. ודנגירא רוחה *& qui longanimis eſt.* ARABS. אלרגל אלמתמחל eod. ſenſu. VULGATUS tamen : *& pretioſi ſpiritus vir.* Utraque lectio proba eſſe queat.

§. XVII.

Cap. 18.

v. 1. *Deſiderium* (ſc. ſuum) *quærit ſeparatus*, & *omni rei* (vel cauſæ) *ſe immiſcet.* Per *ſeparatum* intelligo, qui amicos & fratres deſerit, ſibi ſoli placens, ſectæ vel politicæ vel Eccleſiaſticæ autor eſſe volens, ἀποδιορίζων ἑαυτόν. Jud. v. 19. Qui talis eſt, ψυχικός eſt, ibid. ſpirituque ſapientiæ deſtitutus. Is igitur 1. deſertis regulis ſapientiæ, & poſthabito Dei verbo, quærit לתאוה *ad deſiderium*, i. e. quocunque ſuo deſiderio rapitur. 2. Rebus ad ſe non pertinentibus temere ſe immiſcet. ARABS ſecutus LXX. pro more: *Vir cupiens ſe ſeparare ab amicis quærit occaſiones*, & *in omni tempore erit vituperabilis. CHALD. Deſiderium quærit* פהיא *Vagus*, & *in omni conſilio* מצטרא *deſolatur.* Huc accedit & VULG. qui reddit: *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.* Iis igitur נפרד eſt, qui vult recedere ab amico, vel deſerere amicos, fratres, oves Chriſti, &c. Chaldæo is dicitur פְּהִיא *Vagus*, inſtabilis, ventis huc illuc agitatus. De quo videri poterit Lexicon meum Syriacum, ubi Deo favente lucem adſpexerit. Verbum vero התגלע Rabbini exponunt per התערב *immiſceri, immiſcere ſe.* Sic & capitur manifeſte c. 20: 3. *Gloria eſt viro, ceſſare* (abſtinere) *à lite, ſed omnis ſtultus implicabitur.* LXX. συμπλέκεται. Sed LXX. VULG. & AR. hic per *exprobrabilem*, *vituperabilem*, ἐπονείδιστον *eſſe.* CHALDÆUS vero per מצטרי *deſolatur.* ſcil. implicando ſe negotiis alienis confunditur. Sic Chaldæum accepiſſe puto. Obſervavi, verbum hoc התגלע non occurrere, niſi cum ריב & תושיה *lis, cauſa.* Vide Prov. 17: 14. c. 18: 1. c. 20: 3. Chald. מלכנא *conſilium.* Ergo notio *implicandi* & *immiſcendi ſe*, non male quadrat. Audiamus de hac voce AVENARIUM in Lexico: גלע *involvit ſe aliis negotiis, immiſcuit ſe alie-*

nis

nis rebus & curis. Cognationem habet cum גלל *volvit, &* קלע *circumrotavit, ut ſi quis circumrotando tandem ſe ingerit. Contrarium eſt verbo* געל *averſatus eſt, abhorruit à quopiam.* Hæc Avenarii obſervatio credibile mihi facit, interpretes eos, qui illud התגלע per ἐπονείδιςον εἶναι, *vituperabilem, deſolatum,* &c. reddunt, id revera reddidiſſe qſ. התגעל.

v. 11. *Abundantia divitis urbs fortitudinis ejus, & ſicut murus elevatus* במשכתו) poſterius membrum ſic reddunt interpretes. *VULG. & quaſi murus validus circumdans eum.* LXX. ἡ δὲ δόξα αὐτῆς μέγα ἐπισκιάζει. *CHALD. & quaſi murus elevabitur habitaculum ejus. SYR. & intra murum fortiſſimum habitaculum ejus. AR. & magnificentia earum* (ſc. divitiarum) *glorificat illum ſummopere.* Hæc omnia non attingunt emphaſin vocis משכית במשכתו eſt *imago, effigies*, ſive extus in pariete depicta, ſive intus in cerebro & animo efformata. Verti igitur queat *imaginatio.* Sic משכיות לבב ſunt *imaginationes cordis.* Pſ. 73: 7. Recte ergo PISCATOR: Und wie eine hohe Mauer in ſeinen Gedancken; oder, in ſeiner Einbildung; uti BELGÆ habent. q. d. Salomon: Equidem abundantia divitis urbs munita, & murus elevatus & inexpugnabilis ipſi videtur eſſe, in ſtolida ſua imaginatione. Unde felicitate ſua ſuperbit & gloriatur. Sed לפני שבר יגבה לב איש, *ante fracturam & ruinam animus hominis ſuperbire incipit.* v. 12. Superbiam preſſo pede inſequitur ruina & calamitas, c. 16: 18. ut diſcat & videat, quam infirmo præſidio nixum fuerit cor ejus, & quod ipſius משכית ipſum peſſime deceperit. Aurea igitur Salomonis ſententia, quam v. 10. habet, quam altiſſime animis noſtris infixa hæreat: *Turris fortiſſima eſt nomen Jehovæ; in eam curret juſtus, atque ſublimabitur.*

§. XVIII.

§. XVIII.
Cap. 19.

v. 22. תאות אדם חסדו) LXX. CHALD. SYR. & AR. hunc verſum ſic exponunt: *Deſiderium hominis eſt ejus gratia*, vel *miſericordia*, h. e. eleemoſyna, ea reddit eum deſiderabilem. Sed quia ſub fin. v. 21. dictum eſt: *Conſilium Jehovæ id ſtabit.* Exiſtimo חסדו ſignificare *gratia ejus*, h. e. gratia, charitas & miſericordia Domini; Ea, inquam, deſiderium hominis eſſe debet. Hanc qui obtinet, etſi *pauper* ſit, præſtat tamen *diviti mendaci*, h. e. ſolido gratiæ bono deſtituto.

§. XIX.
Cap. 20.

v. 30. חברות פצע תמריק ברע) VULG. optime: *Livor vulneris abſterget mala: & plagæ in ſecretioribus ventris.* Recte תמריק *abſterget*, ut ſit fut. Hiph. MASORA legit תמרוק *abſterſio.* חברות vero ſunt μώλωπες, ὑπώπια. Dubito, an mens Salomonis ſit, vitia ſervorum plagis inflictis vibicibusque, h. e. flagellis impactis, emendari, maxime cum addatur: *& plagæ in ſecretioribus ventris.* Quare mihi in mentem venit locus Jeſaiæ c. 53: 5. ובחברתו נרפא לנו *& vibice ejus ſanatio ſit nobis.* conf. 1. Petr. 2: 24. Ad ſanationem vero noſtram plurimum contulere paſſiones ſecretæ animæ Chriſti, de quibus hic Salomon: *& plagæ in ſecretioribus ventris.* Ecce verum תמרוק *abſterſorium malorum* noſtrorum, quod Paulus tam magnifice deprædicat Rom. c. 6. Col. c. 2. & S. Petrus 1. Petr. c. 2. & c. 3. Certe ſeveritate Legis & plagarum ex rigore Legis transgreſſoribus inflictarum mala, h. e. peccata & vitia hominum non abſterguntur. Semper enim recurrit quod v. 9. h. e. dicitur: *Quis dicet, emundavi cor meum, purus ſum à peccato meo?* Sed Deus *fide in Chriſtum, ejusque vulnera & vibices*, purificat corda Gentium. Act. 15: 9.

§. XX.

§. XX.

Cap. 21.

v. 7. (שד רשעים יגורם Aquila, notante DRUSIO, hoć vertit: προνομὴ ἀσεβῶν καλασπάσει αὐτὰς. *Vaſtitas impiorum detrahet eos detrahet*, h. e. deorſum trahet, quin & abripiet. Certe גר apud ARABES eſt *trahere, raptare*. CHALD. יעלנון *tollet eos*. VULG. *Rapinæ impiorum detrahent eos*. Recte. *BUXTORFIUS, diſſecabit eos*. Quod minus placet.

§. XXI.

Cap. 22.

v. 22, 23. *Ne diripias tenuem, quia tenuis eſt, & ne conteras afflictum in porta, quia Dominus litigabit litem eorum*, (וקבע את קבעיהם נפש) verbum קבע hic venire debet notione diripiendi, expilandi, ſive vi ſive fraude, ut reſpondeat verbo גזל, quod v. 22. eſt. Alioqui CHALD, & SYR. verbum קבע notat *fixit, affixit*, ἔπηξε, Hebr. 8:2. quin & *cruci affixit*. Col. 2:14. Hinc & AQUILA hoc loco: καὶ καθηλώσει τὰς καθηλώσαντας αὐτὸν, *& configet eos, qui confixerunt eum*. Sed extat locus Malachiæ c. 3:8. ubi vox קבע venit notione diripiendi. היקבע *num diripiet homo Deum, quod vos diripitis me? Dixiſtis: In quo diripuimus te?* Ubi verbum קבע ter occurrit, notione, ni fallor, *deſpoliandi, diripiendi*. LXX. tamen πτερνιεῖ, πτερνίζετε, *ſupplantabit, ſupplantatis*. qs. leg. עקב. vide Gen. 27:36. ubi ἐπτέρνικεν habent. Ergo verbum קבע eſt *diripuit, deſpoliavit*, vel vi vel fraude, adeoque *ſupplantavit*. Sic קבע & עקב ſatis affinia ſunt ſignificatione, uti & conveniunt literis. Senſus ergo eſt, ne deſpolies pauperem & afflictum, neque vi evertas, ne fraude ſupplantes, nam & ipſe Dominus, ceu juſtus judex, jure talionis uſus, te deſpoliabit, evertet, ſupplantabit; quin ſi cruci affixeris eum, uti Judæi Chriſtum, ipſe Dominus καθηλώσει

σει τὰς καθηλώσαντας αὐτόν. Quod num Judæis acciderit, vide JOS. de *Bell. Jud.* CHALD. & SYR. h. l. *Ulciſcitur injuriam animæ eorum illatam.* Reddendo ſc. par pari.

v. 27. (אל תהי בתקעי כף בערבים משאות *Ne ſis inter percutientes volam, inter fidejubentes debita.* Veteribus datio dextræ, vel manus in manum inſertio, promiſſionis vel fidejuſſionis teſſera erit. Hinc & Gr. ἐγγυάω, *ſpondeo, data dextra, porrecta manu,* qſ. manum ἐν γύιῳ h. e. in manum alterius inſerens. Qui mos etiamnum apud noſtrates obtinet. Sic ערב eſt *ſpondere* miſcendo manus, manum manui inſerendo. c. 6: 1. c. 17: 18. Sic Græcis δίκην ἐγγυᾶσθαι καὶ ἀναδέχεσθαι, i. q. ἐγγύην ὁμολογεῖν, vadimonium promittere. ἐγγυαλίζω in manus trado, infero, ἔγγυος ſponſor. Hebr. 7: 22. Multa de hiſce congeſſit *WAEYENUS in Variis Sacris.*

§. XXII.

Cap. 24.

v. 6. (כי בתחבלות תעשה לך מלחמה תחבלות ſunt conſilia rectoria politica, à prudentibus Conſiliariis ſuppeditata, vel à prudente Rege capta. Vide c. 1: 5. & c. 20: 18. derivo à חבל *gubernator nauticus, nauclerus.* Ezech. 27:8,29. Jon. 1:6. Rempublicam cum navi comparari, diſc[illegible]el ex HORATIO: *O Navis, referent te in mare novi fluctus.* Quod ergo in navi eſt gubernator, id in Republica eſt Rector. Experientia & prudentia opus eſt ad bene regendam navem, nocte intempeſta, & mari ſæviente. Sic & ad bella feliciter gerenda, & finienda, prudentia haud exigua requiritur, quam dabunt preces ad Deum fuſæ, confirmabitque rerum uſus & experientia. LXX. Μετὰ κυβερνήσεως γίνεται πόλεμος.

IV. JOH.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

IV.

JOH. GEORGII ALTMANNI, P. P.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-EXEGETICA, DE CREATURA GEMENTE,

In Rom. VIII. v. 19 - 23.

v. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τȣ̃ Θεȣ̃ ἀπεκδέχεται.

v. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, ȣ̓χ ἑκȣ̃σα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα.

v. 21. Ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δȣλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τȣ̃ Θεȣ̃.

v. 22. Οἴδαμεν γὰρ, ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τȣ̃ νῦν.

v. 23. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τȣ̃ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τȣ̃ σώματος ἡμῶν.

v. 19. Nam ſollicita obſervatio creaturæ exſpectat revelationem filiorum Dei.

v. 20. Nam vanitati creatura ſubjecta eſt, non ſua ſponte, ſed propter eum, qui ſubjecit.

v. 21. In ſpe, quod & ipſa liberanda ſit ex ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

v. 22. Scimus autem, quod omnis creatura ingemiſcat & parturiat usque nunc.

v. 23. Non tantum autem, ſed & ipſi, primitias ſpiritus habentes, & nos in nobismet ipſis gemimus, adoptionem exſpectantes, redemtionem corporis noſtri.

Argumentum.

§. I. Diſſertationis occaſio deſcribitur. Auctores primarii, qui in hanc rem ſcripſerunt, enarrantur. Diſſertationis ſumma exhibetur. §. II. Communiſſima ſententia exponitur & brevibus examinatur. §. III. Variæ doctorum atque diverſæ ſententiæ in hunc locum proponuntur. §. IV. Probatur, Caput Septimum & Octavum hujus Epiſtolæ ſpectare Judæos. Fuiſſe Romæ Judæos poſt Tiberii & Claudii contra eos Edictum, probatur. §. V. Nexus verborum exponendorum ex Capite Septimo arceſſitur, atque aſſeritur, illud totum ſpectare ad Judæos. §. VI. Nexus Capitis Octavi usque ad verſum decimum nonum inveſtigatur, atque hæc omnia itidem ad Judæos referuntur. §. VII. Verſus decimus nonus propius expenditur; *Obſervatio ſollicita* quid ſit, deſcribitur atque explicatur. §. VIII. *Sollicita obſervatio* hæc ſolis poteſt tribui & adſcribi Judæis, quod

quod variis argumentis probatur. Objectioni quorundam, proſopopoeiam in hoc loco aſſerentium, obviam itur. Quæ fuerit exſpectatio Meſſiæ apud gentem Judaicam, declaratur. Judæi vocantur Filii Dei. §. IX. Verſus 20. exponitur; ματαιότης, de qua Paulus, eſt Lex Ceremonialis, quod plurimis rationibus evincitur; Quis ſit ſenſus verborum, quod *hæc creatura non ſua ſponte ſe ſubjecerit*, exponitur. Finis hujus ſubjectionis docetur. §. X. Verſus 21. explicatur. Iſraelitæ erant in ſpe liberationis à jugo ceremoniarum, quæ debebat adferri tempore Meſſiæ. Quid ſit δουλεια φθορας, illuſtratur, illamque nihil aliud eſſe, quam ſervitutem ceremonialem, quæ debebat abrogari, probatur. §. XI. Verſus 22. explanatur. Creaturam Gementem eſſe Judæos ſolos, Meſſiam & promiſſam cum eo liberationem exſpectantes, aſſeritur. Objectiones contra hanc ſententiam occurrentes ſolvuntur. §. XII. Gemitus & ad pariendum conatus conſideratur atque explicatur. §. XIII. Quid Paulus intelligat per *primitias ſpiritus*, ex Philologia exhibetur. Hæc verba iterum ad ſolos Judæos pertinere aſſeritur. Doctorum in hanc rem verba adducuntur. Diſſertationi finis imponitur.

§. I.

Occaſionem ſcribendæ huic Diſſertationi fecit haud ita pridem Vir plurimum Venerandus atque Clariſſimus, JACOBUS ZEHENDER, Eloquiorum divinorum in Templo Cathe-

drali Bernenſi interpres facundiſſimus ; qui cum pro ſua eruditione quaſdam in hoc loco Paulino difficultates indicaſſet & explanaſſet, accuratiori meditationi hæc verba, quæ à multis inter Pauli δυσνοητα recenſentur, ſubjicere conſtitui. Illam autem, poſt ſollicitam inveſtigationem, meam feci ſententiam, quæ, niſi omnia me fallunt, magnis dehinc nodis implicita non videbitur, dummodo lector amicus in expendenda nova hac ſententia ſibi otium tribuere velit, ut novam hanc aſſertionem per omnes ſuas partes cohærentem inſpicere & conſiderare dignetur. Meum jam in hoc loco non eſt, vel Veterum vel Recentiorum Philologorum ſententias prolixe enarrare, & illas longiori examini ſubjicere; Fecerunt id Viri doctiſſimi, *GOTTHARDUS HEIDEGGERUS in Recreationib. Sacr. parte 2. p. 155. & ſeq.* in quatuor Prælectionibus de hoc themate habitis. *WOLFIUS in Curis Philologicis & Criticis ad h. l.* atque *GEORG. LUDOV. RHODIUS* in peculiari Diſſertatione, in *Miſcellan. Duisburgenſib. à Cl. GERDESIO* editis, *Tom. 2. p. 451. &c* Illas autem brevibus tantum enarraſſe ſufficiet. Quam firmo autem ſtent fundamento, bonus atque æquus harum rerum judex ex plana noſtræ ſententiæ expoſitione judicabit. Præſentibus autem atque certis argumentis nos probaturos confidimus, per hanc CREATURAM GEMENTEM non hoc univerſum, non orbem gentilem, ſed *ſolos Judæos* eſſe intelligendos. Ut autem eo facilius quilibet hanc noſtram ſententiam in totum hunc locum, in quo Paulus de hac *creatura gemente* inde à verſu 18. uſque ad 24. agit, intelligat, neceſſarium eſſe exiſtimavimus, horum verborum PARAPHRASIN, ex ſyſtemate noſtro in hunc locum, heic præmittere; ex qua, tanquam ex brevi tabella, quilibet videat, qua mente quaque ratione hæc explicanda & intelligenda ſint. *Nam ex ſollicita obſervatione ſignorum tem-*

poris

poris creaturæ, h. e. Judæorum, facile colligimus, illos exſpectare revelationem filiorum Dei, h. e. Judæorum, qui in ſcriptis V. Teſtamenti hoc nomine gaudent. Nam quia creatura Judaica Vanitati, h e. Legi ceremoniali, quæ vana eſt atque tranſitoria, ſubjecta eſt, propter Chriſtum, qui per Moſen illam Legi ſubjecit, ſpes illi hoc modo facta eſt, quod illa lex ceremonialis non perpetuo duratura eſſet, ſed quod populus Judaicus ex hac legis ceremonialis ſervitute (quæ corruptioni eſt obnoxia quia abolenda,) tranſiturus eſſet in libertatem filiorum Dei; Novimus autem, quod omnis creatura, h. e. omnis vel univerſus populus Judaicus, ingemiſcat, exoptans adventum Meſſiæ, & parturiat, hoc eſt, afflictiones in adventu Meſſiæ à prophetis prædictas, tanquam dolores partus Meſſiæ perferat ad hoc usque tempus, quo jam præſtitus eſt Salvator mundi. Ingemiſcit autem non tantum tota hæc Judæorum natio, ad Chriſtum nondum converſa, ſed & nos diſcipuli Chriſti, qui jam primitias ſpiritus accepimus, nos ingemiſcimus, non ea mente qua Judæi increduli, Meſſiam exſpectantes, ſed nos deſideramus adoptionem, & redemtionem corporis noſtri.

§. II.

Ut autem eo melius candidus Lector, vel varias Doctorum in hunc locum ſententias & explicationes, vel noſtram ex oppoſito poſſit dijudicare, dicendum: communem & plurimis hactenus receptam fuiſſe ſententiam illorum, qui ſtatuunt, per *Creaturam gemebundam* intelligendam eſſe rerum omnium, etiam brutarum, compagem, quæ anhelet liberationem à ſervitute corruptionis, quam nunc patitur; atque in hanc ſententiam abit, cum quibusdam Patribus, COCCEJUS & alii Viri Docti plurimi. Sunt vero plurima, quæ hanc ſententiam nobis non admittendam eſſe ſuadent. Ne jam dicam, proſopopoeiam eſſe tantam, ut etiam modum figuræ Rhetoricæ vere ſuperet, quæ brutis animantibus, atque rebus inanimatis, deſiderium, anguſtiam, voces, geſtus,

gemitus, dolores partus, ſervitutem, liberationem, gloriam, &c. adſcribit. Hinc omnino recte de hac explicatione dicit Rev. *GEORG. LUD. RHODIUS in Diſſert. ad h. l. p. 461.* quod hæc poſitio peccet in hypotheſi, qua nititur, & in ſcopo ſermonis Apoſtoli; quod optime obſervatum.

§. III.

Aliam tuendam ſibi ſumſit ſententiam *TRILLERUS in Examine quorundam locorum N. Teſt p. 55.* qui per κτίσιν intelligit angelos; Sed hæc opinio certe talis videtur, ut prolixa refutatione opus non habeat. Ab angelis ad homines, ſpeciatim vero gentiles, hactenus nondum converſos, intelligendos deſcendit celebris LOCKIUS, quem preſſo pede ſequitur JONCOURTIUS, cujus ſententiam prolixius expoſuerunt Auctores *Actor. Erud. Lipſ. ad ann. 1716. p. 447.* Cur autem hanc ſententiam non poſſimus noſtram facere, impedit præſertim verſus 19. in quo Apoſtolus dicit, *quod creatura anxie expectet revelationem filiorum Dei.* Quis autem mihi ſignificabit, quomodo gentilibus, revelatione omni deſtitutis, tribui poſſit ſollicita obſervatio & deſiderium adoptionis in numerum filiorum Dei. A gentibus non converſis ad converſas procedit *CLERICUS, in ſuo ad notas Hammond. ad h. l. additam.* Huic vero ſententiæ repugnat nexus omnis dictorum Apoſtoli in capite ſeptimo & octavo, ut poſtea prolixius, cum ad noſtram ſententiam probandam ventum erit, demonſtrabimus. Fortioribus autem argumentis nixam explicationem exhibuit *LAMPIUS, in Commentario ad Pſ. 45. p. 567.* qui ſenſu latiori hæc omnia accipienda contendit his verbis: „ Quidam ad inſtantem Eccleſiæ „ inter gentes, præcipue in Imperio Romano, ſtabi„ litionem, alii ad univerſalem Judæorum & Genti„ um in fine mundi converſionem, alii ad conſum-

„ mationem mundi univerſalem poſt reſurrectionem „ mortuorum, ab Apoſtolo collimari putant. Ego „ vero cenſeo, Paulum hæc omnia ſimul intendere „ potuiſſe, & vere intendiſſe; & mox poſtea p. 569. „ Potius ideo creaturam myſticam hic intelligimus, „ ſub cujus univerſitate Eccleſia, tam militans quam „ triumphans, comprehendi poteſt, unam panegyrin „ in œconomia N. Teſtam. conficiens. Impedit autem, quo minus ſententiæ Viri Magni accedamus, lata nimis ſententiæ expanſio in omnis creaturas, etiam illas, quæ æterna fruuntur gloria, & de quibus certe dici non poteſt, quod adhuc ſint vanitati obnoxiæ; Notandum etiam, quod Apoſtolus aperte dicat, illam creaturam eſſe gementem, *quæ congemiſcit & parturit*, una cum illa quæ *primitias ſpiritus acceperit*; Hoc autem non quadrare in illos beatos cœli incolas, quilibet facile animadvertit. Alia autem argumenta, quæ contra hanc ſententiam objici poſſent, videbimus, cum in ſtabilienda noſtra ſententia occupati erimus. Non tandem omittenda ſententia *LIGHTFOOTI in Hor. Hebr. ad h. l.* qui per hanc creaturam gementem *omnes gentiles vel mundum omnem ethnicum* ſubaudit, hoc potiſſimum motus argumento, quod Evangelium fuerit prædicandum *πασῃ τῃ κτισει*, Marc. 16 : 15. & Coloſſ. 1 : 23. atque Judæi orbem gentilem vocarint כל חבריות. Hanc etiam ſententiam latius ſibi explanandam ſumſit Rev. & Doctiſſ. *RHODIUS in Miſcell. Duisburg. Tom. 2. p. 465.* Quæ vero in hac aſſertione obveniant difficultates, jam verbo diximus, in brevi ad ſententiam *Lockii* & *Clerici* epicriſi. Magno quidem labore & molimine id egit ſupra laudatus *Rhodius*, ut hanc ſtabiliret explicationem; ſed pace Viri Docti, rationes illæ & doctæ & ingenii acumine allatæ, tantæ mihi hactenus eſſe non videntur, ut in illius caſtra diſcedere poſſim. Cum hac etiam conciliari poteſt illuſtratio *JOH.*

GOTHOFR. LAKEMACHERI in Bibl. Brem. Claſſ. VII. p. 619. ſtatuenius, quod quidem ſperni non poſſit explanatio illorum, qui ſtatuunt mundum gentilem intelligi debere; hac addita obſervatione, quod probabile ſit, Paulum in his reſpexiſſe ad opinionem Judæorum, in adventu Meſſiæ innovationem & reſtitutionem mundi aſſerentium. Ad hanc vero novam dilucidandi rationem optime reſpondet Rev. atque Doctiſſ. *WOLFIUS in Cur. Philolog.* ad h. l. quod non ſit credibile, Paulum in veritate certa & indubitata ad falſam Judæorum opinionem reſpexiſſe, per quam gens illa variis præjudiciis imbuta, in falſa de adventu Meſſiæ ſententia fuiſſet corroborata.

§. IV.

Enarravimus jam tanta, quanta fieri potuit, brevitate, Eruditorum in hunc locum Paulinum ſententias. Ad noſtram jam probandam & confirmandam nos convertimus. Lectori vero certa & perſpicua noſtra fiet explanatio, cum Nexum verborum Apoſtoli loquentis recte inveſtigaverimus; ex hoc enim omnis noſtra fluet, tanquam è ſcaturigine deducta, explicatio. Antequam autem ad nexum ſermonis Apoſtolici accedamus, pauca præmittenda videntur, ad ea confirmanda, quæ in ſequentibus exponenda erunt. Cum enim in eo ſimus, ut probemus, totum Caput Septimum & Octavum in ſe continere orationem Pauli ad Judæos; paucis demonſtrandum eſt, tempore Apoſtoli plurimos Romæ fuiſſe Judæos. Hoc enim licet certum & manifeſtum ſit, ut plurimi id largiuntur interpretes; nihilominus tamen non ſine ſplendida argumenti ſpecie objici poteſt, pugnare contra fidem hiſtoricam, Romæ tum temporis Judæos fuiſſe, cum primo ſub Tiberio, teſte *JOSEPHO, Antiq. Lib. XVIII. c. 3. p. m. 879. edit. Havert.* & mox poſtea ſub Claudio, teſte *LUCA, Actor.*

Actor. 18 : 2. & SUETON. *in Claudio, cap.* 25. fuerint ejecti & expulſi. Ad hanc objectionem non ſufficit reſpondiſſe cum quibusdam: aut non omnes Judæos Roma fuiſſe ejectos: aut plurimos ſtatim ex locis peregrinis iterum Romam deveniſſe; ſed dicendum eſt, quod inde à tempore Cæſaris ingens Judæorum turba Romæ habitaverit. Erant autem iſti Judæi Romæ habitantes diſparis fortunæ, quidam enim Jus Civitatis Romæ obtinuerant, alii autem hoc beneficio non gaudebant, ſed in tanto hominum confluxu quocunque modo, vel nefariis artibus magicis, vel mercatura, victum quærebant. Plurimos vero Judæos Jus Civitatis Romanæ habuiſſe, nobis manifeſtum atque certiſſimum eſt ex Edictis, Senatus Conſultis, & publicis monumentis, à *JOSEPHO* in hanc rem allatis, *Antiq. Lib. XIV. cap. 9. p. m. 699. & ſeq.* Extat etiam apud PERSIUM locus ſatis apertus, ex quo colligimus, quanta ſolemnitate Judæi Romæ habitantes natales Herodis celebraverint, *Sat. 5. v.180.*

Herodis venere dies, unctaque feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus recutitaque Sabbata palles.

Ex his Judæis vero Romæ commorantibus illi haud dubie urbe fuere ejecti, qui non tantum Jure Civitatis carebant, ſed etiam plebs flagitioſa, turpis & inutilis, habebantur; In urbe ergo illis tantum locus conceſſus, qui & Civitatis jure, & honeſtioris vitæ fama gaudebant. Ad hos, ſedem laremque Romæ habentes, Paulum potiſſimum reſpexiſſe, in iis locis in hac ſua epiſtola, quæ ad ſolos referri poſſunt Judæos, certum eſt. Hæc breviuſcule præmittenda videbantur, cum non ſufficiat dixiſſe, Romæ fuiſſe Ju-

 dæos,

dæos, nulla tamen addita ratione, quomodo ibi poſt geminam ejectionem potuerint commorari.

§. V.

Eſt ergo certum, magnam fuiſſe Romæ Judæorum copiam, ad quos Paulus ſæpius in hac epiſtola, tanquam fratres ſuos, legis Moſaicæ peritos provocat. Ad *Nexum* jam accedimus, cum in illo futuræ noſtræ explanationis fundamentum conſiſtat, quo liquide deducto & demonſtrato, reliqua plana videntur omnia. Hunc autem petimus inde ab initio Capitis Septimi, in quo Paulus hanc ſuam concatenatam orationem, quæ usque ad finem Capitis Octavi perdurat, orditur; imo etiam in ſequente Capite Nono plurima, ex mente quorundam Theologorum, ad ſolos Judæos ſpectant. Primum autem & invictum argumentum, ſermonem in *capite ſeptimo* ſpectare ad Judæos Romæ habitantes, haud dubie ex eo peti debet, quod ſtatim verſu primo dicit: *γινωσκουσι γαρ νομον λαλω, loquor autem legem cognoſcentibus.* Propoſuerat equidem Apoſtolus in capitibus præcedentibus quatuor argumenta, ad veritatem juſtitiæ fidei aſſerendam; ſed illa non tam directe ex œconomia legali videntur deſumta, ut hæc, quæ jam profert capite ſeptimo & octavo; licet ego Cl. BRAUNIO contradicere nolim, qui aſſerit, quod jam capite ſecundo, tertio, quarto, imo quinto & ſexto, plurima ſint, quæ ad Judæos ſolos pertineant. *Select. Sacr. Lib. 1. c. 2.* Scopus vero Apoſtoli eſt ſtatim ab exordio capitis ſeptimi, docere fratres ſuos Judæos, quod non amplius ſint ſub dominio legis, ſed quod per abrogationem legis facti ſint alterius domini, nempe Chriſti, atque planiſſima comparatione hoc demonſtrat: *An ignoratis fratres*, inquit, *legem tantiſper dominari homini quamdiu illa vixerit; nam fœmina maritata viventi viro devincta eſt per legem, quamdiu is vixerit, ſi vero mortuus fue-*

fuerit, liberata eſt à lege viri. Hominem ergo conſiderat cum lege in triplici ſtatu, vel conditione triplici. Primo, ut conjugem marito amatam, in ſtatu integritatis, in quo Adam erat conſtitutus, cum ſanctus prodiiſſet ex manu Creatoris, & in quo ab hoc marito omnem felicitatem expectare & accipere potuiſſet. Secundo, ut adulteram, quæ nihilominus manet ſub poteſtate mariti, cujus voluntati & imperio ita eſt ſubjecta, ut omnem pœnam & mortem ab illo debeat exſpectare; & talis eſt homo poſt lapſum, qui legem dicentem audit, *maledictus qui non fecerit verba legis,* Deut. 27: 26. atque ſub hac jam relatione populus Judaicus proponitur à propheta Eſaj. 50: 1. *Sic fatur Jehovah, ubi eſt libellus divortii matris veſtræ, quo eam dimiſi? ecce propter iniquitates veſtras venditi eſtis, & propter transgreſſiones dimiſſa eſt mater veſtra.* Tertio tandem, ut mulierem ab imperio & poteſtate huius mariti liberam & jam alteri junctam, cum hic maritus, ſcil. lex, jam ſit mortua, 2. Cor. 11: 2. hæc autem mulier jam ſit facta ſponſa Chriſti illam redimentis ab execratione legis. Nemo jam eſt, quantum confido, qui non videat, quod hac demonſtratione Apoſtolus Judæis uſum legis in temporibus N. Teſtamenti, contradiſtincte ad jugum V. Teſtamenti, voluerit depingere. His jam poſitis, clariſſimo argumento infert Apoſtolus, Judæos non amplius eſſe ſub lege, ſed ſub gratia, in qua juſtitia Chriſti ſe habet ad ſanctificationem hujus ſponſæ, ut cauſa juris ad iſtam gratiam nobis imputandam cum dono fidei. Ab hac demonſtratione pergit Paulus, comparando effectus legis ſine gratia, verſu 7. usque ad 12. effectus vero legis per gratiam, à verſu 12. usque 24. quæ omnia vero prolixe docet & probat *COCCEJUS in ſuo Commentar. ad h. l.* atque *MOMMA in Not. analyticis ad Epiſt. ad Rom. p. 481. & ſeq. SAL. van TIL in Opere Analyt. Tom. 2. p. 528.* ad quos etiam lectorem

 remit-

remittimus, cum brevitatis ſtudium prolixioribus eſſe jam non permittat.

§. VI.

Declaravit in præcedentibus, capite præſertim ſeptimo Apoſtolus, legem eſſe abolitam, juſtificationem è fide per Chriſtum adductam, atque jus ad vitam nobis acquiſitum atque donatum; & exinde jam fidelium de his certitudinem ad futuræ hæreditatis poſſeſſionem infert, cujus fructus & teſtimonium ſit πληροφορια, bonæ & tranquillæ conſcientiæ gloriatio; Hanc autem certitudinem, ut ex præcedentibus longa rationum ſerie ex oppoſitione legis mortuæ & legis ſpiritus deduxerat, ita nunc ſubſequentibus adhuc argumentis fratres ſuos, hujus juſtitiæ fidei, & liberationis ab omni condemnatione legis certos reddit, ex adoptione, ex fine creaturarum ad gloriam filiorum Dei anhelantium, & ex primitiis Spiritus S. per iſtam gratiam ſe manifeſtantibus. Quæ omnia prolixe probare poſſemus, ſi ulla in his remaneret difficultas. Cum autem ex unanimi Theologorum conſenſu hæc omnia ſibi cohæreant, atque concatenatam orationem nobis ob oculos ponant, hoc labore prolixiori ſuperſedemus. Fecit autem id prolixe & pro ſua eruditione *J. HENR. HEIDEGGERUS in ſuo Comentar. ad Epiſt. ad Rom. p. 57. & ſeq.* Nullum ergo poteſt remanere dubium, finem atque concluſionem totius ratiocinii de uſu & relatione legis ſub œconomia Vet. & Nov. Teſtamenti ad illos etiam ſpectare, ad quos ſuum ſermonem direxerat Paulus, nimirum ad Judæos. Primum ergo argumentum, quo Paulus præcedentem aſſertionem & demonſtrationem de Juſtitia fidei, & inde pendente futura glorificatione probat, deſumtum eſt ex eo, quia adoptamur in filios Dei; Atque ſatis conſtat, quod adoptio ſit effectus juſtificationis, cum qua conjungitur libertas Chriſtiana,

na, tanquam neceſſarium conſequens adoptionis, quia qui in numerum filiorum atque hæredum eſt cooptatus, filiali libertate Deo ſervit. Hæc autem ut communis eſt omnibus electis & juſtificatis, nihilominus tamen præcipue credentibus Iſraelitis primario adſcribitur, & quidem in ipſa hac Epiſtola cap. 9:4. cum Paulus ad eosdem hos ſuos fratres ſcribit, *quod illorum ſit adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legislatio, & cultus, & promiſſiones.* Ratio haud dubie inde petenda, quia Deus Iſraelem volebat primo invitari ad bona fœderis gratiæ, *cum eſſet filius primogenitus*, Exod. 4:22. Inde in hac relatione Iſraelitæ magnis præ gentibus gaudebant prærogativis. Licet autem, ut dictum, adoptio pertineat ad omnes fideles & juſtificatos ex omnibus gentibus, inde à mundi natalibus usque ad finem ejus collectos & colligendos; nihilominus tamen in hoc loco Paulus ſpecialiter loquitur de adoptione Iſraelitarum, quod liquidiſſime ex eo videmus, quia opponit verſu 15. *ſpiritum ſervitutis & timoris, ſpiritui adoptionis;* Erat autem hic ſpiritus ſervitutis & timoris ſub œconomia Vet. Teſtamenti, cum Iſraelitæ eſſent ſub pædagogia legis, ſub jugo ceremoniarum, ſub poteſtate elementorum mundi, in ſtatu ſervorum ſeveriori domino ſubjectorum Gal. 4:1. ſub tutoribus atque curatoribus, qui Judæos arctius cultui Levitico & obſervationibus legalibus adſtringebant ſub pœna mortis. Ergo Apoſtolus in hoc primo argumento, ad probandam juſtitiam fidei & liberationis ab omni condemnatione, iterum alloquitur Judæos, opponens, ut ſemper in his duobus capitibus, 7. ſcil. & 8. ſtatum ſervilem in Vet. Teſtamento, & ſtatum adoptionis & libertatis in diebus glorioſis Nov. Teſtamenti; & ex hac oppoſitione luciſſime patet, ſermonem eſſe Apoſtolo de adoptione Judæorum credentium. Quod etiam roborat vocula πάλιν, reſpectiva ad tempora V. T. præcedentia.

tia. Ex perpetua ergo collatione œconomiæ temporis Veteris Teſtamenti, & libertatis Novi Teſtamenti, quam Paulus in hoc toto capite octavo usque ad verſum 19. inſtituit, colligi poteſt, etiam ſequentia ex eadem hac connexione eſſe intelligenda & explananda; ut jam in ſequentibus clarius adhuc videbimus.

§. VII.

Propius nunc tandem ad rem noſtram accedimus. Poſtquam ex nexu demonſtratum fuit, quam directe omnia præcedentia hactenus ad Judæos debeant applicari, exinde concludimus, quod etiam ea, quæ *de creatura gemente* videnda erunt, de Judæis debeant intelligi; ſi probare poſſimus, omnia illa verba *PAULI* inde *à verſu 19. usque ad 23.* in Judæos ita quadrare, ut de nulla alia re æque commode poſſint intelligi. Verba Doctoris Gentium in commate 19. hæc ſunt: Ἡ γαρ ἀποκαραδοκια της κτισεως την ἀποκαλυψιν των υἱων τȣ Θεȣ ἀπεκδεχεται, quæ ita vertenda ſunt: *Nam ſollicita obſervatio creaturæ expectat revelationem filiorum Dei.* Vocem ἀποκαραδοκιας interpretes omnes hactenus vertunt per *ſollicitam exſpectationem*, atque hunc etiam ſignificatum obtinet apud Lexicographos. Interim non minus ſignificat ſollicitam rei alicujus *Obſervationem.* Videmus hoc eſt *JOSEPHO de bello Jud. Lib. III. c. 7. p. 240. edit. Haverc.* ἀποκαραδοκει δε την ὁρμην των βελων, *ſollicite obſervat impetum telorum.* Probat etiam ex Polybio *RAPHELIUS in Annot. Philolog. ad N. T.* quod ἀποκαραδοκια denotet *Obſervationem alicujus adventus.* Componitur autem ex præpoſitione ἀπο, ex καρα vel καρη, *caput*, & δοκαω vel δοκευω, quod *obſervare*, *videre*, *exſpectare*, &c. ſignificat, quia homines aliquid obſervantes erecto capite illud obſervant, ut hæc latius *DIETERICUS in Antiq. Bibl. p. 131. SCHWARZIUS in Commentar. Ling. Græcæ p. 160.* & alii exponunt. Germanice, ſecundum vim

Græcæ

Græcæ vocis, hæc ita vertenda eſſent: und darum erwartet die Creatur mit aufgerichtetem Haupt die Offenbahrung der Kindern Gottes. Quid autem aliud eſſe poteſt hæc *ἀποκαραδοκια*, quam ſollicita ſignorum adventum Meſſiæ præcedentium, ut & Meſſiæ promiſſi, & ſecundum oracula prophetarum venientis Obſervatio. Nota erant Judæis ſigna temporis, in quo manifeſtandus erat in carne Meſſias; Indeque Judæi in ſcriptis V. Teſt. nobis proponuntur, ut in ſpecula advenientem diem & ſalutem exſpectantes conſtituti; & hinc non fideles tantum, vera fide eum amplectentes, ad exemplum Simeonis in templo Luc. 2: 25. ſed communiter Judæi omnes, illum enixe obſervabant & exſpectabant, quia futuram ab illo redemtionem ex ſervitute ſibi promittebant. Probat hoc Cl. *SCHOETGENIUS in Hor. Hebr. p. 263.* quem exſcribere nolumus, ut & *VITRINGA Obſervat. Sacr. Lib. V. cap. 6. p. m. 89.* Hinc beneficia, quæ in adventu Meſſiæ ſibi promittebant, magiſtri Judæorum vocabant, הגאולה העתידה *redemtionem futuram*, & התשועה העתידה *ſalutem futuram.* Ut ergo ſenſus clarus & apertus emergat, dicendum, quod per *ἀποκαραδοκιαν* intelligenda ſit *obſervatio* & accurata contemplatio omnium illarum rerum memorabilium, quæ eventuræ eſſent proxime ante adventum Meſſiæ, quæ Judæis certa erant inſtantis nativitatis Salvatoris mundi teſtimonia. Hæc omnino ita explicanda, ut omnis apparens tolli poſſit obſcuritas; nam ex hac obſervatione certi erant Judæi in expectatione Meſſiæ jamjam advenientis. Si vero *ἀποκαραδοκιαν* vertamus per exſpectationem, obſcuritas oboritur; quis enim liquidus ſenſus in hac verſione, *ſollicita exſpectatio creaturæ exſpectat revelationem filiorum Dei?* Ita hæc verba ex Græco textu tranſtulit *verſio vulgata*; an autem huic verſioni lucidus ſenſus inſit, an claritas & perſpicuitas ſpiritui ſancto ubique familiaris in illo inveniatur, judi-

judicabunt omnes, quibus vel mica ſanæ mentis conceſſa eſt. Notat etiam ad loc. citatum ex Luca *LIGHTFOOTUS in Hor. Hebr. p. m. 492.* quod Judæi omnes Meſſiam expectaverint, atque inde etiam nihil frequentius fuerit, quam jurare per deſiderium ſuum videndi hanc conſolationem. Sed hæc ita nota & apud Philologos obvia, ut probatione longa neutiquam opus habere mihi videantur. Ex his autem bonus lector jam facile colliget, quod hæc expectatio, ſive ſedula obſervatio, in nullam rem æque commode quadret, ac in Judæos. Sententiam illam communiſſimam, atque Viris Doctis etiam receptam, de expectatione in res omnes transferenda, nolo attingere, illa enim, mihi certe, refutatione neutiquam opus habet. Qui autem immanem, ſtupendam & horrendam illam proſopoeiam ſtatuere volunt, atque rebus inanimatis ſuſpiria tribuere; faciant, non impedio. Facile equidem ſentio, Viros Doctos mihi objecturos: tales fere proſopoeias in ſcriptis V. Teſtamenti, apud Prophetas præcipue, occurrere; tales habemus Pſal. 93 : 3. 96 : 11. Eſaj. 1 : 2. 49 : 13. 55 : 1. Jer. 4 : 28. Joel. 1 : 18. & quæ forſan alia exſtant proſopopoeiarum in ſacris literis exempla. Sed ad hæc facile reſpondemus, quod illa loca ex ſenſu ſcripturæ propheticæ ſint explicanda, & in quibus ſub nomine, cœli, terræ, pecudis agri, fluviorum, montium, aliud quid, quam inanima hæc elementa intelligenda; ut hæc ex regulis Theologiæ Typicæ & Emblematicæ ſatis ſunt nota & cognita. De hoc vero certi ſumus, quod in his Pauli verbis talis ſtatuenda foret proſopopoeia, quæ admitti plane nequit; cum non tantum ſuſpiria & deſiderium huic creaturæ gementi tribuatur, ſed & obſervatio revelationis filiorum Dei, imo, quod plus eſt, ſpes libertatis filiorum Dei. Quis autem dixerit, quod hæc ad aliam creaturam, quam rationalem, ſimulque in myſteriis

ſalutis

ſalutis eruditam, referri poſſint ? Sed liceat mihi Viros Doctos, hanc expectationem ad gentiles etiam transferentes, rogare, undenam illa *ſollicita obſervatio* gentilium, & unde illis ſpes & obſervatio adveniat liberationis filiorum Dei, qui de Deo, fœdere gratiæ, de Meſſia venturo, ignominioſam mortem ſubituro, Eccleſiam per omnes terræ partes erecturo, nihil exaudiverant ? Cujus erat expectare, quam illorum, quibus & facta & cognita erat promiſſio ? qui ſentiebant jugum humeris ſuis impoſitum, & anhelabant illam à magiſtris ſuis jactatam ſalutem & redemtionem. Tribuitur vero hæc ſollicita obſervatio τῃ κλισει, *creaturæ*. Vox hæc diverſo admodum ſenſu occurrit tum apud LXX. tum etiam in ſcriptis Novi Teſtamenti; & hinc recipere debet hic illam explicationem, quæ huic loco aptiſſime convenit; ſignificat enim & res creatas omnes, ſæpius mundum, hominem, naturam animi, & mentis affectiones, magiſtratus civiles, &c. Cum autem κλισις ſignificet ſæpiſſime homines nondum ad ſtatum fidelium & gratiæ translatos, Marc. 16: 15. Col. 1: 23. non video, quid impediat, quo minus etiam Judæi nondum hactenus ad Chriſtum converſi hoc nomine veniant. Sed longo verborum apparatu opus non eſt; Probat hanc noſtram aſſertionem verbis clariſſimis & lucidiſſimis Apoſtolus Jacobus, ad Judæos ἐν τῃ διασπορα ſcribens, cap. 1: 18. Βȣληθεις ἀπεκυησεν ἡμας λογω ἀληθειας, εἰς το εἰναι ἡμας ἀπαρχην τινα των ἀυτȣ κλισματων. *Is qui voluit, genuit nos ſermone veritatis, ut eſſemus primitiæ ejus creaturarum.* Quilibet vel leviter attendens, videt, quod hic locus ita pro nobis militet, ut nulla plane objectioni ratio ſit relicta; Judæos vocat Jacobus & κλισμα, vel κλισιν; quod idem eſt & ab eodem themate deſcendit, atque primitias, ut Paulus in loco quem præ manibus habemus verſu 23. Hinc rectiſſime BLACKWALLUS Anglus, qui quantum novi ſolus eſt, qui eandem

dem mecum fovet ſententiam, in *Critica Sacra* p. 314. *Hæ duæ* φρασεις, *habere* ἀπαρχην πνευματος, *& eſſe* ἀπαρχην τινα των τȣ Θεȣ κτισματων, *meo quidem judicio, ejusdem ſunt poteſtatis; hominem vero nondum ſalutariter emendatum, ſive Judæus ſive Græcus ſit,* της κτισεως *voce deſignari, hinc imprimis concludo, quod* καινη κτισις, *emendatus dicitur homo,* Gal. 6: 15. Et hæc quidem ſufficere poſſunt ad probandum, quod hæc ſollicita obſervatio creaturæ nemini tribui poſſit, quam Judæis.

§. VIII.

Cuinam tribuendus ſit ſollicitus proſpectus, jam vidimus. Ad ſequentia nunc recto pede pergendum, in quibus rationem declarat Paulus, qui ſit ſcopus & ratio obſervationis hujus; eſt autem *revelatio filiorum Dei.* Hæc vero obſervatio & deſiderium ſecundum illam, quam dedimus, explicationem, includit omnia illa magnifica Dei, Patribus V. Teſtamenti facta promiſſa, quæ felicem ſtatum temporum N. Teſtamenti ſpectant, contradiſtincte ad ſervitutem Vet. œconomiæ. Noverant Judæi, ſe eſſe filios Abrahami ſecundum carnem, jactabant ſe, ſibi factas cum excluſione gentium promiſſiones, ſe ſolos habere jus accedendi ad Deum, nihilominus tamen non omnem hactenus tanti beneficii ſenſum habebant; imo potius aperte dicit Deus apud Prophetam Jeremiam, *quod eos neglexerit*, quæ verba repetit Paulus Hebr. 8: 9. κἀγω ἠμελησα αὐτων; Factum hoc quidem in tota œconomia Vet. Teſtamenti, cum Deus Judæos duriori dominio ſubjecit, ſpecialius vero eos puniendo per gentes vicinas, vel alias pœnas iis imponendo. Atque inde Judæi omnes liberationem expectabant. Hinc etiam prædicabant de Meſſia, eum futurum ſummum Sacerdotem, imo Filium Dei, qui nos gratos poſſit facere Deo, ut hæc prolixe enarrat *PHILO JUDÆUS, de vita Moſis, Lib. 3.* & ex aliis inſuper Judæo-

Judæorum ſcriptis id exponit *BRAUNIUS in Commentar. ad Hebr. p. 422.* Qui erant fideles Judæi, quorum cor Spiritus Sanctus illuminavit, illi anhelabant ardenti deſiderio videndi hunc Meſſiam, qui gloriam eorum univerſo mundo declararet, atque hoc modo & ſuam gloriam & majeſtatem, & filiorum ſuorum ſplendorem & felicitatem in altiſſimam lucem collocaret. Quoties autem Deus in ſcriptis V. T. Iſraelitas *filios ſuos* vocarit, hoc loco repetere neutiquam neceſſarium duco, vide Exod. 4 : 22. Deut. 14 : 1. Eſaj. 63 : 16.

§. IX.

Pergendum nunc ad verſum 20. qui ita ſe habet: Τῃ γαρ ματαιοτητι ἡ κτισις ὑπεταγη, ὐχ ἑκυσα, ἀλλα δια τον ὑποταξαντα. Quam apte iterum hæc Pauli verba cum ſyſtemate noſtro conveniant, etiam videbimus. Quæ eſt illa ματαιοτης, cui creatura, de qua eſt quæſtio, Judæi ſcil. eſt ſubjecta? Mihi hæc ματαιοτης eſt totum jugum Ceremoniale, quod Judæis fuit impoſitum, *propter eum qui ſubjecit*, hoc eſt propter Filium Dei, quem adumbrabat, exhibebat, præfigurabat; Ideo certe lex erat Pædagogus ad Chriſtum, ut eodem hoc jugo ad fidem in Meſſiam deducerentur. Quod ſi vidiſſent Judæi, etiam hoc onere per fidem ſuam maxima parte fuiſſent ſublevati. Ne autem temerarius videar, legem ceremonialem ματαιοτητα vocando, facile, quantum confido, poterimus probare, ſub hoc nomine choragium illud rituum Leviticorum eſſe intelligendum. Ματαιον Græci vocant, non rem tantummodo vanam atque inanem, ſed communiter rem, quæ magnam utilitatem non præſtat; probavit hoc ad hunc locum *CLERICUS in additam. ad Hammondum ex Luciano*, quæ jam deſcribere nolumus, videatur ipſe. Hunc etiam ſenſum hæc vox obtinet apud *SEXT. EMPIRIC. PYRRHON. Hypotypos. Lib. 2. c. 16. p. m. 113. edit. Fabric.* Ἐαν ὐν ὑπομνησα-

μεν, ὅτι πρὸς οὐδέτερον τούτων χρησιμεύουσι, περιτρέψομεν οἶμαι πᾶσαν τὴν γεγενημένην περὶ αὐτῶν παρὰ τοῖς Δογματικοῖς ματαιοπονίαν. Si igitur docuerimus, ad neutrum horum utiles eſſe, evertemus, meo quidem judițio, omnem circa has vanum Dogmaticorum laborem. Plura teſtimonia nolo adponere, nec certe opus. Ita ſecundum noſtram datam interpretationem, hæc ceremoniarum ματαιότης eadem plane eſt cum illa inutilitate, de qua Paulus Hebr. 7 : 18. de cultu Levitico loquens dicit: Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται προαγούσης ἐντολῆς, διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές, *Abolitio enim facta eſt prioris mandati, propter ejus infirmitatem & inutilitatem.* Quam legem ergo Paulus ad Hebræos ſcribens vocat *inutilem*, hanc eandem ad Judæos Romanos ſcribens vocat *vanam*; quia hominem juſtificare non poteſt, & per quam nec Judæus, nec Græcus, licet eam rigide obſervaret, vitam conſequi poſſet; ut inde à Propheta Ezechiele hæc lex dicitur *ſtatuta non bona*, cap. 20: 25. & ab Apoſtolo *στοιχεῖα τοῦ κόσμου elementa mundi.* Gal. 4: 3. Col. 2: 8. Quid jam majorem ſecum fert claritatem & probationis vim? Quod Paulus vocat in hoc loco, quem præ manibus habemus, vanum, illud appellat in alio loco *infirmum & inutile.* Huic legi ceremoniali Iſraelitæ erat ſubjecti, nec tamen per illam ſalus illis ulla erat expectanda; quid ergo juſtius, quam hanc legem cum vanitate comparari? Reliqua hujus verſus manum tendunt iis quæ diximus. Legi & jugo ceremoniarum creatura omnis Judaica fuit ſubjecta, ſed non ſponte, ſed coacti fuere ad hoc jugum maximum portandum; Deus enim illis hoc impoſuit, ut hoc ſatis conſtat, nec explicatione vel probatione indiget. Quis ſcopus fuerit Dei hanc ceremoniarum innumeram copiam imponendi, jam attigimus. Finis Dei erat ex una parte, ut populum ad idololatriam proclivem puniret, ex altera, ut cottidie Judæos per has umbras figurasque ad futurum

Meſſiam

Meſſiam deduceret. Si vero per hanc vanitatem vellemus intelligere illam fragilem, pereuntem atque vanidam, non legis ceremonialis, ſed rerum humanarum, formam & aſpectum, quorſum quæſo delaberemur? An de Deo poteſt dici, quod ipſe creaturas vanitati ſubjecerit? An non ipſe homo per lapſum ad vanitatem ſe præcipitem dedit? Quis dixerit, quod creatura non ſua ſponte, ὀυχ ἑκουσα, *non voluntarie*, ſed propter eum, qui ſubjecit illam, vanitati, hoc eſt conditioni fluxæ atque fugaci, fuerit ſubjecta.

§. X.

Pergimus ad conſideranda verba commatis 21. Ἐπ ἐλπιδι, ὁτι και αὐτη ἡ κτισις ἐλευθερωθησεται ἀπο της δουλειας της φθορας, εἰς την ἐλευθεριαν της δοξης των τεκνων του Θεου. *In ſpe, quod & ipſa creatura liberanda ſit à ſervitute corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum* **Dei**. In hoc verſu huic creaturæ adſcribitur *ſervitus corruptionis*, quæ opponitur libertati gloriæ filiorum Dei. Docet vero in his Paulus, quod illa ματαιοτης, de qua in verſu præcedenti, non ſit vel perpetuæ vel longioris durationis, ſed quod vanum hoc Leviticum jugum datum fuerit cum *ſpe liberationis à ſervitute corruptionis*. In his δουλεια της φθορας, idem eſt, quod in verſu præcedenti ματαιοτης, ut mox videbimus. Subjecti fuerunt Iſraelitæ Vet. Teſtamenti jugo ceremoniarum, non ut perpetuo hæc durarent, ſed ut ab his mundi elementis liberarentur. Atque omnis ille ceremoniarum apparatus docebat Judæos, hæc diutius durare non poſſe, quam usque ad adventum Meſſiæ, in quo hæc omnia ſuum habitura forent implementum. Hinc patres dicuntur προηλπικοτες, *anteſperantes*, Epheſ. 1:12. ut hoc etiam de Judæis explicat Celeberr. *ROELLIUS in Commentar. Epiſt. ad Epheſ. p. 995.* cum dicit: *Judæi ſperaverunt ante Chriſti adventum in mundum, quando gentes & hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem nondum*

 habe-

habebant, Epheſ. 2: 12. *Chriſtus erat ſpes Iſraelis, ejus adventum & redemtionem per ipſum ſecundum promiſſiones patribus factas duodecim tribus enixe ſperabant, & expectabant*, Actor. 28: 20. & 26: 6. 7. *& ideo ſtatus illorum merito dicitur ſtatus ſpei.* Atque iterum notandum, quod hanc ſpem ſoli Judæi habuerint, cum ſoli ſub veteri œconomia eſſent גוי קדוש *gens ſancta, peculium*, Exod. 19: 5. Deut. 7: 6. ſoli erant *filii Dei*, Exod. 4: 22. Deut. 14: 1. Eſaj. 63: 16. Ratio eſt, quod Deus his Iſraelis filiis *ſolis dederit mandata & ſtatuta, non autem reliquis gentibus.* Pſal. 147: 20. Habebat autem pro objecto ſuo hæc Iſraelitarum ſpes *Libertatem à ſervitute corruptionis.* Fideles ſub V. Teſtamento liberi non erant, ſed erant ſub ſervitute; Hinc in hoc verſu utriuſque œconomiæ ſtatus & deſcribitur & opponitur, libertas ſcil. ſervituti. Hæc autem haud dubie conſiſtebat in cottidiana coactione ſcribendi chirographum per ſacrificia contra ſe ipſos, in ſubjectione ſervili, qua parebant patribus carnis & innumeris præceptis ceremonialibus, ita ut non ſervi tantum, ſed *& vincti & captivi fuerint*, Eſaj. 61: 1. conſtituti in *fovea, in qua non eſt aqua*, Zach. 9: 11. Dicitur vero hæc ſervitus δυλεια της φθορας *ſervitus adſtricta rebus infirmis.* Ita certe φθορα adſcribitur præceptis ceremonialibus, plane ut hic Col. 2: 22. Poſtquam enim ibi Apoſtolus locutus fuiſſet de elementis mundi atque dogmatibus ceremonialibus, addit: Ἁ ἐςι παντα εἰς φθοραν, quæ omnia ſunt infirma, nullam conſolationem vel pacem conſcientiæ adferentia. Ergo δυλεια της φθορας eſt ſtatus ſervilis occupatus circa res, non magnum comodum, nec perennem felicitatem nobis adferentes. Talis erat conditio Judæorum, in cultu Levitico externo occupatorum, quique corruptioni & infirmitati, poſt Chriſtum abolendus, erat ſubjectus. Oppoſitum ſervitutis, infirmitatis, ſive corruptionis, eſt *libertas gloriæ*, de qua jam prolixius nolumus diſſerere.

rere. Nemo eſt qui neſciat, libertatem eſſe palmarium bonum Novi Teſtamenti : hinc etiam in omnibus ſyſtematibus prolixius hæc ſolent tractari, ad quæ etiam lectorem remittimus. *LAMPIUS* per hanc libertatem gloriæ intelligit maximum gradum perfectionis fidelium, hanc ſubjungens rationem, quia fideles non poſſint gaudere maxima libertate, quamdiu aliquid adeſt, quo detinentur ad omnia ea exequenda, quæ ad ſummum Deo honorem reddendum pertinent. *Exercit. in Pſal. 45. p. 582.*

§. XI.

Devenimus nunc ad ea verba, quæ hactenus tantum noctis & caliginis plurimis interpretibus habuiſſe videntur, cum Apoſtolus verſu 22. ita ſcribit : Ὀιδαμεν γαρ, ὁτι πασα ἡ κτισις συςεναζει, καὶ συνωδινει ἀχρι νυν. *Novimus, quod tota creatura congemiſcat, & una parturiat uſque nunc.* Ex iis, quæ jam dicta ſunt, quilibet hæc verba facile intelligit. Diximus jam ſupra, nos per *creaturam*, cujus frequens in hac pericopa mentio, intelligere Judæos ſolos. Huic creaturæ tribuitur primum *ſollicita* Meſſiæ & felicioris œconomiæ *expectatio* verſu 19. huic creaturæ etiam tribuitur *vanitatis ſubjectio*, verſu 20. Ipſi adſcribitur *ſpes liberationis* verſu 21. & nunc tandem *gemitus & dolores parturientium ;* Ergo eadem eſt *creatura*, cui hæc adſcribuntur, nec contra ſe invicem ullatenus pugnant, ſed hæc omnia ſunt juſtiſſimo ordine ſubordinata. *Congemiſcit* hæc creatura, ex ratione verſu vigeſimo & vigeſimo primo jam allata, quia eſt vanitati, jugo duro & acerbo, ſervituti ad nihil proficienti, ſubjecta. Quæ jam variæ & fere infinitæ ſint de hac creatura ſententiæ, jam ab initio Diſſertationis diximus. Ego vero jam bonum lectorem teſtem compello, & aſſertionis noſtræ arbitrum, an non ex iis, quæ jam occupata ſunt, luciſſimis argumentis & rationibus fluat, Paulum in hoc

loco intellexiſſe fratres ſuos Judæos, tanto deſiderio Meſſiam petentes, flagitantes, exorantes & expectantes. Neminem autem, quantum novi, hactenus legi, qui ſolos Judæos ad hanc creaturam ſuſpirantem & anhelantem referat, quam ſolum *ANTON. BLACKWALLUM in Crit. Sacr. N. T. pag. 314.* Anglum, quem nuper Latina civitate donavit Chriſtoph. Wollius. *Itaque*, inquit, *vi* ἀντιθέσεως ἡ κτίσις *eſt gens Judaica, eaque fide Servatori nondum devota & conſecrata.* Quædam etiam, licet pauca, argumenta attulit Vir Doctus, quibus hanc ſuam firmaret ſententiam, plura haud dubie & fortiora additurus, ſi rem totam, qualem haud dubie concepit, longis rationibus voluiſſet fulcire. Sed hoc loco reſpondendum ad argumentum fortiſſimum, & quod plurimis vere Achillæum videbatur, & illis præſertim, qui το παν, rerum univerſitatem, nobis pro creatura gemebunda obtrudunt, dicentes, quod *omnis creatura ingemiſcat.* Ergo, ſi omnis ingemiſcit, dicunt, non ſoli Judæi. Facile reponimus, quod hæc eadem illa ſit creatura, de qua jam ſæpius Paulus fuerat loquutus. Tota ergo Judæorum natio collective ſumta vocatur πασα κτισις, ſcil. omnis Judæorum populus; facile enim ſine mora videmus, quod Apoſtolus non omnes creaturas, nec omnes gentes intelligit, quia ſtatim in verſu ſequenti hanc univerſitatem reſtringit, dicens, *non ſolum autem illa, ſed & ipſi, qui primitias ſpiritus habemus, ingemiſcimus.* Ergo Paulus ſub nomine *creaturæ gementis* non intelligit creaturas novas, qui primitias Spiritus Sancti jam acceperant, & ideo etiam ſub nomine πασης κτισεως nulla quærenda creaturarum rationalium univerſalitas. Hæc mihi adeo clara videntur, ut nulla difficultas locum admittere poſſit. Norunt etiam interpretes omnes, quod vocula πασα non ſemper in ſcriptis N. Fœderis ita univerſaliter ſit accipienda, ut non ſæpius potius magnum hominum nume-

numerum, quam omnes indiſcriminatim homines ſignificet, cujus rei exempla Theologi plurima producunt. Cum ergo dicitur, quod omnis *creatura ingemiſcat & parturiat*, de toto Judæorum, Meſſiam cum promiſſa liberatione expectantium, populo intelligendum eſt. Aperte enim diſtinguitur à πασῃ κλισει, illa quæ jam primitias Spiritus Sancti acceperat. Ergo πασα κλισις eſt natio Judaica, nondum illuminata. Nec certe gentes, minus adhuc creaturæ reliquæ, ſive animatæ ſive inanimatæ, promiſſiones de futuro hoc Liberatore & Servatore ignorantes, ingemiſcere poſſunt; nam verum illud tritiſſimum, *ignoti nulla cupido*; tribuitur vero non *gemitus* tantum, ſed & ad *pariendum conatus*.

§. XII.

De hac vero creatura, quam ſupra deſcripſimus, dicit primo Paulus, συςεναζει, *una congemiſcit*, tantum ergo valet quod συν ςεναζει. En quam apte & egregie hoc iterum univerſæ genti conveniat Judaicæ, quæ non quaſi ore & pectore ſuſpirat, omnis vel tota illa gens *gemit*, preſſa jugo legis, preſſa illo tempore, quo Apoſtolus hæc ſcribebat, Sceptro Romano, gens libera in alienam & peregrinam redacta poteſtatem, gentilium & idololatrarum horrens capiſtrum; Una ergo tota illa natio gemebat, optans, anhelans, calidis precibus expetens, illum Goelem promiſſum, à quo ſibi terreſtria potius & mundana comoda, quam ſpiritualia promittebat. Noverant Judæi, tempus adventus Meſſiæ per ſigna à Prophetis deſcripta adveniſſe, inde quid optatius, quid gratius, evenire potuiſſet, quam magni liberatoris adventus? Merito ideo illum gemitu, ſuſpiriis, precibus, imo & lacrymis provocabant & accerſebant. Pergimus ad *dolores partus*, in quibus exponendis hactenus interpretes artem ſuam & induſtriam fruſtra collocaſſe videntur;

Inveniunt equidem figuras Rhetoricas, ſecundum quas hæc exponunt, ſed, quam convenienter, nondum video. Magnus ſcripturæ interpres *LAMPIUS in Commentar. ad Pſal. 45. p. 583.* pro ſuo ingenio, & ad hunc locum ſyſtemate, dolores partus tribuit Eccleſiæ Vet. Teſtamenti ad Eccleſiam ex gentibus per jugum ceremoniale & varias tribulationes producendam, & quaſi pariendam. Hæc equidem & non alia de his partus doloribus dici potuerunt, ſecundum ſyſtema, quod ſibi Vir Clariſſimus pro explicando hoc loco fecerat. Ut autem nobis clarum fiat, quid Paulus intelligat per hunc pariendi *creaturæ gemebundæ conatum*, dicendum primo eſt, dolorem partus nemini haud dubie tribui poſſe, quam mulieri gravidæ; aliter qui faceret, is apud ſanos omnes inſigniter inſaniret. Cum autem Meſſiam, ut jam ſæpius dictum, anxie admodum exſpectarent; Atque illis facta fuiſſet promiſſio, eum exiturum ex medio illorum, illum futurum filium Davidis, fratrem eorum, Eccleſia Judaica in hoc loco conſiderari debet generaliter tanquam mater, ex qua Meſſias ſecundum carnem exiturus eſſet; Lucem autem, ſecundum prophetarum oracula, erat viſurus eo tempore, quo res Judæorum futuræ eſſent in ſtatu afflicto & anxio, *ablato Sceptro*, Gen. 49: 10. cum ſecundum vaticinium Iſaaci *fractum fuit jugum fratris Eſavi*, quod à Jacobo, hoc eſt, à Judæis, Idumæis fuerat impoſitum, Gen. 27: 40. regnante Herode Magno, qui Romæ nomen Regis fuerat conſequutus, atque hoc modo unus ex poſteris Eſavi regnavit in Judæos; Cum *judices Iſraelis virga fuere percuſſi in maxillam*, Mich. 5: 1. hoc eſt, urbs Hieroſolyma per Pompejum in Romanorum fuit tradita imperium, cum *cœlum & terra fuit commota*, Hagg. 2: 6. hoc eſt, varia Dei judicia in Judæos, antequam domus ſecunda gloria Meſſiæ impleretur, effuſa, annonæ caritas, pluviæ defe-

defectus, peſtilentiæ, hoſtium arma, interni motus, per totam Palæſtinam comparerent. Omnia hæc erant dolores partus, antequam naſci potuit magnus ille ſerpentis antiqui debellator. Teſtes habemus ipſos Judæos, qui dicunt, quod Meſſias naſci non poſſit, niſi poſt præcedaneas graviſſimas calamitates, ut hæc exponit magnus Scripturæ interpres *VITRINGA Obſervat. Sacr. Lib. V. cap. 6. p. m. 89.* his verbis: *Judæorum communis eſt perſuaſio, ſalutem ſibi promiſſam circa extrema mundi tempora repræſentandam non eſſe, niſi poſt præcedaneas afflictiones & calamitates graviſſimas, quas illi* חבלי משיח *dolores Meſſiæ vocant.* Plura de his *MEUSCHENIUS in Nov. Teſtam. ex Talmude illuſtrato, p. 1181.* Et hæc ſunt, quæ mihi de his ὠδίναις ex ſcopo Pauli dicenda videntur. Hos dolores tribuit huic creaturæ ἄχρι τῦ νῦν, *uſque nunc*, ſive uſque ad illud tempus, quo Apoſtolus hæc ſcribebat. Senſus eſt, quod licet comparuerit & natus fuerit Meſſias, Judæi tamen nihilominus eum non agnoſcant, non videant, ſed adhuc expectent & optent, & quod adhuc ſentiant illam anxietatem, quæ evenire debebat tempore adventus Meſſiæ.

§. XIII.

Illa quæ ſequuntur in verſu 23. qui ultimus eſt, qui nobis conſiderandus venit, egregie adhuc noſtram fulciunt & muniunt ſententiam, cum ait: Ὀυ μόνον δὲ ἐκεῖνα, ἀλλὰ καὶ ἀυτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς ἀυτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ϛενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν τῦ σώματος ἡμῶν. *Non ſolum autem illa, ſed & ipſi, qui primitias ſpiritus habemus, & nos ipſi in nobismet ipſis gemimus, adoptionem expectantes redemtionem corporis noſtri.* Ex hoc verſu facile colligimus, quod illi haud dubie peccant, qui ex præcedenti verſu univerſalitatem omnium creaturarum inferre tentant. Opponitur vero creatura ingemiſcens creatu-

ræ, quæ primitias ſpiritus accepit. Docet autem Paulus fratres ſuos Judæos, ſe eundem cum illis fidem, ſpem, conſolationem & requiem, concipere & expectare. Omnis ſpes repoſita erat in futuro illo promiſſo liberatore; Judæi hunc futurum expectabant, Paulus hunc præſtitum amplectitur, ideo ulteriores fructus atque beneficia ab eo expectat, redemtionem ſcil. corporis ſui; Adoptionis ergo non jus modo, ſed & fructus & complementum, per redemtionis meritum & efficaciam, quæ omnia modo perfectiſſimo in altera demum vita conſummanda erunt. Paulum vero ad ſolos loqui Judæos, iterum nos hoc convincit argumentum, quia voce utitur ex ſacris Judæorum deſumta, atque gentilibus plerisque, converſis & non converſis, ignota. Judæos enim fratres ſuos, hactenus ad Chriſtum converſos, vocat ἀπαρχας, reſpiciens haud dubie ad תרומות *primitias*, quas Judæi offerebant, Nehem. 13: 5. & quæ datæ fuere Sacerdotibus in templo miniſtrantibus. Notandum tamen, quod Judæi diſtinctionem omnino fecerint inter *primitiva*, & *primitias*, illa בכורים, has autem תרומות vocabant. Diſtinctionē ſatis obſcuram & confuſam Philologi fere omnes adferunt, ex qua, quid diſcriminis ponendum ſit, non facile liquet, hinc etiam quidam primitiva & primitias unum & idem faciunt, vel potius confundunt. Differentia autem hæc ponenda, quod *primitiva*, ſive בכורים, conveniant cum illis oblationibus ſacris, quas Græci vocant πρωτογεννηματα, Exod. 23: 19 Deut. 26: 2. erantque munera ſacra, quæ de frugibus integris in templum adferebantur, ſcil. de uvis, ficubus, malogranatis, olivis & dactylis. Spectabant ergo primitiva primos fructus, quales afferebant eo modo, quo creſcebant. Alia autem ratio *primitiarum*, quas Græci vocant ἀφαιρεματα & ἀπαρχας των γεννηματων, has non eo modo, quo ex terra erant enatæ fruges, ſed

ad eſum & uſum paratas dabant; qua ratione potiſſimum à בכורים diſtinguuntur, atque ex mente Judæorum quinquageſima pars frugum debebat offerri, quam oblationem ſub communi nomine των תרומות comprehendebant. Prolixius de his *SPENCERUS de Legibus Lib. 3. cap. 9. p. 74. edit. Tubing.* nec non *JOH. CONRADUS HOTTINGERUS* in erudito opere *de Decimis Hebr. p. 118.* Quomodo vero fideles ex Judæis nomine *primitiarum* venire poſſint, jam nobis explicavit ſupra laudatus *ANTON. BLACKWALLUS Critic. Sacr. p. 313. Non incommode,* inquit, *Judæi iis jamjam temporibus ad Chriſtum recens converſi, in quo Paulus tum fuit numero,* ἀπαρχας πνευματος *primitias ſpiritus habere dicuntur; cum cauſam appellationis hanc eſſe puto, quoniam hi reliquos fratres ac cives, quotquot Salvatori nondum ſeſe devoverant, tempore antecedebant, atque adeo prius quam illi, eximiis Novi Teſtamenti privilegiis perfruebantur,* ἀπαρχη *enim eſt* תרומה, *id quod ante decimas Deo ſacrabatur, unde dici cœpit de omnibus iis, qui alios tempore antecedunt. Vide Rom. 11: 16. 1. Cor. 15: 20. 23. & 16: 15. Jac. 1: 18.* Conſimiliter exponit *GLASSIUS in Philolog. Sacr. Lib. V. cap. 13. p. m. 1892. Credentes dicuntur habere primitias ſpiritus, quemadmodum Iſraelitæ ex primitiarum oblatione ſpem concipiebant reliquarum frugum, ſuo tempore, Deo benedicente, accipiendarum, ita credentes ex donis Spiritus Sancti concipiunt ſpem plenitudinis gaudiorum cœleſtium & meſſis illius glorioſæ; Quidam de ſolis Apoſtolis intelligunt, qui primitias, hoc eſt, primos fructus Spiritus Sancti acceperunt, ceu in quos primo effuſus eſt Spiritus Sanctus miraculoſe, Act. 2. Sed prior explicatio ſimplicior, & ſcopo Apoſtoli conformior eſt.* Hæc Virorum Doctorum in hunc locum commentatio nobis ad illuſtrationem poteſt ſufficere. Perplacet GLASSII ſententia, qui ἀπαρχας τυ πνευματος refert ad omnem illam primitivæ Eccleſiæ, Hieroſolymitanæ præſertim, ex Judæis potiſſimum collectæ fidem

&

& Evangelicæ doctrinæ illuſtrationem. Conſimilia ex variis Scripturæ interpretibus etiam ad hunc locum collegit Rev. atque Clariſs. *JOH. CHRISTOPHORUS WOLFIUS in Curis Philologicis & Crit. ad h. l.* quem jam exſcribere nolumus, cum in omnium ſit manibus. Prolixe autem atque erudite, ut ſolet, primitiarum Judaicarum ad primitias ſacras applicationem & tractationem nobis exhibuit *LAMPIUS in Fœdere Gratiæ, Tom. III. Sect. 2. p. 1172.* ad quem, tanquam uberrimum fontem, lectorem remittimus. Reliqua vero hujus verſus verba magnam difficultatem non habent, ea tamen latius illuſtravit *COCCEJUS in ſuo Commentar. in Rom. ad h. l.*

Habes jam in his, mi lector, brevibus atque ſimpliciſſimis verbis, (grandiſona enim atque calamiſtrata aliis relinquo;) depictam in hunc locum vexatum noſtram meditationem; ſua ſe illa, quantum confido, naturali ſimplicitate commendabit. Si autem cuidam in his erraſſe videar, ut talem amplexus ſententiam, quæ non ab omnibus difficultatibus ſit libera, ille me certe magno alligabit beneficio, ſi meliora & certiora mihi detexerit. Bonum vero lectorem obnixe rogamus, ut judicare velit, an non admiſſa hac explanatione omnia inter ſe cohæreant, ut facile ex nexu & concatenatione difficultates omnes ſolvi poſſint. Si autem quædam remaneant, quantum confidimus, tantæ non erunt, ut non plures & longe majores in omnibus hactenus expoſitis explicationibus inveniantur. Facile fuiſſet dilatare prolixius argumenta, hanc noſtram aſſertionem firmantia, ſed noſter ſcopus hic non erat. Pauca attento lectori ſufficient, plurima ad aliam hæc explanandi viam deflectenti ſatis non erunt; in hoc ergo merito conquieſco Catone.

TANTUM.

V. GOTT-

* *

V.

GOTTHARDI HEI-DEGGERI, TIGURINI, PETRUS LAPSUS.*

Argumentum.

§. I. Cum Cingulo Aaronis comparantur Opera Sanctificationis. Cur Deus Petri Lapſum permiſerit? §. II. Prædictio ejus. Scopus Satanæ Petrum tentantis. §. III. Lapſus triplex cum præcipuis circumſtantiis deſcribitur. §. IV. Petrus lapſus non penitus fidem amiſit. Perſeverantia Fide-

* Quum paginæ aliquot complendæ reſtarent, non alienum ab hujus Collectionis ſcopo viſum, ſi (cum Cel. Editoris & Benev. Lectoris venia;) ab interitu vindicaremus Diſſertatiunculam Viri, dum viveret, Ingenii acumine & fertilitate, atque Eruditionis multiplicis apparatu, innumeros alios plurimum ſuperantis; uti vel ex hoc primitiarum Specimine cognoſci poteſt, quod Anno 1687. ſub Moderamine *JOH. CASPARI WOLPHII*, S. Theol. Prof. & t. t. Scholarchæ, in publicæ συζητήσεως argumentum fuit propoſitum. Natus autem erat *Deodunaus Gentangulus* (quemadmodûm Ven. *SAMUEL WERENFELSIUS*, Theologus Baſil. longe Celeberrimus, Authoriſque olim Amicus non vulgaris, Ne-

Fidelium adſtruitur & vindicatur. Perronius & Bellarminus taxantur. §. V. Obſervantur nonnulla de Gallicinio; Marcus cum ceteris Evangeliſtis conciliatur. §. VI. Accedente Chriſti adſpectu Petrus converſus, pœnitentiamque ſeriam lacrymis amaris & trina confeſſione teſtatus. § VII. Uſus Practici indigitantur. §. VIII. Romanus Pontifex Petri eſt Succeſſor nonniſi in Abnegatione Chriſti.

* *

PETRUS Chriſtum abnegans.

§. I.

De Aaronis cingulo, aſpero ſignis & ſculptura ornatuque protuberante, Exod. 39: 5. dicitur ממנו הוא כמעשהו; hoc eſt, ut verſio noſtra vernacula reddit: *Veluti ex ipſo procreſcebat*. Opera ſanctificationis in ſacris cingulo comparari infrequens non eſt. Vide 1. Petr. 1: 13. Luc. 12: 35. Quod cingulum tam affabre factum applicatumque eſt, ut dici de ipſo poſſit ממנו הוא כמעשהו: *Ex ipſo*, ſcil. homine, *illud tanquam opus ejus*. Attamen οὐκ ἐξ ἡμῶν, ait Apoſtolus. Verum ut Bezaleel ibi faber eſt, ita hic artifex Dei digitus,

men Ejus latine vertit. *V. Werenf. Opuſc. p. 660.*) Tiguri d. 4. Aug. 1666. in numerum V. D. M. receptus 1687. & poſtquam, tum apud Rheguſcos, tum Rorbaci in Agro Tigurino, per plures annos Eccleſiæ Paſtorem egiſſet, factus tandem A. 1705. Inſpector Collegii Alumnorum; In quo munere obiit d. 24. Martii, A. 1711. à Hæmorrhoidibus frequentibus & Hydrope confectus, cum nondum 45. annos expleſſet, Vir vita longiore, ſi quisquam, digniſſimus. Scriptorum ejus in lucem editorum Catalogum, mantiſſæ loco, Diſſertationi ſubjiciemus. J. J. H.

tus, Spiritus ſanctitatis. Dici poſſet, quod alio alicubi ſenſu Petro Servator: ἄλλος σὲ ζώσει, *alius te cinget.* Sed clare Matth. 16. cum confeſſionem ſuam edidiſſet, dixit: *Caro & ſanguis tibi hoc non revelavit*, &c. Quod nc non idem Apoſtolus, nimis aliquando ſibi fidens, ſibi ac in Perſona ſua, velut è nobili Theatro, idem, ac τὸ ὑπερβάλλον ſimul divinæ gratiæ μέγεθος, quo Jehova, ipſo illo maxime tempore, quo regni Cœlorum & N. Teſtamenti κύρωσις præ manibus erat, Θεὸς πάσης χάριτος quam luculentiſſimè evadere voluit, repræſentaret, ſtatuit πολυποίκιλος hujus ſapientia, graviſſimum ejus lapſum permittere. Quo de paucis acturo aſpiret Deus!

§. II.

Labori faber, video, deerit, non fabro labor. Ordiendum tamen. Diſerte Petro hunc lapſum Servator prædixit, Matth. 26:34. Luc. 22:24. Marc. 14:30. Joh. 13:38. Nec alio referenda eſt σινίασις illa, quam ἐξῃτήσατο Satan, precibus quaſi obtinuit; prout & alibi tentationem Jobi, & Matth. 8:31. 32. porcos intrandi copiam. Unde perſpicitur, quod mali fons ab uno Satana hic ſit arceſſendus, licet Servator, *rector & medicator mentium, ex alta providentiæ ſpecula* ante hoc *proſpiceret*. Certum itaque erat Satanæ, aut Chriſtum ut ψευδοπροφήτην traducere, quo pacto per diſcipuli latus in Magiſtrum ipſum impreſſionem moliebatur, aut ſi hoc non ſuccederet, Petrum, cujus egregia confeſſio tuſſim ipſi proritavit, egregie διασείειν.

§. III.

Ad votum proceſſit fraus. Tempus erat, animam quo in mortem effundere Goël volebat noſter, & evadere מכה אלהים, *percuſſus Deus, ſive Dei*, cum magna facilitate, ad offendendum in eo. Ut in Cajaphæ Palatium rapitur, omnes fere diſcipuli ejus, ceu

ceu grex paſtore orbatus, *in tenebras ipſi facti ſunt*, ſeu diſparuerunt, ut Pſal. 88 : 19. prædictum erat. Petrus ἀπὸ μακρόθεν ſervat veſtigia, mixto curioſitati, qua avebat videre finem Domini, pudore, quo μεγαληγορίων ſuarum memor, fugere cum cæteris adhuc ſibi interdixit; ut jam meticuloſitatem ſegniter celet, eminus ſequitur, cujus nimis πρόθυμον πνεῦμα ire in præſentem mortem pollicebatur, niſi κομπαστὴς fuit, Apoſtolus ejusmodi γαργαλισμοῖς non carens. Torquet veſtigia ad ignem, ut jam deferbuiſſe, imo conglaciaſſe, zelum ejus colligas. Non dimittens ejusmodi occaſionem veterator, mulierculam in eum expedit, quæ inter ſequaces Chriſti ipſum eſſe cauſatur. Mox plane noſtro jactatori animus ſidit; Negat. Qua fronte, Petre? Vel an *catena crepuit*, lora inſonuerunt, gladius fulſit, aut *mors prope admota magnifica verba excuſſit?* Nihil horum. Ad mulierculæ garritum Chriſtum abnegat, idque *coram omnibus*, veritus vero neminem; Saltem enim Evangeliſtam hoc addere, *ne injuria videretur Principem Apoſtolorum accuſare, MALDONATUS* dicens, helleboro opus habet. Sed videri poterat Petrus abnegaſſe Chriſtum בחפזו *in præcipitantia ſua*, niſi ad eundem denuo impegiſſet lapidem; Ut mox *eadem*, & *alia* quoque, & *alius* non nemo adoriuntur, negat iterum Petrus, nec negat ſolum, ſed negat μεθ' ὅρκου. Vix hora interjecta, Malchi, cui animoſo ictu auriculam præcidit Petrus, cognatus accedit, arietat, expugnat; occipit καταναθεματίζειν Petrus καὶ ὀμνύειν. Sicque Chriſtum abnegavit, mox abnegavit & juravit, inde abnegavit, juravit & diris ſe devovit. Ecce illam confidentiam: *moriar Tecum!*

§. IV.

Quod vero quis deletam penitus ex eo fidem, radicituſque revulſam exiſtimet, non eſt. *Oravit pro ipſo* Dominus, *ne deficiat fides ejus*. Hinc illæ lacrymæ, queis

queis perjurum poſtea os abluit. Graviter *concuſſum* fuiſſe *fidei robur*, nemo quidem infiteatur; facinus enim deſignavit non ex veloci incogitantia, ſed contra conſcientiam, cui vaſtum vulnus impegit. Nec putandum eſt, ita hæc efficaci unius carnis fraude eſſe prolectata, ut non ſubinde

Feſſus quidem, haud dejectus & peſſundatus,
Pudor rebellaverit, ——————

& contra ſteterit Spiritus, ac tandem deſperata victoria arena ceſſerit, carnique dominium commiſerit; invitus autem. Nam, ut nunquam fideles, cum vel liberrime Spiritus habenas tractat in ipſis, à carnis *καταδυνάστευσει* ſunt liberi, ita nec unquam adeo tropæa carnis explicantur, quin ſubinde Spiritus, ſe nondum peſſundatum, & cui *ſpoliato arma*, & victoriæ, accedente divina gratia, non dubia ſpes ſuperſit, ſuis ſignis ſe prodit. Hinc SpiritumSanctum fidemque Petro non *excuſſam* patet. Neque enim Spiritus Dei ita ambulatorius, ut diſcedat quidem, demum & redeat unde diſceſſerit, mox, ſi res ferat, denuo erupturus, forteque, ſi forte hominis reſipiſcentia mereatur, rediturus iterum. Ita infernalis *Peripateticus* conſuevit, ut videre eſt Matth. 12: 43, 44, 45. Igitur fidelium Perſeverantiæ præjudicium Petrus adhuc nullum exhibet, ceu in quibus omnibus non eſt *κατάκριμα*, ſeu עון פלילים, *iniquitas, ob quam judex condemnet*, Rom. 8: 1. Job. 31: 28. Quid multis? ſunt כהר ציון *ſicut mons Zion*, Pſal. 125: 1. *Circuite* autem *Zion, cingite eam, numerate turres ejus, conſiderate propugnaculum ejus, videte ut ſint celſa palatia ejus*, &c. Pſalm. 48: 13. & ne quid ceu inſtructiſſimo fortalitio deſit, Δύναμις Θεοῦ, *potentia Dei Φρουρὰν*, ſeu

——— galeatum ponit ubique
Præſidium. ———

Quibus omnibus non *Princeps hujus Mundi*, non *Rex* ter-

terrorum, pares copias, pares inſultus, paria ſtratagemata & *μεθοδείας*, pares arietes, helepoles, licet omnia magna & terrifica, opponat. Ut ſileam, quod juſtus quivis Spiritui ſancto יסוד עולם, *fundamentum æternum*, ςερεὸς θεμέλιος τȣ͂ Θεȣ͂, firmo certus *ſigillo*, (quod nequicquam PERRONIUS Cardinalis, *Deo appenſum*, *non ipſi fideli*, dictitavit; candide quidem, ceu, ſi dicere fas ſit, juxta conſcientiæ, illud in ſe non deprehendentis, ſtimulos locutus; niſi frivolum foret, ex ſe de cæteris arbitrari;) appellatur, nec *piorum*, ſapientiſſimi effato, *radix unquam moveatur;* quanquam videlicet arbor cætera, qua ventis patet, nullo non turbine, folia decutiente, & hyeme mortis ſimillimam ſpeciem inducente, velut areſcere, imo quandoque *evicta* vi, *trahere jugis avulſa ruinam* videatur; in Deo tamen quoad radicem abſcondita nunquam eruitur, ſucco orbatur nunquam, & nunquam ינתק מבטחו *eradicatur ſpes ejus;* quin ceu grandiſcapia arbor *vexatione conſtringitur & radices certius figit*, & cum exaruiſſe exiſtimes, מריח מים יפריח ועשה קציר *attracto humore germinat.*, *exhibetque fructus decerpendos*, *ut plantæ ſolent.* Ut mirari ſubeat, cur Romanenſes, cunctis fidelibus, Petro excepto, cui *indelebilem fidem* facile gratificantur, adeo ſint difficiles. Scilicet, Papæ ſuo ut placeant, & modo placeant, ipſis *quidlibet* fingendi *ſemper fuit æqua poteſtas.* Quod autem BELLARMINUS in Petro *amplius* aliquid, quam perſeverantiæ donum agnoſcat, ab eodem eſt diagrammate. Petrus, ut perſeveraret, aut quod perſeveravit, aliquid *amplius* quam perſeverantiæ donum habuit: quis hoc capiat? Petrus habuit, fidelis quivis habuit Deum, qui *conſervat animas ſanctorum ſuorum*, qui in ſuos effundit רב, *μέγεθος*, *amplitudinem bonitatis*, ἀντιλήπτορα Chriſtum, qui *ne fides deficiat* orat, συναντιλήπτορα Spiritum, qui *arrbabo* eſt & deprecatur pro ſuis ςεναγμοῖς ἀλαλήτοις; Φρȣρὰν ἐν δυνάμει Θεȣ͂,

Θεȣ̃, ſemen ſemper manens, σφραγῖδα ut fundamentum Dei; quæ, & alia ejusmodi, niſi ſunt ampliſſima נכבדות, *δεδοξασμένα,* ſufficientiſſimaque, quid ſodes *amplius* eſt? מה לעשות עוד, *Quid faciendum amplius* Jehovæ?

§. V.

Eſt autem notabile, quod, quo tempore Petrus ter Chriſtum abnegavit, Gallinaceus, qui forte in aula erat, nocturno ſuo cantu inter tot ſtrepitus defunctus, terna quaſi confeſſione Creatorem ſuum proſecutus, atque adeo, juxta Dei providentiam, imo conſtitutionem, lapſo tantopere Petro, velut opportuno memoraculo, *ſurdum conſcientiæ verber* & triſtitiam ſecundum Deum incutere debuerit. Prædixit nempe Servator, fore, ut priusquam ter Gallicinium audiatur, ter Petrus, quod adeo deteſtatus erat, deſignet. Scilicet, ſeu quia, juxta *Democritum* apud CICERONEM, *depulſo de pectore & in omne corpus diviſo ac modificato cibo, cantus edunt quiete ſatiati; qui quidem* (ut ait ENNIUS) *ſilentio noctis favent faucibus, rurſum cantu plauſuque premunt alas,* ſeu ſi alia potius ſubſit cauſa, ſervant galli ſtata tempora cantus nocturni. Præprimis vero *inſtantis ſigna canens dat Gallus Eoi;* unde non defuerunt, qui hinc horologiorum nocturnorum defectui compendium reperierunt. Præteriri etiam non poteſt, iſtam phraſin, *priusquam galli cantent*, reperiri apud profanos paſſim Authores. Ita *Comici* alicubi dicit PERIPLECTOMENUS: *Verum priusquam galli cantent, quæ* (uxor) *me ſomno ſuſcitet.* Ita SATYRICUS:

Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet.

Ita ARISTOPHANES: Ὅτι τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο, &c.

Nodus eſt non diſſimulandus. MARC. cap. 14: 30.

14 : 30. habetur : *Priuſquam bis cantet gallus, ter me abnegabis.* Et poſt primam abnegationem jam cecinisſe dicit v. 68. At reliqui Evangeliſtæ ſimpliciter habent: *Antequam gallus cantet*, quem poſt tertiam demum abnegationem cecinisſe memorant. Dicunt quidam cum THEOPHYLACTO, intelligi à Chriſto integrum gallicinium ſuis conſtans vicibus, quod non ante abſolutum ſit, quam & trina abnegatio. At vero, cum notum ſit, cantum matutinum, qui fit circiter horam tertiam, omnium eſſe clarisſimum, maximeque ſtatum, diſtingui poteſt gallicinium in *ſecundarium*, quod diverſimode per totam noctem auditur, & *primarium*, de quo dixi, quod & κατ' ἐξοχὴν ita appellari ſolitum eſt, ut facile patet ex Marc. 13 : 35. Quæ diſtinctio facile applicari poteſt.

§. VI.

Præter hoc gallicinium, Petrum, admiſſo lapſu, mox facie gratiæ Servator converſus aſpexit, converſumque ſtatim dedit; novum haud equidem habitum infundendo, ſed priſtinum loco motum reſtituendo. Hinç dicitur mox *recordatus* verbi Domini: *Abnegabis.* En! jam oblitus erat; Tractanda & memori figenda pectore tanta res erat: Sed tamen recordatur. Præterea עיני יהוה· *oculi* aſpicientis ipſum *Domini* elicuerunt *ex oculis* Petri פלגי מים· *rivos aquarum*, ex aula enim ſe proripuit δακρυρροῶν. Non dixit: נואש ἀπονένοιται, conclamatum, *deſperatum eſt*; non abivit ויחנק· καὶ ἀπήγξατο, *ſtrangulatus eſt*, ut Judas; Sed ſalutaris contritio & pœnitudo poſt Deum, qua ſibi videbatur *effuſus velut aqua*, excuſſit oculis triſtitiæ guttulas, quibus perfidum os luſtravit; flevit enim πικρῶς, *amare*, totus erat in vultu dolor, & quiritationibus miſti ſingultus, ſalientibus oculis, *expulſo inviſo die*, ad terram dejectis. לשולם מר לך מר, *in pacem tibi amara hæc amaritudo, Petre*, ברע פנים ייטב לב *cum*

cum triſtatur facies, emendatur cor. Non, quod lacrymis proprie peccatum piaverit; iſtud enim, quam modo adiit, Chriſti mors retroacta efficacia efficere debuit; ſed quod id demonſtraverit. Et quia Deus את זה לעמת זה עשה *res ex adverſo ſibi reſpondere facit*, poſt reſurrectionem, trinam quoque ex eo, eamque pientiſſimam, confeſſionem elicuit, qua ſe is Servatorem flagrantiſſimo, ceu vero ipſe, ut omnia, ſciat, amore complecti, prætereaque, tentante licet Domino: *Plusne quam cæteri?* conf. Matth. 26: 27. omnem arrogantiam, cæterorumque contemtum, dedidiciſſe liquidum fecit; Ut vel hinc agnoſcas, cur Deus ſuorum lapſus permittat, nimirum ut oſtendat, nihil non *malum ſibi bonum eſſe,* dum *eo competenter utendo alicujus boni elicit effectum;* merito ita & ſapienter BOETHIO judicante.

§. VII.

PETRUM intuendo, AUGUSTINI verba, *admoneri nos oportet, ne homo quidquam de humanis viribus fidat. Nam quid alïud pertinuit ad Doctorem Salvatoremque noſtrum, niſi ut nobis nequaquam de ſe quenquam præſumere debere, in ipſo primo Apoſtolorum demonſtraret exemplo?* Atque adeo prol•• agnoſcere; כי לא בכח יגבר איש, quod *nullus vir in viribus ſuis fortis eſt.* Non igitur ὑψηλοφρονεῖν, *altum ſapere*, ſed *timere* & *conſiderare noſmet ipſos, ne & nos tentemur*, ſicque *cum timore & tremore operari*, ſeu *conficere*, *ſalutem noſtram*; eoque magis Deum miſericordiarum *porrectis in excelſa precibus* venerari, ut ipſe annuat nos καταρτίσαι, στηρίξαι, σθενῶσαι, θεμελιῶσαι; & ſi in peccatum *labamur*, *manum noſtram ſuſtentet, ne collabamur*, ſed ejus gratia, ſeriaque mox converſione

Remeemus illuc, unde non decuit prius
Abire: ———

Denique non ξενίζεσθαι, ὡς ξένου συμβαίνοντος, ſi & ho-

 dier-

diernis temporibus piorum permulti propter hoſtilem cum Petro *focum*, hoc eſt rogos & feralia pegmata, Chriſtum abnegant. Fatendum, *immane eſſe ſcelus*, *ſed occupatum*, & paradigma poſitum οἰκτιρμῶν Dei infinite adhuc majorum.

§. VIII.

Et non eſt, cur Romanus Pontifex, PETRI, ſi Diis placet, in univerſali dictatura, SUCCESSOR, comparationem cum *eodem Chriſtum abnegante* ſubterfugiat; eo certe minus, quo diſſimilior in cæteris; quin & in hoc, quod, cum Auguſtino, imo Salvatore teſte, Petrum *non fides in corde*, *ſed confeſſio in ore deficeret*, illum illa potius ſemper defecerit, hac quadantenus remanente; exiſtat. Sed videamus. Quod enim dicit: כל יגיעי לא ימצאו לי עון אשר חטא, *omnes qui fatigantur in me*, *non invenient iniquitatem in me*, *quæ ſit peccatum*; hoc eſt, *eandem habere ſe*, *quam Chriſtus infallibilitatem*, fide vix implicita credatur. Ille igitur, initio quidem ἀπὸ μακρόθεν Chriſtum ſequutus, ubi prope *fumum* vidit, ad id curas appulit, ut egregie calefieri, & efficere ut aſſiduo luceat igne focus, potius poſſet, quicquid interim de Chriſto fieret. Hinc negare eum neceſſe fuit. Factum id ſenſim, & colubrina cum aſtutia, malitia vero eo majori, quod ſub colorato Chriſtianæ Religionis mantelo latere voluit. Se *Caput Eccleſiæ*, *Epiſcopum Oecumenicum*, *non purum hominem* (ſit ergo impurus) facere, vocare *Patrem & Doctorem omnium fidelium*, *Sponſum Eccleſiæ*, in omnia Chriſti officia ſe intrudere, ABNEGARE eſt CHRISTUM. Secus ſentientes *anathematibus* & diris ſiderare, *Chriſtum* eſt *ejurare*. Quod ſi inter Romanos Pontifices, qui Monothelitæ, qui Eutychiani, Arriani, qui *ſpurciſſima*, omni impudentia fatente, *monſtra*, *apotactici*, & *apoſtatici*; qui aperte athei, ut *fabulis* annumerarent, quicquid de Chriſto alii con-

feſſi erant ; qui venefici, qui egregii Cacodæmonis parippi fuerunt ; in proſcenium produci debeant, totidem comparerenr ſacerrimi Apoſtatæ & Jovem lapidem jurantes, *ſe non noſſe Chriſtum.*

Ut vulgo inſigni jam de nebulone feratur:
Tam malus eſt nequam, Chriſtique inimicus & oſor,
Ut fieri poſſit papa.———

Quid multis? noſtris temporibus, quo glaucomate omnes percutere vult, appingendo ſibi agni cornua, en ut ſegniter Draconicos ſibilos, ungulasque celet! *Confidenter dicimus*, ita noti illi Fratres, non poſtremi Babylonicarum mercium clitellarii, *ſi articuli fidei ex ſola Scriptura ſint probandi teſtimoniis neceſſariis, articuli etiam neceſſarii ſub ratione neceſſitatis ; Reformatos in æternum non probaturos Divinitatem Salvatoris noſtri Jeſu, ſub ratione articuli fidei & neceſſarii, ſive terminis expreſſis Scripturæ, ſive concluſione ex Scripturis deducta.* Confidenter quis repoſuerit: Si hæc eſt mens Papæ, & vero eſt, jam *negat JESUM eſſe CHRISTUM*; quod enim negat demonſtrari à Spiritu Sancto in ſcripturis, negat verum eſſe. Et quo pertinet, quod ita ſævit, atrociſſime omnium quidem his temporibus, * in eos qui Chriſtum in ſinceritate confitentur? Sed facile hinc patet, & ultro fatemur, quod Petro ex infirmitate lapſo laureolam præripuerit ; quippe de qua Pilato potius & Cajaphæ & nullo non carnifici, imo Satanæ controverſiam facit ; eo magis quod, pro gratioſo vultu, quo Petrum Servator aſpexit, huic cornea fibra ſit, ut dicat: הסתיר פניו בל ראה לנצח *avertit faciem ſuam, nunquam videbit.*

* An. 1686. ſeqq. quibus Perſecutio Gallica quam maxime recruduit, & in immanes furores erupit. V. Mr. CLAUDE, les Plaintes des Proteſtans, cruellement opprimez dans le Roiaume de France, p. 42-66. Conf. HEIDEGGERI noſtri Acerr. Philol. p. 811-816. J. J. H.

MANTISSA.

Catalogus reliquorum Scriptorum

GOTTHARDI HEIDEGGERI,

Quæ in lucem prodierunt.

1. Apollo Auricomus; oder Schutz-Rede der Schönen Haare, vor den beſchriebnen Vätern gethan, mit haſtiger Feder aufgefangen, und dem curioſen Leſer zu Nutz und Luſt aufgetragen, durch Winckelriedt. Zu Jrgendshauſen 1692. 12. Bogen 7.
2. Neu-geflochtene Zucht-Ruthe; mit welcher Pater Fr. Rodolphus von Schweitz, geweßter Guardian der Capucineren zu Näfels, von wegen ſeiner den Evangeliſchen Glarneren gantz unfürſichtig und wider Gelübd gegebnen 15. guten Räthen, zu wolverdienter Pœnitenz, und andern Kloſter-Brüdern zu heilſamer Wahrnung, gemäß der Apoſtoliſchen Conſtitutionen mortificiert wird, durch Fr. Hilarium Stauppizium, S. Inquiſitionis Famulum. 1696. 8. Bogen $7\frac{1}{2}$.
3. Mythoſcopia Romantica, oder Diſcurs von den ſo benannten Romans; das iſt, erdichteten Liebes-Helden- und Hirten-Gedichten; von dero Urſprung, Einriſſe, Verſchiedenheit, Nutz- oder Schäd-

Schädlichkeit; ſamt Beantwortung aller Einwürffen, und vielen beſondern Hiſtoriſchen und andern anmüthigen Remarques. Zürich, bey David Geßner, 1698. 8. Bogen 18. Vindicias hujus libri contra Cenſuram *Eckhardi & cujusdam Anonymi* vid. in Cl. Authoris Acerra, p. 520. Apophoret. p. 91. & kleinere Schrifften / p. 10-27.

4. Prytaneum Sacrum; oder grundliche Verhandlung der zwiſchen den Reformierten und Päbſtiſchen ſchwebender Haubt-Streit-Frag, betreffend den Richter in ſpänigen Glaubens-Sachen: begreiffet zugleich eine vielfältige Verthädigung der heiligen Schrifft / wider allerhand Schmähworte, damit die Römiſche Mönch, ſonderlich neulich Capuciner Rodolff von Schweitz, in ſeinem an die Evangeliſchen Eydgnoſſen ohnveranlaſſet abgelaſſenen giftigen Tractat, ſelbige aus dem Richters-Thron lupffen wollen; ſamt einer Vorred, darinn, aus Anlaß jetziger Zeit dem Teutſchen Leſer Bericht gegeben wird von denen Päbſtlichen Jubel-Jahren, 1700. 8. Bogen 20.

5. *Apophoreta Moralia*; ſive *Deſid. ERASMI de Civilitate* Libellus elimatus cum Commentariolo; cui adjuncti ſunt *Trochiſci Socratici*, ſive ſelectæ veterum & modernorum quorundam Argutiæ Ethico-Politicæ. Tig. typis Geſsn. 1707. 12. pl. 14.

6. Die Leyr Tyri, d. i. Altfränckiſche Poſſen, mit welchen P. Rudolff Gaſſer in ſeiner vor wenig Monaten außgegebenen ſchmähſüchtigen Warheits-Sonne, die Heil. Schrifft, wahre Religion, und eigne Löbl. Römiſch-Catholiſche Obrigkeiten ins Koth zu dantzen, hingegen das Mönchiſche Babylon auf-

zubauen oder aufzuzauberen trachtet: Verdienſtmäßig zerſchmettert und abgefertiget von J. C. A. Anno 1707. 8. Bogen 22.

7. *Homilia* Sanctiſs. D. N. *CLEMENTIS XI. Pont. Max.* habita nuper Natalitiis, Anno 1707. & in eam *Variæ Lectiones*, *Conjecturæ & Scholia*, per R. P. F. *NICOLAUM TORNESIUM.* Coloniæ apud Petrum Marteau. 8. pl. 5.

8. *Acerra Philologica* Nova, Repurgata, Aucta, das iſt: Sieben-Hundert merckwürdige Hiſtorien und Diſcurſen; Theils aus denen vorigen Editionen der ſo genannten Acerra Philol. und ihren Zuſätzen außgeleſen, verbeſſert, mit vielen Anmerckungen bereichert; Theils aber von neuem (an ſtatt zuruck gelaßner ſehr vieler unphilologiſcher Schmierereyen,) aus den beſten Scribenten hinzugefüget; und alſo eingerichtet, daß ſolche den Liebhaberen der Gelehrſamkeit des Alterthums, der Mythologie, der Geſchichten, der Sittenlehr, und mancherley Diſcurs-Materien, ſo wohl ergötzlich, als erbaulich ſeyn können: Nebend-Stunden G. Heideggers, Inſpect. Colleg. Abbat. Zürich, in der Geßneriſchen Truckerey 1708. 8. Bogen 83. recuſa ibidem 1735. Vid. Helvetiſche Bibliothec. St. 2. p. 280. 281.

9. Delicio *Holzhalbiano* heu! erepto Cupreſſus & Grat. Monum. ſtatutum. Tig. 1709. 4. pl. 1.

10. *L. L. Manuductor Practicus*; ſeu *Vocabularium*, tribus partibus Voces Latinas uſitatiſſimas, una cum phraſibus & proverbiis quamplurimis ita exhibens & tractans, ut ſimul & variæ conſtructionis probatiſſima Exempla, & Sacræ, moralis, politicæ, &c. Sapientiæ ſuaviſſima ſaluberrimaque complectatur Semina: *Juſſu & Conſil. Superior.* in uſum Scholaſticæ Pubis, imo omnium, qui ſtudia latina jucunde recolere volent, adornatum. Tiguri, ex Typographeo Bodmeriano, 1709. 8. pl. 27.

11. Mer-

11. Mercurius Hiſtoricus, oder kurtze monatliche Erzehlung, was ſich durch das gantze 1710. Jahr in Europa und andern Welt-Theilen in Kriegs- und Friedens-Sachen, auch in der Natur und Freyen Künſten neues zugetragen; mit nutzlichen und ergetzlichen Anmerckungen aus der Hiſtorie, Politic, Erd-Beſchreibung, und anderen Künſten und Wiſſenſchafften durchſpicket; ſamt einer Zugab der vornehmſten monatlich ans Liecht kommender Bücheren, und behörigen Regiſter. Die 4. erſten Monat, 1710. 12. Bogen 14.

12. *Recreationes Sacræ. Pars prior*, complectens *Ideam Chriſtianæ Honeſtatis*, repetitam ex Epheſ. 4. & 5. Capp. Tiguri, impenſis Joh. Finsleri, Bibliop. 1711. 8. pl. 23.

Pars poſterior, complectens: Orationem publ. *de Naziræis V. T.* Prælectiones publ. V. *de Raptu & Scolope Pauli.* Prælect. IV. *de Creatura Gemente & Paralogiſten exploſum*, ſeu animadverſiones in Syllogiſmum quendam Pontificium noviter recoctum. &c. Tiguri, impenſis Johannis Finsleri, Bibliop. Typis Schaufelberg. & Chriſtoph. Hardmejeri. 1711. 8. pl. 17.

13. **Gotthard Heideggers**, kleinere Teutſche Schrifften. Nemlich: Schutzrede der rothen Haare. (Apollo Auricomus.) Lobſchrifft des Tabacks, (an Hrn. Theodor Zwinger, M. D. und Prof. in Baſel, qui *Theatro* ſuo *Botanico* inſeruit, pag. 991-995.) Oden und Uberſchrifften. Salernitaniſche Schule. (extat etiam in D. Zwingers ſicherm und geſchwindem Artzet. Edit. 1703. & ſeq.) Nebſt einer Luſtſchrifft von den Vortheilen des Jungfrauen-Standes, mit critiſchen Vorreden und Nachrichten. Zürich, 1732. Druckts Marx Rordorff, (in Officina Orelliana.) 8. Bogen 22.

VI. *No-*

VI.

Nova Literaria Helvet.

1. Hiſtoriſche und Chronologiſche Nachricht, von dem richtigen Maaß des Jahrs, nach welchem die Zeiten der Welt gerechnet werden; Samt der in der Kirchen von Zeit zu Zeit entſtandenen Feyr- und Feſt-Tagen; Von Johann Jacob Zehender, Diener des Heil. Evangelii, und Pfarrhrn. in dem Groſſen Münſter zu Bern. Gedruckt zu Bern, bey Emanuel Hortin. 1738. 8. Bogen 30. Liber hic pari eruditione & claritate ſcriptus, ratione ſimpliciſſima ad cognitionem chronologiæ ſacræ lectorem deducit, atque plurima difficilia S. Scripturæ loca ita explanat, ut ejusdem lectionem Doctiſſimus Auctor non minus jucundam quam utilem reddat.
2. Disquiſitiones II. De eo quod certum & incertum eſt in hiſtoriis antiquioribus; quarum primam Præſide V. Cl. *JAC. CHRISTOPHORO BECKIO, Hiſtor. Prof. P. in Academia Baſileenſi* defendit *Joh. Balthaſar Philibertus*, Baſil. Magiſt. Candid. die 2. Maii 1738. Alteram vero *Joh. Rodolphus Hummel*, Baſil. Magiſt. Candid. die 20. Maii 1738. pl. 4.
3. Diſſertatio Juridica Inauguralis de Recuſione librorum furtiva, zu teutſch, dem unerlaubten Bücher-Nachdruck; quam pro capeſſendis ſummis in utroque Jure Honoribus menſe Octobri 1738. defendit *JOH. RODOLPHUS THURNEISEN, Baſileenſis*. pl. 5.
4. Disquiſitio Philoſophica, de ſtatu hominum originario; Quam Præſide *EMANUELE WOLLEBIO, J. U. D.* Defendit *Joh. Jac. Ulricus*, Baſil. Mag. Cand. Baſileæ die 23. Maii 1738. pl. 2.
5. Cogitationes Subitariæ de Pœnis, jure naturali licitis vel illicitis, quas Præſide V. Cl. *JOH. RODOLPHO ISELIO*, J. U. D. publice defendit die 16. Maii 1738. *Joh. Deucher. Baſil.* Auctor. pl. 4.

6. Theſium Philoſophicarum Collectio III. Quam Præſide V. Cl. *JOH. BALTH. BURKARDO*, *Philoſ. Prof. P.* defendit *Johannes Stebelinus*, Mag. Cand. Baſileæ die 30. Maii 1738. pl. 1.

7. Disquiſitio Philoſophica de Jure Victoriæ, quam Præſide V. Cl. *ANDREA WEISSIO*, *Jur. Nat. & Gent. Prof. P.* defend. *Joh. Jac. Merianus*, *& Joh. Henr. Burcardus.* Mag. Cand. Baſileæ die 2. Junii 1738. pl. 3.

8. Diſſertatio inauguralis Phyſico-Medica de *Riſu*, quam pro gradu doctoris conſequendo, publico examini ſubmittebat *FRIDERICUS LUPICHIUS*, Helveto-Bernas. Habita Baſil. die 7. Oct. 1738. pl. 4.

9. Laudatio Funebris conſecrandæ Memoriæ Viri incomparabilis, plurimum Venerandi, ac ſingularis Eruditionis Laude Celebratiſſimi JACOBI CHRISTOPHORI ISELII, SS. Theol. Doct. Controv. & Locor Commun. Profeſſ. Academiæ Baſileenſis à Bibliotheca, Regiæ Gall. Inſcription. & Elegant. Literarum Acad. Socii Honorarii, ad d. XV. Kal. Octob. M DCC XXXVIII. pro Splendidiſſima Illuſtrium Virorum Concione recitata à JOH. RUDOLPHO ISELIO, J. U. D. Facult. Jurid. Baſ. Aſſeſſore, Sereniſſ. Domus Bada-Durlac. à Conſil. Aul. Reg. Berol. Scient. Acad. Socio. Typis Joh. Henrici Deckeri, Acad. Typograph. Fol. pl. 20.

10. Joh. Georg Altmanns, Heilige Reden über wichtige Warheiten der Lehre unſers Heylands, gehalten in dem Groſſen Münſter zu Bern. Erſter Theil, Zürich bey Heidegger u. Comp. 1739. 8. Bog. 21

11. DAVIDIS LAVATERI, Philoſ. Prof. Ord. Theſes Philoſophicæ. Defend. Diethelmo Meiſio. Tig. ex Offic. Heidegg. 1738. 4. pl. 1.

12. JOH. JAC. ZIMMERMANNI, S. Theol. Prof. Diſquiſitionis Hiſtoricæ & Theologicæ *de Viſionibus*, quæ primis quatuor poſt Chriſti & Apoſtolorum exceſſum Seculis, Chriſtianis quibusdam contigiſſe dicuntur, *Pars Poſterior.* Reſpondente Joh. Rod. Huldrico, V. D. M. Aſſum. Johanne Faeſio, S. Theol. Stud. Tiguri, ex Officina Geſsneriana. 1738. 4. pl. 10.

13. Gottſelige Gemüths-Beſchäfftigung vor- bey- und nach Haltung des Heil. Nachtmahls des HErrn; aus dem 23. Pſal. durch Johannes d'Outrein, Diener des Heil. Evangeliums zu Amſterdam. Nunmehro aus dem Nider-Teutſchen ins Hoch-Teutſche überſezt. Samt einem Anhang einiger Feſt- und Nachtmahls-Gebättern. St. Gallen, in Verlag Bartholome Anhorns, 1738. 8. Bogen 35.

14. Johann Jacob Ulrichs, Treu-geweſenen Dieners am Wort Gottes

Gottes in dem Wäyſenhauß zu Zürich, Prof. Ethices und Juris N
Die letſten Reden des am Creutz ſterbenden Hertzogen des
bens; In verſchiedenen Predigten verfaſſet, und auf Verlangen i
Druck überlaſſen. Zürich bey Heidegger und Comp. 1738 Med 8

15. Des Lehrns-begierigen und Andächtigen Landmanns
treuer Wegweiſer; Zur Beförderung der Ehre Gottes, und gen
nen des Landes Nutzen ans Liecht geſtellt von Joh. Caſp. Näge.
Pfr. im Fiſchenthal, Zürich bey Heidegger u. Comp. 1738. 8. Bog. 2

16. Jacob Lauffers, Prof Eloq & Hiſtor. genaue und umſtän
liche Beſchreibung Helvetiſcher Geſchichte, aus den bewährteſt
Verfaſſern der alten und neuen Hiſtorien, und darzu dienenden Urku
den zuſammen getragen. Achtzehender Theil, (An. 1653 - 1657.
bis zum Ende des Rapperſchweiler-Krieges. Zürich, verlegts Conr
Orell und Comp. 1738. 8. Bogen 23. Sub hujus Tomi finem Na
rationis filum, quod Cl. *Laufferi* præcocia Fata abruperant, no
nihil continuare cœpit Cel. Tempe noſtræ Editor J. G. A.

17. Beyträge zu Jacob Lauffers Geſchichten der Schweitzer. 4. Vol
8. Zürich, bey Conrad Orell und Comp. 1739.

18. Das erläuterte Zeugnuß der Warheit, ꝛc. Durch Daniel Wille
Franckfurt und Leipzig 1738. 8. Bogen 26.

19. Chriſtlicher Zeitvertreib; oder kurtze und grundliche Anleitung, wi
ein jeder Handwercks- und Baursmann, Dienſt und Taglöhner, in der
Forcht und Gegenwart Gottes arbeiten ſolle, um ſich deſſelben Bey-
ſtands, Schutz und Segens nach Seel und Leib zu tröſten. Zum vier-
tenmahl aufgelegt, mit einer Vermehrung von Betrachtungen u. Seuff-
zern über die Wolthaten JEſu. Zürich, bey Joſeph Lindinners ſeligen
Wittwe. 1738. 12. Bogen 6.

20. Grundriß der Lehre der Warheit, die da iſt nach der Gottſelig-
keit; In kurtzer Erklärung des kleinern Züricheriſchen Catechiſmi; Zu-
ſammen getragen von einigen für die Erbauung der Jugend ſorgfälti-
gen Freunden. Stein. 1738. 12. Bogen 14.

21. Muſicaliſches Halleluja; oder ſchöne und geiſtreiche Geſänge, mit
neuen und anmuthigen Melodeyen bekleidet, ꝛc. in Druck übergeben von
Joh. Caſpar Bachofen, V. D. M. & Cant. Schol. Abbatiſs.
Dritte, vermehrte und privilegierte Auflag. Zürich, bey Joh. Hein-
rich Bürckli 1739. Median 8. Bogen 45.

22. Urim und Thummim, ꝛc. oder Religions-Geſprächen, Achter
Theil. 8. Vid. ſup. p. 358.

23. Glaubens-Waag, nach der Richtſchnur des Heil. Worts Gottes
gerichtet; mit welcher die wahre Evangeliſche Religion gegen der Wi-
derwärtig-Päbſtlichen gehalten, zugleich aber auch erwiſen wird, was
maſſen das Gewicht der ewig-göttlichen Warheit bey der Evangeliſchen,
und

und nicht bey der jetzig-päbſtlichen Kirchen beſtehe, (ſamt einer Zugab und Anhang.) Zürich, bey Joh. Heinrich Bürckli 1738. 8. Bogen 13.

24 Die Herrliche Wunder, welche Gott in der vor hundert Jahren an der Gemeinde Haag in der Herrſchafft Sax geſchehenen ſel. Reformation gethan, daß er ſie aus der Finſternuß zu dem Liecht des Evangeliums beruffen. In zweyen den 11. und 18. Augſtm. 1757. gehaltenen Betrachtungen, vorgeſtellet von Caſpar Thom̃ann, Pfr. beyder Gemeinden Saletz u. Haag. Zürich, bey Heinrich Bürckli, 1738. 8. Bog. 6.

VII.

ELENCHUS DISSERTATIONUM, &c.

TOMI TERTII.

Sectio I.

I. *Ludovici Burgeri* Diſſertatio de vero atque genuino Juris Naturalis Studii Uſu. pag. 9.

II. Hiſtoria Vitæ, Operum & Obitus, Viri Cl. *Jacobi Chriſtoph. Iſelii*, SS. Theol. Doct. & Prof. in Academia Baſil. p. 42.

III. *Joh. Conradi Füeſslini* Commentatio Philologico-Critica in Rom. 5: 13. p. 61.

IV. *Joh. Georgii Altmanni* ***** Obſervationum Græcarum ad quædam loca Novi Fœderis. p. 76.

V. *Ludovici Cocheti* Reſponſio ad *Simplicii Verini* Animadverſiones Crit. in Diſſertationem de Syſtematibus Orthodoxorum, Remonſtrantium ac Socinianorum, Tempe Helvet Tom. II. p. 311-330. contentas. Additæ ſunt ejusdem *Simplicii Verini* Notæ ad hanc Reſponſionem. p. 96.

VI. *Joh. Rodolphi Crameri*, Theologi Tigur. Celeberrimi, Vitæ Fatorumque brevis Narratio. p. 152.

VII. Nova Literaria Helvetica. p. 158.

Sectio II.

I. *Marci Morloti* Diſputatio Theol. de Idololatria Gentili. p. 169.

II. *Joh. Caſpari Brunneri*, dum viveret, Archidiac. & Canon. Tigur. Venerandi, Oratio Paneg. de Spiritu non extinguendo, ad locum 1. Theſſ. 5: 19. p. 191.
Adjuncta eſt Hiſtoria Vitæ *Ejus* à *Joh. Caſp. Huldrico*. p. 225.

III. *Ludovici Tronchini* Oratio Inauguralis de Requiſitis Doctoris Evangelici, in 2. Tim. 2: 23-25. Cui adjecta Deſcriptio Vitæ & Obitus

Obitus atque Operum Viri Cl. *Joh. Alphonſi Turrettini*, Theologi Genevenſis Celeberr. p. 232.
IV. *Jacobi Bruckeri* Diſſertatio Epiſtolaris de Stoicis, ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus. p. 270.
V. *Jac. Chriſtoph. Beckii* Specimen Obſervat. Hiſtoricarum. p. 296.
VI. *Sam. Kœnigii* Meditationes de Myſterio Vaticiniorum Jeſajæ & Michæ cit. Matth. Cap. 1. & 2. de Nativitate Chriſti. p. 310.
VII. *Joh. Frid. Stapferi* Diſſertatio de Longanimitate Chriſti erga Eccleſiam Judaicam interitui proximam, ad illuſtrationem loci Matth. 12: 20. p. 325. VIII. Nova Liter. Helv. p. 356.

Sectio III.

I. *Jacobi Kocheri* Obſervatio Critica de Emphaſi Sermonis in terna Interrogatione Chriſti ad Apoſt. Petrum, Joh. 21: 15 - 17. p. 365.
II. *Joh Georgii Altmanni* Prælectio Literaria pro Comœdia & Ludis Theatralibus. p. 394.
III. *Petri Adolphi Boyſen* Diſſertatio Philologico-Critica de Κυβεια Ανθρωπων, in locum Epheſ. 4: 14. p. 412.
IV. *J. R. S.* Emendatio & Explanatio loci ex Epiſtola Firmiliani ad Cyprianum, nec non loci cujusdam ex Fl. Joſepho. p. 430.
V. *Emanuelis Wolleb* Disquiſitio Hiſtorica de Cauſis proxime antecedentibus Romæ Fundationem. p. 454.
VI. Themata Prælectionum & Diſputationum, Speciminis Publici edendi gratia, pro Cathedra Philoſophica Lauſanenſi conſequenda, DD. Candidatis præſcripta. p. 481.
VII. *Joh. Rodolphi Rodolph*, Iridis Theoria Sacra, ſive Diſſertatio Theolog. de Fœdere Noachico, ejusque Sacramento, nempe Arcu Cœleſti, ex Geneſ. 9: 8 - 17. p. 502.
VIII. Nova Literaria Helvet. p. 538.

Sectio IV.

I. *Joh. Rodolphi Salchli*, Diſſertatio de Fœdere Operum ex mente Judæorum. p. 544.
II. *Joh. Rod. Rodolph*, Diſſertatio Philologico-Iſagogica ad Chronologicam S. & Eccleſiaſt. Sect. I. De Tempore in genere, Die & Septimana. p. 572. Sect. II. De Menſe & Anno. p. 600.
III. *Samuelis Kœnigii* Defenſio Fidei Nicenæ, de vera & æterna Filii Dei Deitate, ex Prov. 8: 22 - 31. cum adjectis quibusdam Obſervationibus ad loca quædam alia Libri Prov. Salomonis. p. 632.
IV. *Joh. Georgii Altmanni* Diſſertatio de Creatura Gemente, ad Roman. 8: 19. &c. p. 651.
V. *Gotthardi Heideggeri* Petrus Lapſus; cum Catalogo Scriptorum ejus. p. 681.
VI. Nova Literaria Helvetica. p. 696.
VII. Elenchus Diſſertationum, &c. Tomi III. p. 699.

MAG 2020137